
Quam tibi fronte liber præfert sine nomine formam,
Hæc est Austriaci Regia forma Viri.
Erubuit Pictor nomen præferre PHILIPPI
Fecit id Arte sua Pictor, ut Acta legas.


IOSEPH R MONTIVS CAN.
SCAL CHRONISTA V BIS MED.
HIS VIVIT SPIRATQVE VMBRIS CVI POSSE NEGARVNT
SCRIPTA MORI, HVIC VITA EST FVNVS ET VMBRA DIES
ARS TAMEN ELINGVEM FINXIT, VOCEMQ. DEDISSET
AVCTORIS NIMIVM NI LOQVERETVR OPVS
Stephanus Sclatter

ILLVSTRISSIMIS VIRIS

# IOSEPHO CRVCEIO

## VRBIS PRÆFECTO

## ET LX. GENERALIS CONSILII

## DECVRIONIBVS.

Stephanus Sclatter Foel.

MOVEBAR, NON INCLINATIONE TANTVM GENIOQVE MEO, VERVM ETIAM AVTHORITATE VESTRA, ILLVSTRISSIMI VIRI, VT CVRAM HANC LIBENTER ADMITTEREM, QVÆ NVNC EDENDIS OPERIBVS IOSEPHI RIPAMONTII IMPENDITVR: VTQVE ASSENTIRER NON HVIC LABORI SOLVM, SED STVDIVM ILLVD AMPLECTERER ETIAM RECOGNOSCENDI PERCVRRENDIQVE SCRIPTA, ANTEQVAM EDE-

EDERENTVR. QVOCIRCA NON SIMPLICITER ID, SED ACCVRATE ETIAM ET SVBTILITER FACEREM, FORMAMQVE GERENDÆ REI SEQVERER ILLAM, QVÆ MIHI PRÆSCRIBERETVR A VOBIS, CVM EGO DE HAC CVRA INTERPELLARER, AVT QVÆ PRÆSCRIPTA IAM ESSET, POSTQVAM INTER DECRETA PATRIÆ SENTENTIA STETISSET SANCITVMQVE ILLVD, VT SCRIPTA, QVÆ RELIQVISSET AVTHOR, NEC ILLA QVIDEM ABSOLVTA INTERITV EXCESSVQVE SVO, EDERENTVR OMNINO, PRETIAQVE EXEQVENDÆ REI EROGARENTVR DE PVBLICO, SICVTI DE PVBLICO ETIAM CONSTITVTA MERCEDE CONDITA FVISSENT MONVMENTA: ATQVE DECRETI HVIVS PVBLICA AVTHORITAS DECVRIONI LEGNANO TRADERETVR; QVI, PROPRIIS MONVMENTIS CLARVS, QVÆ EVOLVERENTVR AB ALIIS, NVNC EVOLVERET ALIENA, AVT EVOLVENDA MANDARET, CVI

PLA-

PLACVISSET HANC DIVIDI CVRAM:
EXPLORAREM IGITVR, ET ATTENTISSIME QVÆREREM NON EXEMPLARIA
TANTVM, QVÆ INCVRIOSE NEC FIDELITER EX AVTOGRAPHO DESCRIBI
SOLERENT, SED SINGVLOS QVOQVE
APICES ET LITTERAS NOTAREM, QVÆ
FACILE LEVITATE SVA EFFVGERENT,
EXCIDERENTQVE SOLLICITE ETIAM INVESTIGANTIBVS, AVT TRANSMITTERENTVR SÆPE, NON TAM SIMPLICITATE, QVAM LEGENTIVM INCVRIA:
MINVTÆ QVIDEM PARVÆQVE RES;
SED QVARVM LEVITATE CONTEMPTA
HISTORICA NARRATIO VARIARI MVTARIQVE SOLEAT. QVO MEO PRIVATO STVDIO ET ATTENTA PERVOLVTATIONE ASSEQVERER, VT HISTORICA VOLVMINA HÆC, QVORVM EDITIO
MOLIENDA ESSET, NATIVÆ PVRITATI
ATQVE TENORI SVO RELINQVERENTVR, NVLLAQVE SVI PARTE AB AVTHOGRAPHO DIVERSA PRODIRENT.
QVOD SANE NON TAM AD TYPOGRAPHICÆ

PHICÆ

PHICÆ REI GLORIAM LAVDEMQVE ABSOLVTI LABORIS, QVAM PERTINERET AD HISTORIÆ FIDEM, AC TANTO MAGIS PERTINERE VIDERETVR AD VTRVMQVE, QVANTO MAGIS POSTHVMA HÆC EXTREMIQVE CONATVS MVLTA HOMINVM AVIDITATE MVLTAQVE EXPECTATIONE TRAHERENTVR. AC PROINDE IN EO DILIGENTISSIME LABORAREM, VT, SI QVID INESSE DEPREHENDERETVR, QVOD DISSENTIRET AB AVTHORE, TOLLERETVR ILLICO, ATQVE REDDERETVR HISTORIA PVRITATI SVÆ. VBI SI NIHIL ALIVD, QVO DELECTARET HISTORIA, CERTE ILLVD, QVO NOS INTEGRITATE AC SIMPLICITATE SVA DELECTARET. TVM PRÆTEREA, VT, SI CVI, POSTQVAM MONVMENTA HÆC ESSENT EDITA, CVRIOSE ADSPICERENTVR, ET SOLITA LEGENTIVM SVBTILITATE EXPLORANTIVM VITIA TANTVM MENDAQVE LITTERARVM (QVÆ QVIDEM VITIA MENDAQVE LITTERARVM SÆPE VER-

TVNTVR

TVNTVR ETIAM IN AVTHORIS LVDIBRIVM; CVM VERIVS PROPRIA ET SOLITA SINT OPERARVM, (CVM CALORE SVO CONSERVNT STIPANTQVE NOTAS QVAS PRÆLO SVBIICIANT) CVRIOSA SVBTILITAS ELVDERETVR, QVÆ TALIA REPERISSET OMNINO, QVALIA AB HISTORICO HOMINE PRODIISSENT. QVÆ QVIDEM OMNIVM FERE LIBRORVM CALAMITAS EST, VT SEVEROS ÆSTIMATORES ET MINIME BENEVOLOS LECTORES HABEANT; SED MAIOR HÆC CALAMITAS HISTORIARVM EST, QVÆ SEVERITATE ETIAM MAIORE CENSEANTVR; VT, SI NIHIL MALI DEPREHENDATVR IN IPSIS, DICATVR TAMEN ALIQVID INESSE FALSI. PORRO CALAMITATES ALIAS ET DETRIMENTA PATI HISTORIÆ CONSVEVERVNT, SI MINVS RECOGNOSCENTIVM QVAM CVDENTIVM VITIO, CERTE ALIQVA SIMVL PARTIS VTRIVSQVE CVLPA: HODIEQVE ETIAM PRETIOSÆ NOTÆ VOLVMINA LEGIMVS CVM IGNOMI-

NIA EORVM, QVI AVT ILLA EDIDERVNT, AVT CERTE CVRARVNT VT EDERENTVR: PARSQVE DEDECORIS ILLIVS ETIAM AVTHORI MANET. NEQVE MOVEBAR INDVCTIONE MEA SOLVM PLACITISQVE VESTRIS, SED NVTV ETIAM ET EFFLAGITATIONE HIERONYMI LEGNANI: QVI PRO INIVNCTA EDITIONIS EXEQVENDÆ CVRA SOLLICITVS ANXIVSQVE, NON HOC SOLVM SED ILLA QVOQVE CONTRARIA CVRA EDITIONIS NON EXEQVENDÆ PRIVS, QVAM SCRIPTA ESSENT RECOGNITA; DE HIS OMNIBVS INSTABAT MIHI, SIMVLQVE PETEBAT, VT ACCEPTA CVRA RERVM, QVIBVS TANTOPERE ANGERETVR, NON DE CVRA MAGIS EDENDÆ QVAM RECOGNOSCENDÆ HISTORIÆ SOLLICITVS ESSEM. IAMQVE EGO A QVO TALIA REQVIRERENTVR NON FACILITATE ILLA SOLVM, QVA INCLINATIONEM GENIVMQVE MEVM SED VIRI QVOQVE SEQVERER AVTHORITATEM ET NVTVM, CVIVS EGO AV-

 THORI-

THORITATEM ET NVTVM RESPEXISSEM SEMPER PORROQVE RESPICERE VELLEM, ETIAMSI MIHI LIBERA NEC AB ALIO PENDENS CVRA HÆC ESSET. NEQVE HVIVS AVTHORITATEM TANTVM, SED ET CONIVNCTAM AVTHORITATI AMABILITATEM, QVA ME LENITER HORTARETVR, ADMOVERIQVE VELLET AD ID, QVOD PROVIDE DESTINARET, INCLINABAR STATIM, REMQVE EXEQVEBAR EX PRÆSCRIPTA MIHI AB EO FORMA, CVIVS ARBITRIO TOTA DEINCEPS CVRA REGENDA ESSET. ET SANE NON SPERNENDA ERAT MIHI TAM OPPORTVNA OCCASIO, QVA DE TANTO VIRO DEQVE PATRIA HAC BENEMERERI POSSEM, VEREQVE INIVRIA QVÆDAM FVISSET REPVDIATI A ME LABORIS, AC TANTO MAIOR INIVRIA, QVIA ET LABORI HVIC ASSVEVISSEM IAM, EGISSEMQVE PER HVIVSMODI STVDIA ET OBLECTAMENTA VITAM, DELECTATVS SCILICET GRATA VOLVTATIONE HISTORIARVM, NON

QVÆ

QVÆ VLTIMÆ TANTVM VETVSTATIS SED QVÆ RECENTIORES ET FERE HVIVS ÆTATIS ESSENT, QVARVM EGO AVT SORTE MEA VIDISSEM AVTHORES, AVT VIDERE CVPEREM, NON TAM STVDIO VIDENDI, QVAM DVLCEDINE CONTEMPLANDI ILLVSTRIVM VIRORVM ORA, DE QVIBVS TAM INGENS FAMA NOMENQVE CIRCVMFERRETVR. NON SECVS AC INSTITVTA MIHI CVM AVTHORE CONSVETVDINE ET AMICITIA, CVIVS OPERA A ME NVNC EDVNTVR, INTVERI POTVI TANTI VIRI DIGNITATEM ET VVLTVM. INCLINABAR PRÆTEREA NON FACILITATE ISTA SOLVM, ET QVADAM OBSEQVENDI CONSVETVDINE, QVA MVLTORVM IAM ANNORVM FAMILIARITATE PLACITIS HVIVS ASSVEVISSEM, NIHILQVE DETRECTARE DIDICISSEM VNQVAM, QVOD IN RE LITTERARIA PRÆSERTIM MANDARETVR MIHI, SED QVADAM ETIAM VTILITATE PROPOSITA, QVAM LABORI HVIC INESSE ANIMADVER-

TISSEM

TISSEM; NON ILLA QVIDEM, QVÆ QVÆSTVM ET AMBITIONEM SPECTARET, QVÆ PROCVL AB ECCLESIASTICO HOMINE SACRAQVE TOGA ABESSE DEBET; SED NOBILIORE ALTERA ET MEIS STVDIIS CONSENTANEA MAGIS, QVÆ HONESTATE SVA BLANDIRETVR MIHI, SPEQVE ILLA MVLCERET ANIMVM, POSSE ALIQVID ISTAC CVRA ET HISTORICA PERVOLVTATIONE MEA STVDIA IVVARI, PROFICIQVE TANTVM, QVANTVM AD HISTORICÆ FACVLTATIS VIM QVANDAM ASSEQVENDAM SVFFICERET; SICVTI PROFECISSE ALIQVID FATENDVM EST, VIDEORQVE NON STERILEM ET VANVM LABOREM IMPENDISSE, POSTQVAM LIGVIT ME IN HOC MVNERE ET CVRA VERSARI. ATQVE MOVEBAR VTILITATE QVIDEM PROPOSITA MIHI, SPEQVE ILLA, QVÆ REPRÆSENTARETVR PLENA VTILITATIS ET FRVCTVS; SED QVODAM MAGIS GRATIFICANDI STVDIO PATRIÆ CIVIBVSQVE TANTIS, IN QVO-

RVM EGO GRATIAM, NON LEVIORA TANTVM FERENDO HÆC, QVÆ MANDARENTVR, SED VORANDIS IN COMMODIS QVOQVE ALIIS, QVÆ MANDARI POSSENT, EXHIBERER, VLTROQVE ETIAM OFFERREM OPERAM STVDIVMQVE MEVM, QVOD EXORARI NOLLEM, NON TAM PVDORE EXORATI OBSEQVII, QVAM GLORIA ET AVIDITATE ANTEVERTENDI IVSSA PATRIÆ. PROPTEREA PVDVISSET ETIAM, NON ANTEVERTISSE POSTVLATA VIRI, CVIVS CAPERE CONSILIA MINIME POTVISSEM, PROPRIA HVIVS PROFVNDITATE ILLA, QVÆ FALLERET ETIAM PRVDENTIORVM CONIECTVRAS, SI DIVINARE ANIMVM MENTEMQVE VELLENT. MOTVS IGITVR PVBLICA VESTRA, ATQVE VIRI AVTHORITATE, CÆPERAM STATIM ESSE SOLLICITVS, ET DE NEGOTII SVMMA, DEQVE FORMA EXEQVENDÆ REI COGITARE: NON ILLA QVIDEM AVTHORITATE MOTVS, QVÆ HORRIDA ET SEVERA ESSET, SED

QVÆ MIXTA EX GRAVI ET IVCVNDO, ET ILLICIENDIS ANIMIS APTE TEMPERATA, QVALIS REIPVBLICÆ MODERATORIBVS ADESSE DEBET, ET QVALEM ADESSE VOBIS ETIAM ALIENIGENÆ FATENTVR, QVI PRÆTER CÆTERA, QVÆ MAGNIFICA VISVNTVR IN VRBE HAC, ET PASSIM OCCVRRVNT PEREGRINIS HOMINIBVS, MIRANTVR ETIAM MODERATIONEM HANC VESTRAM, ET TEMPERAMENTVM, QVO PATRIA REGATVR, TANTA CVM LAVDE ET FAMA NOMINIS VESTRI, TANTA CVM ADMIRATIONE VIRTVTIS; VT SIMILLIMA ROMANÆ FÆLICITATI TEMPORA MEDIOLANENSIVM HÆC VIDEANTVR IPSIS, SIMILITVDINE PLANE EADEM, QVA EXTERNO HOMINI, PRÆCEPTORI CÆSARVM PATRIA HÆC ROMA ALTERA VISA EST. NEQVE AVTHORITATE SOLVM ISTHAC, SED ET VTILITATE LVCROQVE MEO, QVOD OSTENDERETVR, MOTVS, POSSE AC DEBERE VIDEBAR LABOREM HVNC

 SVBIRE.

SVBIRE. ATQVI LENTE ADHVC PROCEDEBAT LABOR, ET REMISSE AGEBATVR A ME, QVEM TAMEN HONESTÆ, ATQVE VTILES ALIOQVI CAVSÆ MOVERENT; ET FORTASSE DILIGENTIAM QVOQVE MORABATVR ILLVD, QVIA NEC EGO DIVISISSEM CVRAM, NEC QVÆDAM DESCRIPTIO MVNERIS FVISSET. AT DESCRIBENDA SANE ERAT PRIVS ATQVE ELIGENDA MIHI RATIO, ASSIGNANDVMQVE QVIDPIAM, QVO DIRIGEREM STVDIVM LABOREMQVE MEVM, NE RES NON COGITATIONE AC FINE SVO INFORMATA, AVT NON PERDVCI POSSET AD EXITVM, AVT PERDVCERETVR IMPRVDENTER. POSTQVAM VERO SPECTATA FORMA, QVAM EGO SEQVERER, FIXVMQVE ERAT ILLVD, QVOD AD INITIA LABORIS ELEGISSEM, STATIM INTENDEBAR ANIMO, IMMINENSQVE PATRII DECRETI EXECVTIONI, CVIVS EGO MORAM MINIME PATI POSSEM, MO-

LIEBAR ILLVD, VT, SI QVA PARTE DESEDISSET HISTORIA, APERISSETQVE LACVNAM ALIQVAM, EXPLERETVR ILLICO HIATVS ILLE, ATQVE OBSTRVERETVR LACVNA; QVO VELVTI DIVISVM, ATQVE DISSECTVM HISTORIÆ CORPVS CONIVNGERETVR. QVALIS HIATVS, ET LACVNA SÆPE, POSTHVMA LEGENTIBVS OCCVRRIT: VBI ET INTERIVNGENDVM EST, MVLTVMQVE LABORANDVM, VT SVPPLEATVR ALIQVID, QVOD NON TAM LOCI DEFORMITATEM DELEAT, QVAM NON ABHORREAT AB HISTORIA. ATQVE ILLVD ERAT, QVOD TIMEBATVR A ME MAGIS, NE FACEREM ID ABSQVE IMITATIONE ET SIMILITVDINE ILLA, QVÆ VELVTI OBDVCENDO CALCEM PERITE APTEQVE PAGINARVM RIMIS, TEGERET ARTEM, NEXVMQVE CONDERET. VTCVMQ. TAMEN ID FECI; NEC PERPERAM FECISSE VIDEOR DECLARATIONE, ET TESTIFICATIONE ILLA, QVA MEIS CONA-

 TIBVS

TIBVS PLAVSISTIS. SIC POSTQVAM EVOLVERE CÆPISSEM BORROMÆORVM VITAM, VNDE MIHI AVSPICANDVS ERAT LABOR, NON ILLAM QVIDEM, QVÆ, QVIA RECVDENDA ESSET, NOSCENDA TANTVMMODO, ATQVE SIMPLICITER PERCVRRENDA, SED ALTERAM, QVÆ, QVIA NONDVM ESSET EDITA, ATQVE OB ID ARDENTIVS ET AVIDIVS EXPECTATA, NON TAM CVPIDITATE ILLA, VT HISTORIA COMPLEXA VITAM GESTAQVE FEDERICI PERTRACTARI POSSET, QVAM CVPIDITATE ETIAM ALTERA VIDENDI, QVA FIDE, ATQVE INNOCENTIA TRADERETVR, SOLERTIA ET CVRA MAIORE EDENDA ERAT, SVPPLENDA FVERE NONNVLLA, QVÆ DEESSE COMPERIEBANTVR: ATQVE MIHI PRÆTEXENDA FVIT OPERI PRÆFATIO, QVAM AVT DISTVLISSE IN ALIVD TEMPVS, AVT NON PRÆTEXVISSE AVTHOR CENSENDVS EST, INCERTIS NOMINIBVS EORVM, QVIBVS

 NON

NON TAM HISTORIÆ PARS HÆC, QVAM OPVS IPSVM INSCRIBERETVR, QVÆ EDITA A ME POSTEA, VESTRIS NOMINIBVS INSCRIPTA EST, AC PRÆCIPVE IN PETRI GEORGII BVRRI NOMINE APPARVIT, QVI TVNC TAM INTEGRE SANCTEQVE PRÆFECTVRAM VRBIS GEREBAT, VT DIGNVS POSTEA VIDERI POTVERIT, CVI NOVA DECORA DECERNERENTVR, NON POSTQVAM, IPSE FESSVS PATRIÆ CVRIS, OTIVM ET SPATIA LABORI DEDISSET, SED VIX CIRCVMACTO SPATIO, QVO PRÆFECTVRÆ MVNVS IMPLEVISSET, SICVTI RERVM CAPITALIVM IVDEX IN PRÆTORIO STATIM ELECTVS EST. NON MINOR INTEREA CVRA ADHIBEBATVR RECOGNOSCENDIS DISPONENDISQVE SCRIPTIS ETIAM ALIIS, QVÆ SVPPLERENTVR, ATQVE EDERENTVR STATIM, POSTQVAM FEDERICI VITA AD EXITVM PERDVCTA ESSET. ATQVE SVPPLEVISSEM IAM, EDIDISSEMQVE HÆC, NISI EDENDA ATQVE SVPPLEN-

DA

DA FVISSET PRIVS PHILIPPI SECVNDI VITA, QVÆ TVNC FORTE EXHIBEBATVR A CIVE, QVI EAM PERITE OCCVLTAVERAT, SICVTI PRETIOSISSIMA TERRÆ VISCERIBVS SINVQVE OCCVLTANTVR, ABDIDERATQVE IN EXPECTATIONEM ET SPEM, VT, POSTQVAM SEPVLTA DIV, ATQVE OCCVLTA IACVISSET, DEPROMERET INDE, ATQVE EVVLGARET, SOLATIO ET VOLVPTATE MAIORE, CVM PERIISSE CREDERETVR. QVO EVENTV SANE LÆTARI PATRIA HÆC VISA EST, HAVD MINVS, QVAM CVM SCRIPTA ETIAM ALIA AB AVTHORE RELICTA, QVÆ VRBE TOTA CONQVIREBANTVR, PENE VLTRO OBLATA ESSENT, ATQVE SVBIECTA. SED MAGNOPERE LÆTARI VISVS EST LEGNANVS, QVI OMNIBVS ID SEMPER VOTIS EXPETIVERAT, DECREVERATQVE SCRIPTIS ETIAM IN AVLAM LITTERIS EFFICERE, VT HISTORICVM OPVS REMITTERETVR, QVOD CVSTODIRI, AT-

QVE SERVARI IBI FAMA ESSET. TRADITA IGITVR, ET ACCEPTA HAC, QVAM DIXI, FORMA EVOLVEBATVR STATIM PHILIPPI VITA: CVMQVE REPRÆSENTARETVR ILLA MIHI VARIA, NEC SOLITA SPECIE, QVA NVPER REPRÆSENTATÆ FVISSENT DVORVM CARDINALIVM VITÆ, PASSIMQVE DISSECTO MARGINE, ATQVE DISTINCTA NOTIS OCCVRRERET, QVÆ LOCIS NOBILIORIBVS APPOSITÆ ERANT, TALIVM OPPORTVNITATE NON DIMINVTA MIHI, SED AVCTA CVPIDITAS EST, RELIQVA PERSEQVENDI AD EANDEM FORMAM, PERDVCENDIQVE NOTAS, QVÆ PRIORIBVS TANTVM LIBRIS CONTINERENTVR. SICVTI PERDVCTÆ STATIM, ATQVE OPPORTVNE SVIS AFFIXÆ LOCIS: NEQVE TANTVM NOTAS, SED SVBTILITATE ET SOLERTIA MAIORE SINGVLA SINGVLIS LIBRIS COMPENDIA ET EPITOMAS APPOSVI; QVO FACILITATE HAC ET LVCRO

AVCTA

AVCTA ET DITATA HISTORIA CVRIOSIS INCVRIOSISQ; PARITER PROBARETVR. ATQ; ILLVD EST, QVOD MODO IN PVBLICVM EDVCITVR A NOBIS, LIBERALITATE NON MINORE, MAIORE TAMEN POMPA, QVAM QVA TANTI OCCVLTATOR OPERIS EDVXISSET. ET SANE IN ID TEMPVS TANTI EDITIO OPERIS REIICIENDA FVIT, QVO PRÆTER CONSVETA DECORA NOMINVM ETIAM IOSEPHI CRVCEI NOMINE NOBILITARETVR, QVI VICARIA DIGNITATE TANTA CVM ÆQVITATE FVNGERETVR, VT PLANE INIQVVM FORET, NI IVSTITIÆ SIMVLACRVM, QVOD IN PHILIPPO SECVNDO, EX INSTITVTO PII, IV. IN FORO PVBLICE EXPRESSVM EST, SISTERETVR ILLI, QVI ALIOQVI, NON TAM IVSTITIÆ, QVAM VIRTVTVM OMNIVM EXEMPLAR SISTENDVS ESSET. QVÆ NON RARA FÆLICITAS EST CRVCEIÆ GENTIS, VT, AVT IPSA IN SPECIMEN ET EXEMPLVM PROPONATVR, AVT VICISSIM

SIM

SIM GENTIVM ALIARVM VIRTVTES PROPONANTVR IPSI. INTERIM, CVM EDITIONEM ALTERAM PVBLICE EXPECTARI SCIAM A VOBIS, PRIVATIMQVE PLVRES ETIAM A ME REQVIRANT, VT ID PROMPTE EXPEDITEQVE FACIAM, PROFECTO, CVM PRIVATIS AMICORVM VOTIS, TVM PVBLICÆ EXPECTATIONI OCCVRRAM, COLLIGENDO SCILICET, ATQVE EXPEDIENDO HISTORIAS ETIAM ALIAS, QVÆ COLLECTÆ ATQVE EXPEDITÆ EDANTVR STATIM; QVÆ PARTES VERIVS, ATQVE FRAGMENTA OPERVM ERVNT, QVO NOMINE ITEM PRODIBVNT;




MEDIOLANI [illegible]

Ex Regio Palatio, Apud Io Baptistam, et Iulium Cæsarem [illegible] Regios Typographos.

# 1648.

# Nomina Illuſtriſs. DD. LX. Decurionum Vrbis Mediolani.

Franciſcus Orrigonus Vrbi Præfectus.
Iacobus Antonius Caſtilionæus R.L.T.

Co. Carolus Vicecomes Eques Regioq; Ærario Præfectus.
Co. Ludouicus Meltius I. C. C.
March. Fráciſc. Maria Vicecomes.
Co. Io. Ambroſius Pecchius.
Ioſeph Reuerta.
Co. Antonius Corius.
Co. Carolus Franciſc. Sorbellonus.
Io. Petrus Negrolius.
Co. Barptolomæus Areſius Reg. Magiſtratus Ordinarij Præſes.
March. Auguſtinus Litta S. Iacobi Eques.
Alexander Panigarola S. Iacobi Eques.
Iacobus Fannianus.
Io. Baptiſta Plenus.
Co. Albertus Vicecomes.
Marchio Georgius Triuultius.
Co. Carolus Vicecomes.
Camillus Lonatus.
Co. D. Angelus Triuultius S. Iacobi Eques.
Hieronymus Legnanus.
Co. Georgius Rainoldus.
Io. Baptiſta Orrigonus.
Hippolitus Brippius.
Raymundus Feppa.
Co. Carolus Archintus I. C. C.
Antonius Aliprandus.
Auguſtinus Caimus S. Iacobi Eques.
Hieronymus Montius.

Hieronymus Fannianus I. C. C.
D. Hercules Triuultius Princeps, & aurei Velleris Eques.
Io. Baptiſta Homodæus Quæſtor.
Ioannes Angelus Porrus.
Co. Pirrus Vicec. Borromæus.
March. Vercellinus Maria Vicec.
March. Maximilianus Stampa.
Ægidius Roma.
Co. Guidus Antonius Stampa.
Co. Aloyſius Arconatus.
March. Tebaldus Vicecomes.
Hyacintus Orrigonus Senator.
Philippus Corius.
Co. Horatius Archintus.
March. Carol. Gallaratus I. C. C.
Ioſeph Cruceius I. C. Coll.
Io. Baptiſta Vicecomes I. C. Coll.
Io. Baptiſta Gluſſianus Protoph.
Io. Iacobus Sclaffenatus.
Co. Io. Baptiſta Rouida.
Co. Don Hercules Sfondratus.
Pompeius Caſtilionæus.
March. & Commendator Mauritius Arcimboldus.
Co. Ludouicus Areſius, Comi Gubernator.
March. Io. Puteobonellus.
Io. Baptiſta Lattuada.
Co. Don Iulius Montius.
Antonius Franciſcus Foſſanus.
Co. Bernabò Barbouus I. C. C.
D. Hieronymus Stampa.

Imprimatur.

Fr. Basilius, Commiss. S. Officij Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro Eminentiss. D. Cardin. Archiep.

Io. B. Bonettus Senator Del.[s]

Comes Maioragius pro Excell. Senatu.

ILLVSTRISSIMIS VIRIS

# FRANCISCO ORRIGONO
## VRBI PRAEFECTO
### ET LX. GENERALIS CONSILII DECVRIONIBVS.

*Horatius Landus Reg. dicendi Interpres in Palatino Gymnasio.*

*Foel.*

BEllum ac Regnum iſtud Sanguinis, imò ferale emporium, in quo tot mortalium millia quotannis libidini Regum deuouentur, damnarem Ill.mi Viri, niſi ex hac impia Matre, quae caedibus & ſanguine gaudet, publici priuatique decoris materies haud raró inclyta proles naſceretur. Glorioſos militares labores Romanae eloquentiae Parens appellauit. Et gregarij, imperatoriam dignitatem bellica virtute aſſecuti, docuere per viam hanc ſtragis humanum genus, quàm multipliciter in orbe terrarum ludere ſoleat diuina Prouidentia. Inter tormentorum fragores, morientium ſuſpiria

flammas inter & vulnera, cum maria infecta sanguine, tellus madefacta cruore, incolumesque viuant in vndis flammae in pernitiem mortalium, humido alantur ignes, quos solida respuunt, cingantur velut indagine vrbes, modò sine telis propè, ac ferro munitissimae arces dedantur, modo per strages, ac mortuorum cumulos exigua telluris pars capiatur; quis crederet inquam, haec inter Numinis aeterni arcana, enasci victrices palmas, triumphos gigni, quae non praesens tantùm aeuum, sed posteritatem totam nobilitauere. Ab mundi primordijs coepere hae bellicae artes, duraturae vsq; ad illum soeculorum ambitum, quo perfecto cuncta mortalium caelesti igne deflagrabunt. Et tantorum bonorum, & malorum origo, *Malum siue humana Auiditas* fuit. Ita Abrahami, Gedeones inclaruere, & ne tantarum rerum memoria periret, haud defuit summus ille scriptor Annalium parens Moses, qui dum illos diuino iussu scriberet, quanti momenti essent haec Martis negotia consuluit toti Posteritati. Sequuta dein morem Graecia; dein rebus humanis ad Populum

victorem

victorem Gentium Romanum inclinatis, ex hoc veluti Gymnasio, vt Summi Imperatores, ità celeberrimi scriptores omne per aeum prodiere. Insubria, & hoc paruum punctum, quod à tot hostibus ferro, & igni diuidi concupiscitur, haec Troia, quae tot annis petitur, & nunquam capietur, quantae gloriae iuxta, ac sanguinis seges, Theatrumue fuit? Vidimus armatos hostes irruentes, canentes triumphos, eosdem victos fusos, ac dissipatos, caedibus illustribus mutuò nobilitatos campos, excitam vsque ab vltimo septentrionis axe barbariem, in huius puncti perniciem ferocissimas alias gentes conspiratas, momento veluti fulmine afflatas dispersas, immane illud aurum effusum, cuius miraculo, vel ipsae, quae gignunt aurum Prouinciae obstupescunt; Vicimus saeuientis hyemis rigores, inuitis ipsismet niuibus, ac glacie extorsimus ab hoste triumphos, & alia longè gloriosa paucorum annorum interuallo Patria haec Hispanicis, & proprijs armis confecit, quae aut non credent Posteri, aut maximè haesitarent, nisi tantae felicitati diuinitus

scriptor

ſcriptor ab veſtra munificentia datus eſſet, qui minimè morituris annalibus haec aeternitati conſecraſſet. Vt quantum vobis debeat Ill.mi Viri non haec Prouincia ſolum, ſed totus orbis, vel hoc vno nomine, quia cuncta ab libidine aeui perijſſent, niſi veſtra ſumma prouidentia in tanto eligendo ſcriptore interueniſſet, omnes vno ore fateantur. Aluiſtis ſcriptorem in medio belli, & enormium ſumptuum feruore, eoque elato, Hieronymo Legnano Hiſtoriae, & omniùm interiorum litterarum facile Principi, curam hanc demandaſtis, vt ſcriptoris monumenta vulganda curaret; & aliqua iam edita ſunt, poſtrema haec non niſi ab tanti viri felicitate, iuditio potuiſſe vulgari, qui ſcripta haec fuere contemplati eruditiſsimi alioqui viri conſtantiſsimè dixere. Adeo mixta confuſa, manca, ac mutilata, nec mirum vbi fatum inopinatum accidit, difficillima intellectu reliquerat ſcriptor, vt hic ſolus Legnanus, veluti alter Iuppiter Patriae bono natus potuiſſe tantum chaos diſtinguere videretur. Gratulor ergo vobis Ill.mi Viri tantum bonum, ac tibi praecipuè Magne Vrbi Praefecte

fecte

fecte Franciſce Orrigone tuam tergeminam felicitatem. Tria enim inſignia nobiliſsimae tuae domui hoc anno accidere, vt Macedonis quondam Patri ſummus ille Orator, quae licet tuorum maiorum nunquam moritura geſta ſilerent, efficient, vt in ſecula ſemper tuum nomen ſit iturum, & Orrigonam Gentem inſolito plauſu cunctae nationes excepturae. Hyacintum fratrem Quaeſtorem, diſertiſsimum olim cauſarum patronum in Senatum ampliſsimum lectum, & longè nobiliſsimae Romanorum Coloniae Cremonae Praetorem deſsignatum ingenti totius Inſubriae gaudio, gratulabundi videmus, & Ripamontij extrema opera, quae propriè Patriae decora attingunt in tuo Regno vulgata; ſed quod maiorem tui admirationem incutiet, ab tua ſolertia, vigilantia, ac prouidentia effectum eſt, vt haec Patria, inclyta Metropolis Regi Domino noſtro hoc anno conſeruaretur. Summa annonae caritate inſignis hic annus fuit, & ingenti timore conſternata ciuitas trepidabat, cum ſolitas fruges coelum negaſſet, niſi Praefectum Orrigonum diuinitùs

uinitùs Dij dediſſent. Tanta enim integritate, iuſtitia, ac vigilantia, nequicquam ingemiſcentibus annonae flagellatoribus curam hanc longè grauiſsimam adminiſtras, vt vix cladem haec Metropolis ſentiat, nec ſubiecta humanis fraudibus vita Populi Mediolanenſis ſit, & exteri, qui hùc commigrant tantae rei miraculo iuremerito obſtupeſcant. Spernis aurum gloriae verae auidus, & in altitudinem tuarum cogitationum conditus, ob patriae bonum imperterritus, multiplicem ciuicam coronam adeptus, qui tot ciuium millia quotidie ſeruas. Et tanti momenti negotium eſt hoc, vt tibi ac lx. Decurionibus huius Prouinciae incolumitas ſecundùm Numen, & opes Auſtriacas, ſine fuco debeatur.

Quod reliquum eſt diutiſsime viuite magnae vrbis animae & Patriae ſeruatores. Dum vos humillimè accido. Mediol. 5. Maij 1648.

# EPITOMA
## LIBRI PRIMI
## DE
## BELLO MANTVANO.

MANTVÆ, ac Mantuani belli origo. Variae dramatis personae, ac profunda Principum consilia, quae huic bello prolusere, Sabaudi Ducis indoles, Albae Vrbis, & Montiscalui, ac Trini Montisferrati expugnatio facta Caroli Emmanuellis Sabaudiae Ducis armis hoc libro continentur.

# IOSEPHI RIPAMONTII

## CANONICI SCALENSIS

### CHRONISTÆ VRBIS MEDIOLANI

# HISTORIÆ PATRIÆ

## LIBER PRIMVS.

---

MANTVANA contentio, quae noſtris temporibus finita, vel interciſa Ducum illorum ſucceſſione exorta eſt, magnos rerum, & animorum motus, principio non ita magno conciuit. Nec fortaſſe tale certamen antea inciderat, ex quo, mortales inter ſe de terrae glebis dimicare coeperunt. Nam Italica vna domus extincta, & relictus in medio paruulus dominatus, paruaque fortuna, imperitantium omnium ferè ſtudia miſcere, atque accendere potuit ſpe, cupidine, metu, aemulatione, vel neceſſitate, cauſiſque incertis, acrius etiam, atque violentius, quam quomodo pectora illa ſolito ſuo more concitantur. Profectum iſtud ex Italiae angulo, & ex domus vnius interitu certamen, atque diſcrimen, peruaſit, ac pertinuit quacumque regnandi nonnullae artes, ſiue momenta, & arcana aliqua Regnorum eruditè intelligun-

*Propoſitio Operis.*

*Scriptoris meditamenta.*

*Paruulus Dominatus ingentium turbarum ſeges.*

*Principum ſtudia varia.*

 tur,

Cæſar, & vtrique Reges in partes cunctos fermè Italiae Principes trahunt.

tur, ac tractantur. Caeſariſque Maieſtas, & duorum Regum ab tali principio, vel inchoata, vel renouata diſſidia, dominationes alias, liberoſue populos, ſtatim, aut poſteà, palàm, occultiuſue implicauere ſecum vinculis, & conſecutione cauſarum, quae maiora imperia minoribus alligant; ac diuerſo cuncta nexu Gallus, Hiſpanuſue comprehenderunt. Quae

Gratæ ciuilibus ingenijs Principū factiones.

ſanè varietas, & magnitudo factionum, & principum in hanc, illamue partem inclinationes, ſpectacula grata ciuilibus ingenijs eſſe potuerunt, dum agi, mouerique iſta viderent. Sed

Quae iucunda legentibus.

ſpectaculum in legendo gratius, ampliuſue erunt conſilia ipſa, & cauſae, quas quique ſecuti, voluerunt in ea ſede retinere nouum Ducem, aut detrahi inde eum, remouerique cupierunt, aut etiam, hoc illudue ſimulauere, cum per occultum aliud malent, ſtarentque in parte altera. Nudauit enim profectò ſcena iſta intra breue tempus neceſſitates, & artes,

Regum meditamenta difficillime celantur.

& meditamenta cuncta dominantium, quae inter caetera magnae fortunae ludibria proſtant tunc maxime in aperto, cum ea Reges in profundum maxime abdidere. Et pleraque tamen affinxit vulgus, politicaue temeritas

Vulgus audax publicis rebus ſe immiſcens quid efficiat.

hominum, qui obſcuritatem ſuam immiſcere publicis rebus, atque interpretari cuncta audent. Mixtaque ſic vera falſis increbuere; & inducta talibus interpretamentis in famae Theatrum Regna Regeſque, nec ſimplici, nec vero

habitu,

habitu, prout curiositas, siue licentia haec tulit. Hispania suspicionibus atrox ob Galliarum alumnum: obstinata Gallia pro alumno suo, & Ciue. Illa palam irata tamquam spreto Caesaris iure, & patefacto Hugonotis in Italiam aditu, & deiecto herede, qui potior haberetur: occultior, interiorque cura ob confinia terrarum, atque Vrbem Insubriae Metropolim toties olim Gallo frustrà appetitam, & nunc tam vicino hoste periclitantem. Apud Gallos item in aperto speciosum Regiae tutelae nomen, obstricta Niuernio fides, & fama nationis: inter secreta veteres irae, tot irriti conatus, captiuitas antiqui Regis; & recenti adhuc memoria, in tantarum rerum limine casus atrocior, tandemque occasio patefacta. Caput quoque belli Caesar, apud multos in ambiguo fuit, repeteretne vere sua iura; componeretque discordes, & Imperij Maiestatem tueretur, an parti tantum alteri inseruiret. Nec simpliciora apud alios, qui his iuncti, alieniue, aut interiecti, duos Reges capita rerum ex proximo, vel ex longinquo, fouent, siue adulantur, siue oderunt. Veneti prudentia rituque suo, pro parte infirmiore aduersus suspectas in vicino opes soliciti, & intenti cum illa pecuniae fama, turbandarumque rerum artificio, ac si desperatione opus foret, veluti loro tenentes canem, arbitratuque suo Turcam immissuri. Nec tamen opibus, viribusque

Momenta Hispano Pondera.

Timer Vrbi ob confinia terrarum Niuernij.

Galli per speciẽ Alumni Niuernij veteres iras in Hispanum animo voluunt.

Mens Cæsaris apud multos in hisce motibus ambigua. Cur.

Venetorũ astutam ingenium, quid in summa desperatione.

hiſpanis ita infenſi, vt non & Gallum odiſſe parati eſſent, ſi firmato Niuernio vltra quicquam tentaret. [Sabaudi Ducis animi habitus.] Nihilo diſpar Sabaudo animus neceſſitaſque, nec ei Duci apud partem vtramque maior etiam fides. Caeteri per Italiam Principes ex rerum inclinatione aliqua ſumpturi animos, conſiliaque ſua relaturi ad fortunam,& interea ſoliciti, ne proximis occupatis in ſua iretur. [Heluetij, & Rhaetij venales nulli obnoxij.] Heluetij, Rhaetique venales in eam partem vnde ſtipis, & pabuli plus oſtenderetur. [Germania cum Hiſpano.] Integra pars Germaniae cum Hiſpano: [Lutherani in parte Mantuani belli, qui forte nec fando Mantuam audierant.] Caluiniani ſiue Lutherani longo per terras omnes tractu, cum ſui ſimilibus conſociauere animos; mirumque dictu; in parte Mantuani belli fuere, qui Mantuam alicubi hanc eſſe Vrbem antea fortaſſe neſciebant. Ingens materia turbandis in ſecula rebus, & humani animi perturbationum par moles aequatura motu rerum iſto, ac triennij fere caſibus Regnorum, aetatumque varietates, ſi, quemadmodum incluſa ſenſibus, atque conſilijs haec fuere, ita litteris perſequi ea quiſpiam poſſit. [Mantuani motus triennio aequaturi Regnorum aetatumque varietates.]

[Motus hi non ſtatim, ſed ſenſim erupere.] Initia huius Italici motus, non vt plerique fortaſſe exiſtimant, ſtatim, nec tempore vno erupere, finita Mantuae Gonzagarum domo; ſed cauſarum, & conſiliorum antea ſecretis apud regnantium animos eliciebantur ſemina haec, paulatimque prodibant. [Futuras calamitates in hac Domo, longè antea cum maxime floreret praeſagiuere mortales. Cauſæ.] Nam, vt recentiora prius, dein antiqua repetam, ſtirps, & ſucceſſio Ducum ipſa per triginta ferè annos,

iaminde ab iuuenum liberorum parente Vincentio, integraque aetate ipsius, aduerterat, intenderatque curas omnium: nec fine tantum, & interitu suo, verum etiam robore, ac flore denuntiauerat ea quae secuta sunt, tanquam vergens, & defectura olim. Ac licet essent in domo treis filij, & habili adhuc corpore pater, omnia tamen, & principio prona atque inclinata, & postea magis, magisque labentia, ac denique praecipitia ad finem ex diuerso spectabantur. Franciscus, & Ferdinandus, & Vincentius nomina principibus Vincentij filijs fuere. Horum pueritia, deinde adultior aetas imbuebatur quidem omnibus magnae fortunae disciplinis ad splendorem, & gloriam: sed & constabat, inter disciplinas, ac rudimenta illa permitti luxum epularumque lasciuiam adolescentibus, quos paterna insuper imitatio corrumpebat, atque inutile illud ex proximo exemplum. Simul iuuenum ipsorum ingenia effusa vltro ad cuncta, queis prodiguntur exhauriunturque vires, & vieta corpora paulatim fiebant. Interim vero etiam vergere Patris aetas, & erudite contemplantibus adspici consumptum illud intemperantia robur. Talia intuentes quibus ea cura, erexerant animos, & rerum suarum quisque solicitudine, qua nihil potest esse subtilius, ita philosophabantur. Posse inter tam mollia corpora, fractosque artus, orbam, absque liberum

*Luxus epularumque lasciuia, & Venereae artes perdidere hanc domum.*

*Tristes effectus immodicae Veneris.*

*Ciuilia ingenia intuentia hanc domum, quae Philosopharentur.*

rum ſucceſſione domum relinqui : infida, & inimica procreationi adipem illum feſtinataſq; voluptates : poſſe ſterili, vel infoecundo matrimonio caſum incidere, qui locum certaminibus aperiret. Et acrior quàm pro dominatus illius magnitudine, cura haec inceſſerat, ob ſitum regionis, & loca, quae natura, vel operibus ad potentiorum quoque terrorem emunita, minitari alijs quidem, alijs vero praeſidium ad res nouas, opemque polliceri viderentur. Hinc Mantua circumflua ſtagno, hinc moles arcis ad Caſalem velut externis armis parata, atque oſtentata receptacula materies creberrima ſolicitudinibus, ſermonibuſue erant. At vbi mortuo patre, Dux quoque Franciſcus vnica relicta Infante deceſſit tanto magis circumſpici haec timerique, aut ſperari prout conſilia, & meditamenta, neceſſitateſque dominantium animis. Coepit deinde, non ſpes iam, aut timor, ſed certa expectatio eſſe, poſteaquam ſuperſtites duo Ferdinandus, & Vincentius, poſt alterum alter, non purpura, non vxore contenti, miſcendo matrimonia, diuortiaque, & ſacros honores, damnandoque prolem ſuſceptam ſimul, & ſperatam, velut pereundi, perdendique libidine cuncta turbarant. Alter elumbis, tabiduſque cum ab Roma redijſſet, alter multa carne graue corpus gerens, veluti non vltra futuri parentes adſpiciebantur, etiamſi non connubiorum inconſtantia illa adiecta eſſet.

Situs huius Regionis, & munimenta praecipuè, intendunt curas hominū.

Mantua & arx Caſalis ingentis ponderis.

Vincentio mortuo, & Franciſco vnica relicta infante, maior ſolicitudo indita contemplantibus.

Ferdinandus & Vincentius nō purpura non vxore contenti, cuncta turbant.

Vterique Principes fermè valetudinarij certā rerum inclinationem portendunt.

Ita Mantuana res, multo anteaquam dominatrici familiae finis venisset ab manifesta illa rerum inclinatione, seges, & causa bellorum destinata erat; funeraque Gonzagarum, & proxima vita funeribus fuerant vere partibus hortamenta, & monita, ne cunctarentur in propinquum discrimen disponere consilia, & vires. Sed & primordia Vrbis, atque versatas in ea varietates, ordinemque rerum paulò altius repeti haud alienum reor.

Mantuam Vrbem ante Romana initia conditam litterarum, & hominum fama consentit. Condidere Etrusci, qua tempestate ex Lydia profecta ea gens per totam Italiae longitudinem, imperium sibi licentia temporum fecerat. Tuscos postea Galli, & post aliquot secula Romani Gallos eiecerunt. Rursus Imperio quoque Romano senescente, Gothorum arma, dein praepotuere Longobardi, quibus pulsis serua diù haec, & obnoxia barbaris. Vsurpauere libertatem, atque sub pristini fastigij tutelam rediere Vrbes alijs aliae legibus, exituque etiam diuerso. Mantuam Otho II. Tedaldo Cannusij Comiti, ob merita parentis in Romanum Imperium beneficiario iure concessit. Inde peruenit Vrbs ad Mattildem. Haec ab Henrico III. pulsa reparat vires, rursusq; potitur. Ab Mattilde Sordellus Vicecomes tenet. Non domus huic, non liberi, nec post eum etiam forma sanae Ciuitatis. Creati

Mantuae Vrbis Primordia.

Etrusci conditores.

Vicissitudo Dominantium.

Barbaries eiecta.

Mantua ab Othone II. Tedaldo Cannusij Comiti beneficiario iure conceditur.

Per varias regnatrices Domos ad Ludouicum Gonzagam tyranni interfectorem deuenit.

Tribuni Tyrannorum ibi meruere nomen; saeua nomina, & adhuc inuisa Vrbi, Pinamontes, & Othonellus, & Bardellonus, & Bottigella, Passerinusq; memorantur. Passerinum Gonzaga quidam obtruncat. Viri nomen id, an vero familiae cognomentum, fuere, qui ambigerent. Frequentior fama, Ludouicum fuisse Gonzagam patriae liberatorem, interfectoremque Tyranni, Gonzagasque tamen ipsos oriundos ex Germania, non indidem ab Mantua Ciues. Vtcumque ea res habeat, ad Ludouicum certe hunc ob eius meriti gratiam defertur summae rerum annua potestas; isque Magistratum clementer, & iustè gerendo semel, iterumque refectus, populari aura prouexit eo suum, & familiae nomen, vt tamquam in paterna iura succedere filij inciperent, & succedendi ius Caesarum authoritate firmaretur. Successit Ludouico Guidus, Guido Ludouicus alter, Ludouico Franciscus, Francisco Franciscus, cui, & vocabulum honoris suo iure Sigismundus Caesar addidit, vt Mantuae Demarchus, ipse, posterique eius appellarentur. Et sunt ita appellati, vsque ad Federicum, quem Carolus Quintus altius extulit, ac dedit domui titulum, qui inter humanae superbiae gradus longo interuallo proximus fastigio Regum accedit.

Gonzagae ex Germania oriundi.

Ludouici mite ingenium, & aliae praeclarae artes effecere, vt tanquam in paterna iura filij succederent Mantuae.

Authoritate Caesarum successio firmatur.

Post varias successiones Franciscus ab Sigismundo Caesare, Mantuae Demarchus, & filij appellantur

Carolus V. Federico Ducis titulum proximũ fastigio Regum indulsit.

Ex eo Mantuae Reguli, Ducesue esse coeperunt. Mox intulit foemina dotem, quae pessun-

pessundatura Regulos, armatura Reges, turbatura domum erat. Margarita haec fuit Federici vxor ex stirpe Palaelogorum, qui Byzantio profecti, foeminae alterius iure Montemferratum imperio tenuerunt, postquam Saxonis Alerami nepotes ibi finiere. Namque Imperatoris Othonis Aleramus fuerat ex filia nepos. Auus eum Montisferrati Demarchum appellarat. Ad Ioannem vsque durauere posteri Soror Ioannis Violanta Constantinopolitano Imperatori Andronico nupserat. Ex eo matrimonio Theodorus, Monferratensium ipsorum accitu, maternum Imperium recepit, instaurauitque penates virili successione destitutos; & longa inde Palaelogorum series ad Bonifacium vsque Gulielmi III. filium perducitur. Is cum adolescens inter aequales exerceretur, effuso super eum equo obtritus, elisusque est, superstite Georgio patruo, qui fortunam, domumque accepit, inter sacra educatus, corpore aeger, ad matrimonij munera impar, & inter nuptiarum fere solennia extinctus. Bonifacij soror igitur Margarita Georgij fratris filia, reliquus vnus familiae sanguis datur nuptum ei Federico, vnde Mantuae Duces id Imperij nomen auspicati, familiae demum interitu, cruenta haec iurgia Regibus inuexere, memorabili rerum humanarum exemplo, cum trigeminas extinctas, imperitantium domos haec nostra cura statim in operis

Mantuana res foeminae dote crescit. Federici vxor ex stirpe Palaelogorum, quae intulit in Domum Montemferratum.

Palaelogorum longa series in Georgio desijt, & Margarita Georgij fratris filia Montisferrati heres nuptum datur Federico.

Trigeminae extinctae imperitantium domus Alerami Palaelogorum, Gonzaghae.

principio, rerumque transcursu ita euoluat, Alerami genus, Palaelogorum, & hosce Gonzagas. Enupserant è Palaelogis ab Monteferrato etiam antiquitus in Sabaudiae Domum mulieres duae, ferens Auiae nomen Violanta Theodori, & Blanca Gulielmi prioris filia. Ea longinqua materies, & velut in occulto latentia semina litis, quam ex paterna domo detulit Margarita ad Mantuanum, laeto ad praesens exitu, inextricabili ad posteros contentione, & postquam domus vniuersa conciderat, causam initiumque armorum etiam alienis. Post pueri casum, mortemque senis, de quibus memoraui, Montemferratum, auito item muliebri iure trahere Carolus Tertius Sabaudiae Dux coepit. Pro eo stabant pacta nonnulla veteris matrimonij, praerogatiua virilis sexus, Blancae testamentum, & caeremonia donationis, inter Iacobum, & Amedeum, celebrata olim, cum Palaelogus ille Sabaudo huic arces, & loca nonnulla Montisferrati, quasi per obsequium detulisset, rursus ea Palaelogo Sabaudus tamquam stipendiario, vectigalique suo donata firmasset. Dicebatur contra, propiorem in successione locum obtinere Margaritam: nullam praerogatiuam officere successioni foeminarum, vbi semel ab altero sexu res abijsset. Inania esse vel etiam falsa, quae de Violantae posteris pacta iactarentur, nec potuisse sponsae patrem absque Caesaris aucto-

Iura Sabaudae Domus in Mōtemferratum. Foeminae duae Palaelogae in Sabaudam domum nubunt.

Carolus III. Sabaudiae Dux auito muliebri iure trahit Mōtemferratum.

Pacta, quae pro eo stant.

Mantuani iura.

ritate

ritate pacisci. Non testamenti factionem de re aliena Blancam habuisse. Irrita, quae Iacobus, & Amedaeus inter se collusissent. Filium Iacobi fuisse Ioannem, qui iuueniliter incautus, festiuae saltationis, & nocturni tripudij causa, cum in Sabaudi fines ab domo processisset, ibi ab hospite comprehensus, necessitatem patri eam imposuerit; nec redimi captiuum aliter potuisse. Per mutuos cauillos, atque per interpretamenta leguleiorum haec apud Caesarem aliquandiu agebantur, qui armorum, & Iustitiae, imperijque ea tempestate summus, cognita causa, medio temperamento vsus, integrum inter duos iudicium tenuit, ac relicta re in suspenso, Mantuanum quidem in praesentia habere, tuerique Montemferratum iussit; Sabaudo autem libera, & soluta omnia reliquit, vt si quando vellet, tempore alio experiretur. Ita Carolus Caesar, nec ab altero gratiam inijt, nec alterius vitauit offensionem; atque in publicum etiam suspecta res fuit tamquam Sabaudum ille suspectasset, potentiae imperijque nimium, & sibi ad confinia prouinciae Mediolanensis infidum, si continuo per subalpinos, & Montemferratum tractu, illius arma commeare potuissent. Mantuano, nec opes fuisse easdem, terrarum situs, opportunitatemque iungendi. Ideo rem ei tacitè adiudicatam. Deduxit inde praesidia Caesar, quae per Montemferratum interim disposita habuerat, dum

Ioannes Iacobi filius, Ducis Sabaudi captiuus.

Res apud Caesarem diu agitata. Quid cēsuerit Caesar. Ab neutro gratiam init.

Creditur Caesarem suspectasse potentiae Imperijque nimium Sabaudum, adiecto Monteferrato, ob confinia Insubriae.

Cæſar deducit praeſidia ex Monteferrato, dum ea prouincia ſequeſtro attineretur.

ea prouincia ſequeſtro attineretur. Et quies ab eo tempore rebus fuit; principeſque tacita ſuſpicionum, & profunda conſiliorum tantummodo animis voluebant. Mouere vltra, & tentare quicquam neutri expediebat, cum alter in poſſeſſione prouinciae, vtcumque eſſet; alter accisis per id forte tempus à finitimo Galliae Rege viribus, id negotij tunc, idque doloris haberet, & cura propius vrente angeretur. Hae primae irritationes animorum fuere, aetaſque cum ſuis Principibus illa ſic abijt.

Vtrique Principes, vel inuiti Caeſareae ſententiae acquieſcunt, & vterque cũ ſimplici animorum irritatione decedit.

Principes, & anni, negotiaque inſecuta rem ad gladios propius, propiuſque deducebant. Nam, & ingenia ſucceſſerunt aegrè latura quietem, etiamſi non patrum, ſiue Auorum hereditaria irritamenta ſubeſſent; ab Sabaudia Carolus Emmanuel, factus ad dolos, & arma ſimul; aptior, alter dolis tantummodo, & artibus, quae inter principes loco virtutum habentur; Et neuter tamen ſatis vnquam in ſuo genere felix. Auxerantque iſti inter ſe ſuſpiciones, & aſtus, & mutua blandimenta, ex quo, & munimenta ſibi quaedam vterque noua circumdederunt. Namque Sabaudus ducta in Matrimonium Catharina Philippi II. Catholici Regis filia per id matrimonium, eamq; neceſſitudinem factus erat aemulo Principi terribilior, & ſopitam illam de Montisferrati poſſeſſione litem ſolicitando aſſiduè querelis, & actionibus apud Caeſares, reſponſa, quae ſibi

Caroli Emmanuelis Ingenij habitus.

Diſpar Mantuani Indoles.

Catharinam Philippi Secundi Hiſp. Regis filiam in matrimonium ducit Sabaudus.

Fatigat Caeſares ob Montemferratum.

ſibi data delinimento eſſent, ſeruabat veluti tela in hoſtem. Mantuanus autem, excitata illa ad Caſalem arce, quae Regium plane opus videri poſſet, non ſuo marte, non ſuis opibus, neque ad rerum tantumodo tutelam, atque defenſionem iecisse fundamenta illa dicebatur. Inter domos adeo ſuſpectas inuicem, & per occulta odia infeſtas; matrimonio locus fuit, ſolita Principum ſaeua diſſimulatione, quibus non horrori eſt, inimicitias, ſanguinemque miſcere, & vincula charitatis apud eos incitamenta plerumque irarum fiunt. Franciſcus, & Margarita iunguntur nuptijs; quas mors intra biennium fere diremit. Cardinaliſque Ferdinandus, ob incertum viduae vterum aliquandiu cunctatus an daret ſe fortunae, paratus erat mutare ſacra profanis, ſi nihil poſthumi impedimenti deprehenderetur. Sed ex eo matrimonio infans Maria erat. Id puerile caput interea machinam, atque inſtrumentum ingentium rerum, hinc depoſcere ſibi, & efflagitare Sabaudus, hinc Cardinalis, patruuſque tutor, aſſerere, ac retinere coeperunt. Aiebat ille. Redderetur vidua patri, neptis auo; & tanquam naturae iura, nonnullas imperij vtilitates exſequendo, ſic vtramque repetebat. Alter item velut charitate, & cura, abſtrahi patrijs penatibus infantem, & procul inde ablegari ſaeuum impiumque teſtabatur. Senſim dehinc ad propria, & interiora deſcendebant, quatenus

Arx ad Caſalem excitata, ſupra Mantuani Ducis faſtigium viſa.

Matrimonio inter tam ſuſpectas domos locus fuit ſolita Principũ diſſimulatione, qua condant &c.

Franciſcus, & Margarita Sabauda iunguntur nuptijs, ſed eae breuiſſimi aeui.

Cardinalis Ferdinandi Conſilium ob incertũ viduae vterum.

Infans Maria poſthuma proles.

Puerile caput ingentium rerũ inſtrumentum.

Auus neptem repoſcit. Praetextus.

Mantuani charitas, & cura ne infans patrijs penatibus abſtrahatur.

tenus

Iura Sabaudi sibi Infantem vindicantis.

tenus sibi cordi esset puella, nudantes. Dicere Sabaudus, heredem, & dominam hanc esse Montisferrati, iure, atque exemplo, quo Violanta olim Alerami ditionem, & Imperium ad Palaelogos, Margarita ab Palaelogorum ad Gonzagas transtulissent. Cardinalis tutor non tam de successionis eius iure disceptare verbis, quam validissimo causae firmamento hoc in praesentia attineri, vt ne infantem exire de manu, & potestate sua pateretur; praesidijsque etiam, & acerrima custodia muniebat, ne qua, vel domestica proditione, vel repentina vi subtraheretur sibi corripereturue pignus.

Cardinalis Infantem acerrima custodia munit.

Tantum momenti ponebatur in eius puellae capite, tantique discriminis amissa, vel retenta haec foret. Pene vagiebat adhuc inter fascias, & cunabula Infans, cum pectora duorum Principum illius causa tantopere aestuarent. Nec domi tantum vterque fremitus, curasue continebant, sed eius rei solicitudine, varijsque tentamentis finitimos iuxta, & longinquos coeperant deducere secum in studia, & partes. Quid Gallia meditaretur: quid Hispano placeret: Quid Caesari probatum: quae dominationum aliarum in hanc, illamue partem futurae inclinationes, ex eius puerilis negotij rudimento, praebita indicia, datasque coniecturas autumabant homines in nulla parte curarum, sed tantummodo intenti in id spectaculum. Et pleraque tamen casura in contra-

Vtriusque Principis pectora Infantis cura aestuant.

Finitimos varijs tentamentis in studia, & partes deducere conantur. Sabaudus, & Mantuanus.

Quæ per otium mortales in nulla parte curarum de Principum studijs diuinarent.

rium

rium erant, appariturumque aliud in rerum exitu, quam ſicuti creditum principio fuiſſet. In praeſentia dabat Hiſpanus Sabaudo vindicias, Infantemque deſtinabat illuc, ſanguine videlicet prognatam Auſtriaco, ſororis ſuae neptim, heredem prouinciae, quae ſibi clauſtra aduerſus externos praeberet. Galliae Regina in cuius tunc manu cum pupillo Rege Regnum, matertera Cardinalis erat, annuebatque retineret; ac ſi violentia opus foret, arma, & Regni vires offerebat. Caeteri per Italiam Principes, pauoris quiſque ſui nota arte taciti, & occulti cupiebant ibi eſſe infantem, vbi noua illa acceſſione tolerabilior potentia, & minus formidandae ſibi opes forent.

*Hiſpanus Sabaudo Infantā deſtinat. Cur.*

*Galliae Regina Mantuano Infantem adiudicabat.*

*Principum Italiae ſenſus in hac lite.*

Nouus Caeſar, Imperatorque Matthias domui Gonzagarum per vxorem ipſe quoque connexus, non ſtudijs, ac fauore tantum, ſed etiam decreto praetulit iudicium ſuum, tutelamque Cardinali legitimam, dato in id diplomate affirmauit, cùm calumnijs, & ſubtilitate partium, in controuerſiam ea vocata eſſet: Haec incrementa gliſcens in occulto bellum, & vergens ad arma res ſumebat, haud interim temperante Sabaudo, quominus omiſſa etiam Infante, Montemſerratum ad ſe pertinere denuntiaret, palamque profiteretur. Simul adnectebat de veteris Blancae dote Carolo I. Sabaudiae Duci per Palaelogos pacta, nec perſoluta; ſortemque ſuperantes vſuras, & harum ipſarum

*Caeſar tutelam Cardinali legitimam dato in id diplomate affirmat.*

*Sabaudus omiſſa Infante Montemſerratum ad ſe pertinere profitetur. Iura &c.*

ipſarum foenora, foenorumque foetus, ſubtiliter exſequendo repetebat ad octingentorum millium ferè ſummam; exſoleta ſanè, & vix quaerenda inter Principes, caeterum, occaſiones, & initia haud in longum iacta commouendis rebus, irruptionique faciendae. Gnarum id Cardinali, ſed otio innutritus, natura mitis ab Roma, & ab aula homo, Muſiſque, & amoenitate ſtudiorum, nec diuerſo etiam comitatu veterem militem horrebat. Romani ferè erant Graeculiue homines, ſermonum eruditioniſue cauſa aſſumpti, & prudentiae ſuae genere recte compoſiti cum Hero, quorum, & conſilijs ille vtebatur. Vnde callida pacata, perplexa reſponſa bellum quaerenti dabantur, ineratque temperamentum, ne tota ſpes vnquam abſcinderetur abſque tumultu, & diſcrimine armorum deſtinata potiundi, ſiue Infantem tradi denique vellet, ſiue Montisferrati loca aliqua placerent. Nullas vero pecuniae ſummas fore tanti, vt dirimerent vincula affinitatis, quam ne mors quidem ipſa dirimere totam potuiſſet. Dicebantur aſſiduè haec; caeterum, & inclinabat verè Ferdinandus ad pacem; nec ad eam modo ſed ſimul ad nouae cuiuſdam neceſſitudinis genus rarò vſurpatae inter mortales. Non tam forma Viduae, quam ſpectata nobilitas, modeſtiaque eius, & Regij ſanguinis ſpecimen, & fortaſſe quaedam amanti tantum intellecta gratia,

facilem

Hoc praetextu bellum molitur & turbas.

MantuaniCardinalis indoles, & eius aulae ingenium.

Aulicis artibus Sabaudus ab Mantuano trahitur.

Cardinalis propenſio ad Pacē.

Vidua abCard. adamata, eius nuptias ambit.

Quae maxime mouerent in Infante.

facilem ad eiusmodi desideria animum perculerat. Amoribusq; suis praetexens nomen graue pacis, & securitatis, cogitare de matrimonio coeperat, vt in corporis etiam illius iura succederet fratri, si Christi Vicarius, si mulieris pater annuere possent, vt inter Ecclesiae mysteria congressus ille reciperetur. Creditum inter paucos, dictumque est abhorruisse Sabaudiae Duci animum ab ea mentione nuptiarum, tamquam pollui, & contaminari sanguinem suum illa fraterni thori successione, atque per matrimonij nomen iniuria, & dehonestamento existimaret. Fuit enim vere Principi huic, quamquam in caetera eius vita, stomachus vere quidam in omnia, quae non ritu naturae fierent, & pari nunc fastidio auersatus esse dicebatur duorum fratrum vnam vxorem, vterumque filiae suae tali flagitio subijciendum si res acta esset. Ea tamen, quae secuta sunt indicium praebuere, non tam plebeia ista respicientis, quam etiam admissuri quidlibet atrocius, si rei, quam parabat, ita expediret. Respondebat velle frui paulisper adspectu filiae: videre neptim: ad caetera spatium fore, & sibi laetum, si qua noua necessitudine coniungi domus vtraque posset. Redijt Vidua tandem deducente Principe Victorio, quem pater in id miserat. Infans, promissa, nec tradita est. Potueratque frustatio illa Duci, asperare animum, nisi magnitudine consiliorum quae totis

Nomine Pacis Cardinalis amores suos praetexit.

Sabaudus ab hisce nuptijs primū abhorrere visus est, sed si in rem suam essent admissurus.

Callida Responsa Sabaudi.

Vidua ad Patrē ab Principe Victorio deducitur Infans promissa, sed non tradita.

Sabaudus ab hac re grauissimè commouetur, sed se praeclare vincit.

ſenſibus ille coquebat, clauſo iam pectore ſtaret aduerſus affectus quoque nouos. Sanè, cum digrediens à Cardinale Vidua non precibus modo, ſed lacrymis etiam, quae apud animum amantis omni prece potuerunt efficaciores eſſe, contenderet, vt ſibi ſolatium vnicum, leuamenque doloris filia concederetur, fractus, victuſque ille annuerat ea conditione ſcilicet, ſi apud Mutinae Ducem Infans deponenda eſſet, iſque iureiuraret, quandocunque foret repetita, reſtituturum ad patrios lares. Sed quia Mutinenſem ab eo negotio variae ſolicitudinum formae deterruerunt, ne ſe tam periculoſi depoſiti conditionibus implicari pateretur, Ferdinandus interim cognito, & damnato improuido ſuae facilitatis errore, recuſationem ſequeſtri eam obtentui ſumpſit, quaſi fides etiam ſua liberata eſſet; ac deinde praecisè de puella negando, matrimonij ſpem inchoatam vrgere pergebat. Mittebatque legatos, donec Epiſcopo Dioceſareae, qui ſe conciliatorem, interpretemque negotijs appoſuerat, reſponſum triſte datum eſt, quo perculſus, confuſuſque ille pro ſpe nuptiarum, belli minas, ac fere denuntiationem ad Ferdinandum tulit. Orſum namque dicere Legatum hunc Sabaudus interfatus, cederet extemplo aula finibuſque dixit, niſi ad res dedendas veniſſet. Itur deinde ad arma, quibus Catholicus Rex paulo poſt interpoſiturus ſua erat, vt qui ſibi diſcrimen ignobile

Vidua lacrymis ac precibus ab amante Card. contendit, vt ſibi filiam concedat.

Cardinalis aſſenſus ſi apud Mutinenſem Ducē deponeretur.

Mutinēſis Dux tam periculoſo depoſito ſe implicari haud patitur.

Ferdinandus praecisè negando puellam matrimonij ſpem inchoatam vrgere pergit,

Pro ſpe nuptiarum belli minas ad Ferdinādum ab Sabaudo Dioceſareae Epiſcopus fert.

Aula,& finibus excedere iubetur Mantuani Legatus ab Sabaudo.

ignobile propoſuerat cum altero Duce Sabaudus, inueniret magnis victorijs aequiparandum cum tanto Rege certamen, vtque prodenda litteris aliquando huius rei memoria eſſet tam diſparia nomina, Regem Hiſpanum, & Sabaudiae Ducem inter ſe conflixiſſe bello. Id ita poſſe accidere, neq; Dux ipſe autumarat, nec facile caeteri crederent, quibus cura, & otium eſt, aliena haec differre ſermonibus, vel vrgere coniecturis, & moeſto ſilentio tamquam ſua. Namque Cardinalis Ferdinandus, dum protegeret Romae rem Gallicam, per illud Regiae tutelae nomen, titulumque parum occultauerat alienationem animi quandam ab vniuerſo nomine, genteque Hiſpanorum, ſiue etiam vltro odium id praetulerat, ieceratq; inter quotidiana negotia voces, quarum apud Hiſpanos homines memoria in longum. Conſtabat etiam inter iſta rimantes, Patrem eius Ducemq; Vincentium, ſtimulatorem fuiſſe foederis aduerſus rem Catholicam icti. Specie peregrinationis hunc adiſſe Reges externos barbarica arma concientem. Adeo coniuratum, deditumq; fuiſſe Gallo, vt in extruenda ad Caſalem arce immiſcuiſſet ſubdidiſſetue fundamentis aenea lilia, laminaſue id inſigne praeferentes, haud aliter quam ſi mutuae conſpirationis arcana illa terrae viſceribus aeternùm cuſtodienda mandarentur, vel potius arx ipſa foederato regno per id pignus obligaretur. Praeterea,

Hęc belli initia longè nobilitatura Sabaudũ.

Cardinalis Ferdinandus Romae parum occultauerat alienationem animi ab vniuerſo nomine Genteque Hiſpanorũ.

Pater Cardinalis, ac Vincentius ſtimulatores foederis icti contra Catholicam rem.

In extruenda arce apud Caſalem aenea lilia fundamentis ſubdit.

terea; Margaritam, & Iſabellam filias ſuas meminerat,ſciebatque Sabaudus, Principi Franciſco illam, hanc Eſtenſi tunc fuiſſe collocatas, cum aduerſus Hiſpanum pactis occultis cuncta per Italiam, eodem inſtigante, atque conciliante Vincentio iungerentur; duaſque ſorores, ingenio, & ſuaſu potiſſimum illius, per domum vtramque ſic eſſe diſpenſatas, tamquam vincula animis ad fidem earum rerum, quas molituri vna fuerunt. Irritae conſpirationis hae reliquiae communes, magna ſecreta olim, nunc vulgata machinamenta in Regem, ſpem Sabaudo fecerant, manere iras in machinatoris eius poſteros, cùm interea ſi ſuperſtitem, ſi minus crimini eidem, at certè vltioni multa exemiſſent. Eſſe ſibi filios è ſorore Regis, & ſanguinem cum ea Domo per tot pignora conſociatum. Ipſum eſſe Auum vnicae heredis, Viduae patrem, quae verum heredem parere adhuc poſſit. Habere propria iura, vetuſtas actiones, reſponſa Caeſarum. Nihil facilius expeditiuſque Catholico Regi, quam modica diſſimulatione diſſoluiſse aes alienum, ob ea, quae pacta ſibi, nec praeſtita fuiſsent, cum vxor Catharina daretur. Id poſse fieri ſi tantummodo ſuis, & Mantuani armis, Catholica arma non interponerentur. Tutius demum, meliuſque in ſua, quàm in Cardinalis poteſtate fore Montemſerratum, quia ſtirpi fratris infenſus ille, Catholico Regi nunquam fidus,

Margarita; & Iſabella filiae Sabaudi vna Eſtenſi, altera Mantuano Cõciliatore Vincentio ad fidem rerum, quas contra Hiſpanum molituri erant foederati.

Irritae conſpirationis exitus ſpem facit Sabaudo, magnas iras apud Hiſpanum in Mantuanũ manere.

Varia, quae Sabaudum animant.

ſemper

ſemper in alterum pronus, nulliſque conſue-
tus neceſſitudinum vinculis, nunc id fortaſſe
meditetur, vt ſi tenuerit, habueritque fines, &
munimenta haec ſine mora Gallos inducat,
Cauſae ſimul, & cupidini ſuae fauens cogita-
bat iſta ſecum diſſerebatur inter amicos, ſiue
cogitari ab alijs, & dici poſſe arbitrabatur.
Caeterum iure, an iniuria decernere ferro ſe-
mel, atque experiri ſtatuerat. Niſi rem hoc
tempore iſtam ageret, tentaretque ab ea parte
prolationem finium, & Imperij nonnullam,
abſciſsa cuncta ſibi in perpetuum, ſeque inclu-
di finibus antiquis videbat. Cecidiſſe Regem,
quo viuo, atque adiutore nouare aliquid po-
tuiſſet: poſt caſum, necemque eius coaluiſſe
regna, interquae medio ſibi, diſſidia ſemper,
aut conata partis alterius quaeſtui fuiſſent,
ſtimulabat animum ſubiecta oculis regio, &
finibus ſuis immiſti fines, atque in proximo
terra, quae maioribus etiam ſuis petita, ne-
quicquam, exitum tantummodo litis cum de-
decore exprobrare videretur. Habebat autem
domi nobilem exulem è Sancti Georgij Co-
mitibus, quae familia munificentia Gonzaga-
rum opibus auctis, coeperat ijſdem eſſe ſuſpec-
ta, quaſi pluſquam Ciuilia agitaret. Eaque
ſuſpicio ſolicitauerat animos Ducum in tan-
tum, vt celebri nomine Cardinalem ſummae
ſpei proximum creditus fuerit Dux Vincentius
arcuiſſe Pontificatu modis artibuſque occultis
ob

Catholici arcana Sabaudus Dux diſſerit.

Decernere ferro ſtatuit Sabaudus, & Imperij prolationem ab hac tantū parte ſperat.

Mors Henrici IV. creſcendi ſpes omnes praeciderat Sabaudo.

Subiecta oculis longè pulcherrima Montiſfer. regio ſtimulat animum Sab.

S. Georgij Comes Guidus nobilis exul apud Sabaud. ſuſpectus Mantuano. Cauſae.

S. Georgij Comitis ira in Mātuanum ob deiectum ab Vincentij artibus Pontificatu ſupremo Patruū.

ob domus inuidiam? Ex ea domo Comes Guidus animo celſus, lingua manuque promptus, munificus in amicos fuit, ſimul praeterita reputans iſte, ſimul grauiora pertimeſcens, nec praeſentis conditione fortunae contentus, ſubducere ſe paulatim, atque ad finitimum transire Ducem animo intendit; moxque tranſgreſſus, in noua aula aliquandiu, tam prope à transfuga, & proditore habebatur, quam patruus ipſius prope à Pontificatu olim fuiſſet. Deinde conſilijs adhiberi atque in honore haberi coeptus, & poſt aliquanto facile princeps amicorum apud Sabaudum erat, non alia magis commendatione, quàm quia bellum hoc ſuadebat comperta ſibi omnia referendo, & aſperrima quaeque ad laborem, periculumque depoſcens. Eratque dictis fides, quia longa experientia intimoque vſu arcana Mantuae Ducum edoctus, & memoria patrui tanto infenſior habebatur, quanto magis res ampla, & opulenta Pontificatus, vnde illi abſtraxiſſent. Hoc igitur etiam auctore Carolus Emmanuel ad certam prope fiduciam animum ſuſtulerat. Sed & inuitamenta alia gerendae rei fuerunt, hinc Hiſpani ipſi, mox futuri hoſtes, hinc procator adhuc, & in media nuptiarum cupidine nihil expectans hoſtile Mantuanus. Namque ſicut imparatus iſte erat, ita Petro Azeuedio Fontium Comiti, cuius rigor horrori, & impedimento antea fuiſſet, ſucceſſerat in Prouinciae

Ad finitimam Ducis Sabaudi aulam metuens ſibi Comes Guidus tranſit.

Comes Guidus ad bellū accendit Sabaudum non conſilium tantū, ſed manū ad rem gerendam pollicetur.

Hoc auctore Sabaudus animos ſuſtulit.

Fontium Comiti Mendociae ſucceſſio, & procator adhuc Cardinalis nihil hoſtile timens bene gerendae rei apud Ducem inuitamenta.

cíae

ciae Mediolanensis administratione Ioannes Mendocius, nec bellorum vsu par priori, & addictus manifestè Sabaudo, atque obstrictus iam inde ab eo tempore cum inter Gallicos tumultus mitterentur Hispana auxilia Duci, ductorque popularium ipse praemium eius nauatae operae acceperat Sancti Germani dynastiam, qui locus in Pedemontanis est. Nec magis occulta fuere dona alia, quae sunt ei data secretò, cum factus Prouinciae Gubernator, Hastam ad colloquendum cum eodem Duce venisset. De Galliae Regina, quamquam matertera Cardinalis, securi animi erat Dux vel ob id vnum, quia inter muliebrem tutelam, & puerile rudimentum, cessatum illic fere esse ab armis videbat, artemque patrata nece teneri hanc, ne quid in turbidis, & aegris, atque suspensis Regni rebus temerè moueretur. Quod si subsidij tamen aliquid mittere Cardinali Regina vellet, id quidem etiam sibi fore optabilius, atque per eum modum, vim, & opes sibi conciliari Hispanas, oriente sic videlicet ira aduersus eum, qui externa arma in Italiam exciuisset. Pontificum Romanorum horrenda interdicta; sed & studia, voluntatesque diuersas. Cum vnius hominis capite verti illic, mutarique cuncta. Posse succedere infesto propitium, infestum per obsequium, artesque leniri. Cum principibus, dominationibusue alijs, quas aliqua cura negotij huius attingere posset,

Sancti Germani dynastia ab Sabaudo Mendociae attributa.

Donis apud Hastam ab Duce cultus Mendocius.

De Galliae Regina haud sollicitus Sabaudus. Artes, quibus per ea tempora Regnum administrabat explicantur.

Si Regina aliquid moueret sibi maximo emolumento futurum. Ratio

Romanorum Pontificum studia ac voluntates, vnius hominis capite vertuntur, ac mutantur.

De alijs Italiae Principibus leuis cura apud Sabaudum.

posset, aut conuenire sibi iam sciebat, aut postea conuenturum putabat; vel etiam nihili faciebat quosdam, capita imbecilla scilicet, & quieta metu. His ita firmatus, diuisis trifariam copijs, quas iam inde ab Henrici fine, apparatuque temporum illorum vanae spei reliquias, in spem hanc alteram, occultans pene retinuerat, treis incessus parat. Ab Chirasco, & Hasta, inde Verruae Comitem, hinc Alexandrum Guerinum, nocte quae fuit ad x. Cal. Maij mouere iubet, Albam, & Montemcaluum subita irruptione inuasuros. Ipse nocte eadem ab Vercellarum Vrbe cum sua manu egressus, cingentibus latera, Victorio, & Thoma filijs ad Trini moenia successit paulo ante lucem, oppidumque illud facta post triduum deditione recepit Prima claustra oppidi eius, exterioresque Cancellos disiecerat noctis adhuc obscuro admota feliciter machina recentioris inuenti, quae temperata sulphureo puluere concipit admotum ignem, vique, & impetu luctantium in arcto flammarum, ac subito cuncta fragore conuellit. Id ipsum ad interiorem deinde portam cum haud pari successu tentaretur, excitatis vigilibus, & luce superueniente ad arma repente conclamatum: ac tribus insequentibus diebus egregie oppidani propugnabant, aduersus omnia, quae ad Vrbium excidia nouis ingenijs, siue antiquitus reperta admouebantur. Et interfecti siue vulnerati aliquot

Trifariam Mōtemferratum aggreditur.

1613.

Albam, & Montemcaluum per Verruae Comitem, & Alexandrum Guerinū Legatos inuadit.

Dux ad Trini moenia cum Principibus filijs succedit.

Trinum facta post triduū deditione recipit.

Descriptio tormenti bellici, quod militari vocabulo, Petardum vocant.

Egregiè Oppidani propugnant.

aliquot eorum , qui machinas iniungebant; quiue adhortatores operis, siue ad rem consilio regendam immisti machinationibus subiere. Inter haec, corrupto promissis, & pecunia Praefecto, patefactae portae praesidiumque acceptum. Celerius, non tamen felicius eadem nocte apud Albam gesta res, erectis ad moenia scalis, & incusso portis ariete, captaque non dedita vrbs, licentia tenebrarum atrociter diripitur. Postquam dilucere coepit, clarius ad praedam omnia monstrante die, non tamquam ab nouo repentino hoste, sed velut irritatis diutuno bello animis, omnia saeuitiae exempla edita sunt. Pontificem eius Vrbis, in tali casu positis humi genibus ad aram trepidè supplicantem abstraxere. Conuitia ingerunt: verbera intentant; insignia sacrae potestatis diripiunt, aguntque captiuum; & mansit militari custodia cinctus, donec persoluta pecunia, quae imperata erat, vrbe pelleretur. Ad Montemcaluum, quae manus ire debuerat, cunctata paulisper, distulit eius loci cladem, quae maior deinde fuit, postquam expugnato oppido, expugnandae arcis mora cursum rerum tardare visa est. Saeuitia militum haec, & primi illi nocturni terrores, vno deinde tenore dedidere Sabaudo arces, & Castella alia tractus eius, vagante fama fieri haec proditione Praefectorum, qui specie defendentium, occasionem, & locum vere aperuere hosti; exulisque Guidi

Arcis Praefectus promissis, & pecunia corrumpitur.

Alba expugnatur.

Pontifex eius Vrbis foedè admodum ab militibus acceptus

Proditione Praefectorum pleraque capiuntur.

id opus fuit. Namque iste lateri Ducis affixus, vt ad quosque ventum erat, nunc euocatos ad colloquia populares suos, veteres amicos, nouos hostes, nunc occultè missis in praesidia epistolis, monere, obtestarique non desinebat, vt clementiam, & liberalitatem, quàm vim mallent experiri Caroli Emmanuelis: maturarent transire vltro ad eum, in cuius potestatem, belli iure fortunaque victoris traherentur: venderent, siue donarent id quod amitti oporteret, pretiaque offerebantur. Caeterum haec Sabaudiae Ducis arma, repentinique incursus, non tam ipsi per se commouerant erexerantque animos, quàm anxijs impleuerant curis, an sponte, nutuque Catholici Regis mota essent, haud immeritò ambigentes. Non aliter videri potuisse Ducem in id consilium impelli quo adhaerentem lateri Gallum, & principes Italos eodem tempore irritaret absque consanguinei Regis ope, praesidioque neutriquam par certamini futurus. Non rursus apparere, quomodo potuisset Rex idem auctor siue particeps esse consilij, quo Gallica arma mouerentur, turbareturue quies Italiae rerum, contra quam inter caetera illius Imperij arcana decretum sancitumque esset. Fortasse auctoritate Regis, occultoque mandato admoueri Mantuano tantùm haec terricula, haud aliam ob causam, quàm illius Casalensis arcis inuidia, scilicet, vt metu grauiorum, ad permutandi conditiones,

*Comes Guidus maximo vsui Sabaudo quid efficeret.*

*Catholicus Rex in suspicionem vocatur.*

*Intimos Catholici sensus, & regnandi artes in hoc motu Mantuano mortales variè interpretantur.*

conditiones, necessitatemue demoliendi addu-ceretur. Fortasse fieri astu, consilijsue Hispanis, vt duo finitimi, & suspecti Principes hoc inter se certamine committerentur, cuius exitu demum vterque fatigati, & debilitati, victor pariter, & victus inualidiores ad caetera essent. Erant, qui factas iam, atque diuisas Catholico Regi, cum Sabaudiae Duce, partes crederent, vt Monteferrato occupato, opportuna, & propiora sibi vterque haberet. Alij conniuere Regem, & vltro relinqui periculis hisce Mantuanum, vt in discrimine vltimo defensus, atque protectus disceret postea cum fide colere amicitiam, desineretque pessimam illam artem, & acceptum à maioribus illud, hinc sub vmbra, & tutela potentiae Hispanae viuendi palam, hinc eam carpendi in occulto, semperque hostilia agitandi. Nonnulli etiam affingentes callidiora consilia tanto Regi, siue mentem illius, & pectoris arcana diuinantes immissum ab eo vere discrimen credidere, vt repudiando deinde preces afflictae partis, & auxilia implorata negando, sanciret etiam irarum, & infensi animi terrorem apud caeteros, qui inter discrimina, & momenta haec Italiae rerum alieni, subdolique in se, & ingenio quasi Gonzagarum agentes haud tamen latebant. Simplicior interpretatio; annuere Regem, vt armorum terrore puella reciperetur, eaque recepta, pacis pristinae species Ducibus rediret.

Vt quidem adiectione vlla Montisferrati crescere Sabaudo fortunam vellet Rex, nemo tam simplex fuit, qui interpretaretur; idque tamen ex parte postea futurum erat, insigni conflictu necessitatum, mentiumque Regiarum, quae necessitates inter ipsas nequeant vnquam stare loco, reguntur que ab eis, non regunt; & dimicant ipsae secum infestius saepe; quàm quemadmodum acies inter se diuersae concurrere solent. Neque haec ipsa varietas clarioribus vnquam exemplis spectata est, quàm cum hoc tempore duo Duces ancipitem semper ipsi gerentes animum, etiam Catholici Regis contraria repente studia, mutatam illico mentem, translatumque fauorem expectationi, famaeque communi ostenderunt, conuersis pro Mantuano in Sabaudum armis cum in disceptatione, negotioque Infantis antea pro isto aduersus illum staretur. Et diuersae rursus postea vices parabantur, assumpto demum scilicet ad Mantuam oppugnandam Sabaudo; cuius mutabilitas, & inconstantia consiliorum, incertum iuri, an dominationis ingenio, pluma semper, ventoque fugacior, & mille trahens astutijs inennarabilibus colores, nostra aetate plurimum in ore famae fuit. Et quibus cogitationibus ea saepe agitauit animum meum, simul quomodo erga res Hispanas ille sese habuerit, depromere, ac explicare volo, vt non solum fortuita rerum, mutationumque istarum sed

Sabaudi inconstantia, & mutabilitas.

etiam ratio, causaeque noscantur.

Iam primùm omnium semper iste acceptam à maioribus artem solicitandi suspicionibus animos Regum tenuit semper, auxitque haud paruae hereditatis instar; & ars ea, velut alterum ei patrimonium fuit. Nam, quia Sabaudiae Duces duobus Regibus interiecti, ex opportunitate, situque locorum hoc habent, vt alterius praesidio nocere alteri posse videantur, id ipsi intelligentes, haud imperitè in compendia rerum suarum iam inde antiquitus vertere consueuerunt. Vltroque expetiti, vel certe non repudiati, nunc ex Catholica, nunc ex Gallica Regia vxores duxere filias, sororesque Regum, sic Emmanueli Philiberto soror Henrici II. sic Carolo Lusitana Beatrix, conciliante nuptias eas Caesare data est: Sic Philippus II. Catharinam huic dedit.

Auitae artes Sabaudi.

Ab opportunitate situque locorum maxima emolumenta, Sabaudi Duces duobus Regibus interiecti capiunt.

Ex Catholica modo, ex Gallica Regia vxores filias, & sorores Regum, ducere vetus institutum Sabaudis Ducibus.

Verum priores ista simplicius, antiquiusue tractabant. Carolus Emmanuel addidit, non deterioris modo huius aeui notas, atque vulgatas, sed & proprias quasdam, arcanasque suas artes, & commenta, tremenda ingenti hominum admiratione donec ea quoque vulgarentur, & vulgata vilescerent. Neque odium illi vnquam, amorue, sed vnde vtilitas Imperij spesue maior ostenderetur, eò transferebat animum, nunc pro Rege socero aduersus Regem Henricum, nunc pro eo in socerum, & postquam

Carolus Emmanuel antecessores suos longè astu, & alijs arcanis artibus superauit.

Caroli amor, & odium vnde vtilitas Imperij spesue maior ostenderetur.

postquam decessere isti, pari varietate in vtriusque posteros. Non bella, non foedera, non pacem aliter vnquam tractauit; matrimoniaque etiam quaesiuit non magis propagandi causa sanguinis, & stirpis, quam ad dolos, insidiasque Imperij causa struendas, tamquam, & haec bella essent.

Ab ijsdem artibus connubia Regum quaesiuit.

Coeperat autem à rebus Hispanis alienare consilia, & spes suas, proniorque esse in partem alteram, iam inde ab eo tempore, cum factus Gener ipse Regis, ad irritum cadere vidisset vota, & conatus ingentium rerum, quas sibi desponderat velut eius matrimonij dotem. Angebant, asperabantque virum, recepta dein amissa, & mox damno maiore redempta possessio salinarum: Delphinatus, & Prouincia oppugnata nequicquam: Et variae suspiciones infixae animo, tanquam à socero destitutus fuisset, tunc cum inter primos tumultus dubiaque arma Henrici IV. ad spem successionemque Regni, pari cum caeteris aemulatu niteretur. Praeterea non suum matrimonium aequatum alteri matrimonio, quo Clara Eugenia filia Regis eiusdem, Prouincias Archiduci detulisset.

Alienatur ab Catholico. Causae.

Crebrae hinc nunc querimoniae palam, nunc per occulta conspirationes, & semper tamen auxilij necessitas ex Rege soceroque eodem, in quem conspirare voluisset. Interdum

Fluctuatio animi Caroli Ducis nunc pro Rege modo contra Regem.

nescire

nescire Dux ipse quid sibi vellet. Et recedere penitus, alienarique ab Hispano horrebat: Et vellet alienari rursus, recedereque ita vt inter abrupta demum, hostiliaque cuncta, ne simulandi quidem, siue dissimulandi locus vltra esset.

Vt vero Philippo II. Tertius hoc nomine successit, alijque homines, alia forma rerum; in Italia Petrus Henriquez in Regia Dux Lermae domini, tanquam, & arbitri fastidiebantur, serio tandem, coniurare destinabat. Nec eadem vincula, cum nouo Rege, nec par metus si eò ventum foret, vt hostis ipse iudicaretur. Missaque in Hispaniam parte prolis tamquam ad firmandam fidem, praemiaque elicienda, versa in contrarium erat res, posteaquam scilicet nec praemia satis vlla placuerunt, & Principum alter ibi obijt ambiguis multorum vocibus, aut suspicace silentio ob iurgia cum Lermae Duce, qualia fere inter iuuenem Drusum, & Seianum orta quondam, is qui simplicior erat luit; Et manum pariter intendisse Lermaeo Princeps ferebatur.

*Ab Philippi Secundi excessu Carolus serio coniurare destinat. Causae.*

*Pars prolis in Hispanias Missa.*

*Principis Philiberti iurgia cũ Lermaeo Duce.*

Etiam sine his alienatus, & fluctuans, vt dixi, sua sponte Sabaudus, idemque tum natura, tùm arte factus vnice ad tegenda, & coercenda intus quaecumque affectu aliquo perrumpere, & nudare animum humanum possunt, clauso penitus, & tumente magnis cogitationibus

*Summa Caroli Versutia in dissimulandis, ac tegendis consilijs.*

nibus pectore, tentabat in vtraque Regia fortunam, vt ei ſeſe parti committeret, quae pars praedae ſibi plus obtuliſſet ex pernicie alterius, quaeue incautior ad perniciem vltro admittendam fuiſſet. Conſtitit, eodem tempore legatos in Hiſpania, legatos in Gallia fuiſſe, petentes Principi Victorio coniugia compoſito in eum modum artificio, vt detecta duplici illa negotiatione, & procatu, quem interim magni ſecreti more velabat; aemulatio inter Reges oriretur occupandi generum, ſibique aſſumendi, ne alter aſſumere, & praeoccupare feſtinaret. Simul conſanguinei Regis filiam filio ſuo in matrimonium petebat: ſimul aduerſus eum inibat conſilia cum Galliae Rege; & rurſus in hunc arma inducere Regi alteri conabatur, a quo repudiatus vertit penitus ad Gallum, ibique conquieuit.

*In vtraque Regia fortunam tentat.*

*Eodem tempore Legatos in Hiſpania, ac Gallia habeat petentes Principi Victorio coniugia.*

*Quò artificium ſpectaret.*

Mox ducta illinc nuru, legitimo, Sanctoque nuptiarum earum foederi foedus aliud contra Catholicum Regem, Auſtriacamque domum immane, infelix ipſo inſtigante adijcitur, quod vnius lymphati hominis dextera diſcuſſit. Ex eo tempore diſſimulatione Hiſpana tolerabatur Dux. Datum id publicae paci, Principum aliorum precibus, neceſſitudini ſimul, matrimonioque antiquo; & Imperij magnitudini conuenire viſum, vt ſicuti tempeſtates, & alia Caeli mala pati neceſſe eſt, ita Principis eius, ſiue

*Foedus contra Catholicum immane Carolo inſtigante, quod Parricida diſcuſſit.*

*Diſſimulatione Hiſpana toleratur Dux ab irrito foedere.*

*Pulcherrima ſimilitudo, qua Imperij Catholici magnitudini ſic conuenire viſum eſt.*

siue fortunae, siue quibusdam ex natura vitijs ignosceretur.

Dictum namque semper de hoc Sabaudiae Duce, creditumque ita est. Ad nomen, captumque Reguli nimium habere terrarum, ad fortunam, Maiestatemque Regis paucula obtinere glebas; Ingeniumque viro mediocritatis impatiens, inter duo extrema aestuare sic, atque inquietari debuisse, & inquietare alios, & pericula adire, & nihil assequi vnquam coniurareque, & deprehendi, & fieri denique quemdam fortunae ludum, ac praebere caeteris exempla, vt quieta turbidis antehaberent. Nunc demum etiam mouerat arma haec, quibus turbaret Italiae Statum, Maiestatemque Regis ad quem quieta hic esse omnia praecipuè pertineret, & cui quies ad eam diem publica accepta referebatur.

*Quid ponderatet Dux Carolus*

*Carolus inter exempla datus, vt quieta turbidis antehaberentur.*

*Turbat Italiae Statum Maiestatemque Regis Mantuano motu.*

Ac sciens ipse opinionem omnium, veritus quasi famae susurros composuit vltro vulgauitque libellum, per quem se Deo, & Italia, & Rege coram purgare nitebatur, rationemque facti tanquam in Senatu reus exponebat. Inerant obtestationes, & preces ad Pontificem Maximum, ad Caesarem, ad Regem quoque ipsum, vt maiorum suorum, antiqua iura se repetentem aequis oculis adspicerent iuuarent, neue orientem morem spoliandi domos antiquas inultum esse paterentur. Se

*Libello publicato se purgat.*

*Quid contineret libellus.*

namque cum pupilla ſua Montisferrati poſſeſſione eſſe ſpoliatum; neque tamen abnuere, ſi qua hominum aequitate res ad concordiam adduci poſſet. Dabat, & famae Anglica ſubſidia venire ſibi, atque in parte operis ex longinquo adeſſe rebelles Hollandos; magnifica verbis, re inania; quantoque maiore aſtu vulgabantur, tanto magis in rerum exitu declaratura eiuſmodi artium vanitatem.

Magnificè de Magnis ſubſidijs ſibi venturis praefatur.

Exitus huiuſmodi artium vanitatem declaraturus.

# EPITOMA
## LIBRI SECVNDI:

FErdinandus Cardinalis inter amores trepidat. Deperit ille Viduam, & Viduae Pater amanti Principi bellum indicit. Principis animi confusio, & varij affectus declarantur. Hispaniarum Protector apud Summum Pontificem ab Rege Catholico dictus recreatur. Verùm ipsas inter maximas spes animo languet. Tanto Hosti impar si cum legionibus, maior si cum libellis sit pugnandum. Ob lenta ab Mediolano missa auxilia, Mendotium, & Catholicum arguit, hunc vt conniuentem, alterum vt pecunia emptum. Venetus Senatus & Magnus Etruriae Dux ob Rationem Status adesse Cardinali statuunt. Sabaudus Montemferratum vastat, tyronum legiones Mantuani diffugiunt. Truculenter Sabaudij Victoria vtuntur, Albae Episcopo vincula indita. Sontes emerito supplitio ab ipso Duce Sabaudo milites puniuntur. Montisferrati postremò fines, flumina, quae illum interfluunt, & munimenta illius Prouinciae, hoc libro recensentur.

# IOSEPHI RIPAMONTII
## CANONICI SCALENSIS
### CHRONISTÆ VRBIS MEDIOLANI
# HISTORIÆ PATRIÆ
## LIBER SECVNDVS.

Card. Ferdinādi trepidatio dum amores ſuos ad bellum ſpectare videt.

AT Cardinalis Duxque Ferdinandus intento adhuc in viduam animo, & ſpe nuptiarum haud vnquam omiſſa ſopitus, nihil cogitans hoſtile, nihilue ſuſpectans, poſteaquam irrupiſſe Sabaudum audijt; claſſico hoc repente excitatus, ſenſerat demum, cuius rei obliuiſcendum ſibi eſſet. Multis vno tempore cogitationibus aeger, nec ſolatia moerori, nec remedia malo reperiebat, propterea quod iſta ſibi inuicem impedimento erant. Sed minorem illam curam ſemper ex otio naſcentem facile diſcuſſerat metus de ſumma rerum, ex imaginario ſocero certus iam intra viſcera hoſtis, amoribuſque ſuis, & vaniſſimae ſpei ab ſene milite inſultatum.

Obtorpet metu inops conſilij.

Confuſio animi Cardinalis.

Confuſumque ita animum magis adhuc aliquandiu confundebant ſubſidia ipſa, quae ſperarat. Quippe, ſicuti per quietem oblatae ſpecies, euaneſcunt, atque volentem com-

comprehendere ludificantur: ita visa subito dilabi, abireque ex oculis, & excidere manu cuncta simulque; atque iisdem ipse trepidare, quibus terreri posse hostem antea credidisset. Crediderat autem praesidia in primis fore sibi, hosti vero terrorem, Imperia duo, quorum Maiestatis, ac potentiae semper illud haud leue opus inter caetera habitum est, vt minores Principes reuerentia, respectuque ipsorum, pacem inter se colant, promptis videlicet armis in eum, qui opprimere alterum velit, & parata statim in validiorem vltione. Sed praeter communem eam Regij praesidij fiduciam, quae ab notissimis secretis, artibusue Regum manaret, propriae quaedam erant, singularesque causae, cur Mantuanus vtrinque auxilia speraret. In Gallia Regina matertera ipsius: In Hispania veteres irae aduersus infidum amicum, occultum hostem, atque inter ipsa affinitatis iura cum hostibus ancipiti semper animo coniuratum, nunc vero etiam rupta reuerentia hostiliter in Monarchae pene oculis per Prouinciam ausum mouere arma. Quantoque magis aggrauare videbantur, & vrgere ista Sabaudum, tanto laetiora sibi alter ex diuerso interpretabatur. Acceperat etiam per eosdem dies opportune ad confirmandum optima spe animum Regias litteras, & quaesitum sibi diu expetitumque diploma, quo Protector Hispaniarum

Crediderat minores Principes duorum Regũ reuerentia pacem debere inter se colere.

Ab vtrisque tamen Regibus auxilia sperat. Quæ suaderent

Protector Hispaniarum ab Rege Catholico per eos dies Card. Ferdinandus apud Pontificem declaratur.

miarum ipſe apud Pontificem Maximum reperta dudum à Regibus, & in res Romanas adulatione declarabatur. Ingentia pignora ſecuritatis, & in tanto diſcrimine fauſta cuncta, niſi ad ludibrium quoddam, ſpectaculumque fortunae principalis congruere, ita hoc deberet, vt ex ipſis quemadmodum dixi ſubſidijs, & auxilijs terriculamenta Duci in eo repentino bello, ſubitaque hoſtili irruptione pararentur. Namque in ſermonibus, in conſilijs, & ſuper menſa interdum diſputata, atque repraeſentata ſubtiliter haec, vbi periculum, & neceſſitas aduenere, fruſtra requirebantur. Ad primos nuntios, & trepida poſtulata Cardinalis, pariter vna cum eo trepidare Regina, & quamquam virilibus ad caetera curis, pleraque alia vitia foeminarum exuiſſet, tamen in eo negotio haeſitare muliebriter, ac neſcire quid conſilij capiendum ſibi eſſet. Nolle deeſſe Cardinali Duci ſororis filio, cui praeter neceſſitudinem eam, charitatemque ſanguinis etiam auxilij ſui fidem in principio rerum obſtrinxiſſet. Nolle rurſus cum Sabaudiae Duce cauſas vllas contraxiſſe belli, ne, & accolam eum hoſtem haberet, & armorum eorum occaſione quies etiam domeſtica turbaretur, grauius velut in aegro corpore malum, quam ſi integra illic omnia, & ſana eſſent. His turbata Regina, nulla quidem arma pro Mantuano nullaſue ſuppetias, ſed experiri legibus, mittere legationes

Augetur ſpes hac declaratione Cardinali. Eius frequētes ſermones.

Galliarum Regina haeſitat, vellet, ac nollet deeſſe Cardinali.

Armorum loco legationes parat.

tiones parabat. Nec ſanè muliebre conſilium id; malle ſapientia, & authoritate, quam per acies, atque per diſcrimina infeſta confeciſſe bellum. Ita deſtitutus ab ea pariter Mantuanus erat, & dum in Gallia conſulitur per Montemferratum circumferebat iam pene victricia arma Sabaudus, & Regionem eam latè perſultabat. Hiſpana auxilia, quae ab Mediolano venire debuerunt, praeterquamquod nulla aderant, coeperat etiam Gubernator ipſe magnopere ſuſpectus eſſe Cardinali, tanquam, & mandato Regis, & ſuo nomine priuatìm cum Sabaudiae Duce foedus ictum in eo Mantuano negotio haberet. Auctaque ea ſuſpicio eſt, poſteaquam profectus ipſe Mediolanum nihil amplius à Mendotio impetrare potuit, quam vt copiae militares, quae ab Mantua in Montemferratum mittendae eſſent, per Prouinciae fines cum bona pace iter haberent, idque etiam difficulter, atque aegrè in magni muneris loco datum. Aliquanto poſtea tamen duae equitum alae ſubſidio mittuntur; & ſex millia peditum conſcribi tanquam conſcripta iam, & parata promittebantur. Lenta omnia, & incerta, nec ſatis valida aduerſus tantum hoſtem, etiamſi id copiarum iam in procinctu eſſet. Cauſam, rationemue cunctandi ita, & fruſtrandi, non modo tacita ſuſpicione Mantuanus, ſed & haud obſcuris plerique ſermonibus eo referebant, quod acceptis

*Dum Galliæ cõſulitur per Mõtemferratum circumfert victricia arma Sabaudus.*

*Ab Mediolano auxilia non veniunt, timet ne Rex occultum cum Sabaudo foedus habeat.*

*Augetur ſuſpicio poſtquam nihil copiarum impetrat, ſed tantum liberũ per Prouinciam iter, ſi per Inſubriae fines Mãtuanae copiae traducendae ſint.*

*1615.*

*Duae equitum alae ſubſidio ab Mendotio Mãtuano mittuntur, & ſex millia peditũ conſcribuntur.*

acceptis à Sabaudo muneribus, obſtrictus, deuinctuſque Gubernator gratiam ei viciſſim hanc referret, opportuna cuncta vincenti, nudaque, & infenſa relinquendo, contra quam illius etiam Maieſtati conueniret. Credidere alij nullas corruptelas; nullaue ſuper ea re propria mandata fuiſſe Regis; caeterum eo attineri Gubernatorem, quod defendendi cauſa cuiuſquam mouere Regia arma litteris, commentarijſque Regijs in commune fortaſſe vitaretur. Interea tamen ab Venetis, & ab Florentiae Duce parabantur auxilia Mantuano, quae mitterentur; Neque id cura, & ſolicitudine rerum illius, ſed orta ſuſpicione apud eos, ne bellum id quidem à Sabaudo palam ita gereretur, praemia vero belli Monsferratus, & caput Regionis Caſale, & inter militares viros tantopere celebrata illa munimenta Arcis, quae paruae Ciuitatis inſtar habentur, idque nomen occupauerunt, occultè Regi deſtinarentur, eique demum in rerum exitu ceſſura eſſent. Haec in periculum, atque diminutionem Imperij ſui trahebant, Dux, quem magni cognomentum ante caeteros ad circumſpicienda iſta ſtimulabat, & Senatus, qui ſe veteris Romanae Reipublicae ſpecimen, atque reliquias, haud immeritò eſſe gloriatur. Non ſecus, atque in ſuo pars vtraque diſcrimine, quantum pecunia, quantum milite poſſent

Lentè hæc omnia adminiſtrantur timetque ſibi Mantuanus ne muneribus corruptus Mendotius conſulto nectat moras.

Mendotius excuſatur.

Veneti, & Magnus Florentiæ Dux auxilia parant, non de Mantuano ſoliciti, ſed de ſe ipſis. Quæ mouerent.

Venetus Senatus veteris Reipublicæ Romanæ ſpecimen.

contra Sabaudum adeſſe Mantuano ſtatuerunt. Eaque diuulgata res ac promulgata fama pro ſubſidio etiam aliquo ſtatim afflictis Mantuani rebus fuit, apud eos, qui primo impetu, vique Sabauda concidiſſe Ducem autumantes, tanquam proſtrato iam, ac plane deuicto inſultaturi erant. Nam, vt quique per Montemferratum opibus, & auctoritate praecipui, momenti plurimum in quamcumque partem inclinauiſſent, facere poſſe videbantur ab exule ſicuti dictum eſt, & perduelle Guido corrupti ſiue tentati, nihil aliud morae habebant, ad rebellandum, deſerendumque Ducem, niſi quod inclinationes, atque conſilia horum Italiae Principum ſpectabant, & praeter eam, quam dixi de Hiſpano occulto foedere ſuſpicionem, Veneto nunc, atque Hetruſco hoc motu continebantur. Callidius alij negotia, ſtatumque rerum intuentes alta quadam, & ſecreta ratione, de qua in priore libro dictum eſt, differri opem cenſebant, vt vel in praeſentia deſtitutus, vel adiutus in tempore poſtea Cardinalis, vim Catholicam diſceret obſequio deinceps, ac fide conſtantiore reuereri, atque ad permutanda, ſiue paciſcenda quaedam facilius, ac deteriore ſua conditione adduceretur. Ea opinio, quorum ſederat animis terribiliorem ibi Sabaudum, atque in manifeſta iniuria, belloque ſicut multi credidere iniuſto, pene

Omnibus viribus vtrique contra Sabaudum Mantuano adeſſe ſtatuunt.

Haec fama fraenat tantiſper ruētē Mãtuanũ multi Montisferrati, qui ad rebellandum ſpectabant ab conſilijs iſtorũ Principum retardantur.

Quae eſſet mens Catholici in hiſce motibus, callide nonnulli interpretantur.

Terribilior apud multos Sabaudus, ſi cum eo conſentit Rex.

pene venerabilem audita Hiſpana ſocietatē efficiebat. Mantuanus ipſe niſi tegeretur Hiſpanis armis inualida, & infida cuncta ſeque deſertum fore exiſtimans, trepidabat, vt dixi verius, quam bellum gerebat, atque tam turbidis conſilijs, & fluctuanti animo pares euentus ſequebantur. Notatumque eſt turbatae mentis inter caetera etiam illud, quod Hiſpani auxilij ſpem aliquam tentabat ſimul, & vltro ſibi eam abſcindebat, iaciendo quaeſtus, & minas, & inimica verba Venetoſque ſecum in conſilia deſperata vocando, quia non ſtatim pro ipſo bellum capeſſiuerat Rex. Inter haec ſimul initia belli, ſimul anguſtias deſperationeſque rerum, duae expeditiones eius fuere, quarum vtraque auxit hoſti animos, ſemel cum Vincentius frater, & quingenti cum eo miſſi in Montemferratum equites, praedas tantummodo egere ex Terra, quam à populationibus tueri debebant, iterum, cum duo millia tumultuarij, & collectitij militis, ad Trinum, dum adhuc oppugnaretur is locus, miſſa ſubſidio, in traiectu fluminis, auditis bombardae fragoribus recuſarunt pergere iter, ſtatimque gradum retro auerterunt. Quae fuga recuſatioque tyronum, & flagitium haud dubiè militare, mirum quantum Mantuano obſuerit ad famam exiſtimationemque communem, qua ſtare bella, haud falsò eſſe dictum reor. Mox ille

Mantuanus niſi Hiſpanis armis tegatur, inualida, & infida cuncta, ſeq; deſertum exiſtimat.

Tentat, & ſibi eodem tempore ſpem abſcindit Hiſpani auxilij Mantuanus adeo fluctuat.

Duae expeditiones parum proſperae Mantuani augent hoſti animum.

Vincentius frater, & 500. equites cum eo miſſi praedas tantū agunt ex Monteſerrato ne viſo quidem hoſte.

Collectitia alia manus, auditis bombardae fragoribus gradū retro auertit, dum ea Trino laboranti ſubſidio mittitur.

Fama bellorū domina.

ille litteris, ac libellis, qua sola virium parte hosti par esse poterat gerebat rem, & quoniam vulgauerat Sabaudus libellum, de quo antea retuli, rursusque libellus ex eadem aula sub incerto auctore alter prodierat, ipse pariter, ne facundia, & subtilitate respondendi vinci se pateretur, protinus districto acumine styli adstitit in aciem, telaque verborum huiusmodi contorquebat. Fortem Imperatorem, egregios Duces, quorum subitae nocturnae manus ius gentium, sacra legationum, sacrorum caeremonias, religionemque violarint. Namque dum foedera, & pacta nuptiarum agitarentur, dum super ijs rebus legati commearent, irrupisse hostiliter, beneficioque tenebrarum expugnauisse templa, spoliasse Sacerdotes, trucidasse quidquid aetate, sexu, somno, inualidum, obuiumque daretur: At non sic Maiores ipsius gessisse bella; quarumque rerum, litium, causarum, controuersiae, super Monteferrato incidissent, de ijs rebus ad Pontifices, Caesaresq; consuesse ire priusquam ad arma irent. Quem honestum morem, auitumque institutum, quoniam ille soluisset, se quoque solutum esse religione promissorum, nec amplius teneri pactis conuentis, abolitaque iam, & cassa quaecumque cum Principe Victorio pepigisset. Haec, & alia de repentino illo motu, subitaque impressione Sabaudiae Ducis in Montem-

Litteris, ac libellis par Mantuanus hosti.

Quae continerent Mantuani libelli.

ferratum.

ferratum. Conuerſo dein ad capita rerum humanarum ſermone, Pontificem, Caeſaremque, & Regem obſecrabat, vt cognita cauſa, & penſatis hinc inde rationibus, ius iniuriamque diſcernerent, ac prout feciſſent de parte vtraque iudicium, caetera ſapientia, & aequitate ſua moderarentur. Nam ſi ipſe aut repetentibus res legatis ſuperbè reſpondiſſe, aut cauſam aliam dediſſe bello reperiretur, non recuſare quominus irae omnes, cladeſque belli reciderent in ſuum caput, daretque poenas ipſe turbatae publicae quietis, quod ne alter quidem recuſare deberet. Talia quidem ſcripſerat, edideratque repentino bello implicitus Cardinalis, & in eamdem ſententiam ſimillima iſtis per manus quotidie mittebantur ab hominibus, quos Politicè litteratos in familia ille habebat; ac ſi verborum diſceptationis res eſſet, ſuperior vtique Mantuanus erat. In parte altera direptionibus, & incendijs caedibuſq; victoria exercebatur, qualem inter barbarica etiam arma nimiam, atque inſolentem quilibet diceret, nec foediora exempla Mahometanus edidiſſe ferebatur, cum per eoſdem forte dies noſtris litoribus inuecti Pyratae ritu belluarum illic egiſſent. Namque haud alio, quam Turcarum verè impetu Allobroges Subalpini ſemigalli, immo potius ex Galliae rebellium colluuione pars maior, monſtra, pecudeſque

Aequitas, & moderatio animi Mantuani.

Saeuitia Sabaudi in adminiſtrando bello.

Cuius generis mortales Sabaudi milites eſſent

citu,

Sacra violantur, & Catholicae Religionis mysteria irrisui sunt.

armatae, queis Pontificatus, & mysteria nostrae Religionis ludibrio, atque irrisui sunt, & inania sine rebus nomina habentur, laeti haud minus occasione proculcandi ista, quàm militariter furtis, & rapinis in Christianorum exercitu, in florentissima Italiae parte, sub oculis Romani Pontificis, in Prouinciae conspectu, quae Catholico Regi Caput, & summa rerum Catholicarum est, spectacula infanda haec edidere Sabaudiae Ducis miles. Parsque minima furoris ab licentiae eius fuere vincula apud Vrbem Albam sicuti narraui indita Episcopo, cum ad aram in genua prouolutus, transitum tempestatis ibi expectaret sibique, & populo diuinam opem in tanto discrimine desperata publica salute, & honestate exposcens. Detraxere Pontifici non solum insignia dignitatis, sed etiam vestimenta caetera, quibus corpora hominum velantur ad pudorem. Verbera deinde, & ictus, & his grauiora ludibria contumeliaeque nudo corpori adduntur. Nec aliam ob causam à vi extrema caedeque temperarunt, nisi quòd pactam pro capite pecuniam, & pretia redemptionis, parcendi causam habuere. Cum in Episcopum, antistitemque sacrorum ita saeuitum esset, nihilò mitius in sacra ipsa, ministrosque caeteros, quacumque irruerant belluae nullo resistente debacchabantur. Vasa in primis omnia, vestemque & instrumenta destinata

Albae Episcopo vincula indita, & praeter extremam vim omni contumeliarum genere ab Sabaudi militibus habito.

Cur ab caede temperauerint.

stinata

ſtinata myſterijs,quibus ſalus noſtra continetur rapta verterunt ad promiſcuos vſus, & ne gratuita ea impudentia eſſet, pyxides, caliceſque, & Altaris omne miniſterium ( honos auribus habitus ſit) polluere modis, vſibuſque, quibus honeſta verba deſunt. Neque illud abſque horrore retulerim, quod cum fieret ludus, riſuſque barbaricis illis, & exercitui impiorum, noſtris horror, & luctus, & ſpectaculum flebile, atrox fuit. Nebulo Allobrox, Galluſue fugitiuus (talium fere exercitus ille erat) in trabea, in ſtola, in linteo ſacro amictu comparuere, quae detracta ſacerdotibus, ſiue ſublata è ſacrarijs, ornamenta, ſibi, & equis phaleras induſia criſtas, per laſciuiam fecerant, ſiue etiam nuda corpora latronum in formam, ritumque veſtium his proprie ſuccingebantur. Sacerdotum alios abduxere ſecum, alios obtruncauere quaſi per iram, alios tanquam ignoſcerent naſo, auribuſque deciſis viuere iuſſerunt, oſtentui clementiae, & in ſacra dehoneſtamento. Loca vero omnia puri, & inuiolati ſoli, penetraliaque ipſa talium locorum, quò niſi puris animis pedem intuliſſe nefas ſit, in eadem vilitate habuere, qua ſtabula iumentorum, & ſi quid his nominari odioſius, indigniuſue poteſt. Induxere ſcorta, & equos illuc, ipſique, in domicilijs, in ſede myſteriorum, & ſtabulati ſunt, & admiſere

Vaſa omnia, veſtes & inſtrumenta deſtinata myſterijs ad promiſcuos vſus vertunt.

In trabea, in ſtola in linteo ſacro amictu comparuere nebulones illi.

Sacerdotes pars obtruncati, pars captiui, pars etiam mutilatis membris viuere iuſſi.

Loca inuiolati ſoli in ſtabula iumentorum conuerſa. Scorta in Sacras aedes inducta.

miſere alia, ab quibus iumenta ipſa propter indignitatem, & horrorem, ſtimulante natura ſeſe auertiſſe exiſtimo. Dicatas etiam Deo Virgines, ingreſſi pudicitiae clauſtra, turpitudine, atque inhoneſtate confuderunt: & aut mortuas inter tormenta illa quaſdam conſtabat, aut à ſtupratore vulneratas in mortem, quia verſae ab verecundia in furorem tentauerant pugnam, inceſſendoque digitis oculos, & ora conſputando, adſpernatae complexus, abominatae oſcula erant coegerantque libidine omiſſa, diſtringere ferrum. Seminuda, & imbellis, & ante haec arma egens famelica turba, quae ſi hoſtem habuiſſet, abigi ſcopis, aut fuſte poterat prima irruptione, licentia tenebrarum, deinde per occaſionem, atque ſolicitudinem ſuperfuſa regioni, quae Montiſferrati nomen è ſitu accepit, Sabaudiae Ducis auſpicijs ita geſſerat rem. Ipſe tanto dedecore ſe exſolutum putabat, quia puniri quoſdam iuſſerat, & furcis paſſim, arboribuſue nonnulli pependerunt. Ita non proſpero ſolum euentu, ſed ſecunda etiam quemadmodum ipſe rebatur fama, exiſtimationeque hominum intra paucos dies, partem Montisferrati eam, quae ſuperior dicitur fere habebat; caetera mox inuaſurus, ſi par fortuna coeptis annueret. Montisferrati tractum Tanarus amnis interfluit. Hinc geminatum regionis vniuerſae

Violata clauſtra Virginum, multae corruptae, ac in ipſa deflorationeobtruncatae.

AbDuce puniũtur ſacrilegi, multique meritò è furcis pependere.

Tota ſuperioris Montisferrati pars Sabaudo paret.

Tanarus Montisferrati tractũ interfluit.

ſae nomen, & conſenſu, vocabuloque gentis medio gurgite diuiſa terra in duas partes. Cum vlteriora dixere, deſignant Aquas, & Albam, & quicquid illud opimi, feraciſque ſoli inter Sauonae oram, & Haſtenſem Alexandrinumque agrum per plana, per arrecta procurrit. Vergunt ea magis in meridiem, poſſuntque altero diſtinctu pars inferior appellari. Citeriora fluminis eiuſdem, & latius patent, & congruit nominis quoque honos. Montisferrati ſuperiorem partem hanc meritò appellaueris, damuſque diſcriminis cauſa id nunc ei vocabulum. Oritur ab Seſia amni, quà in Padum is effunditur: per Vercellenſem agrum excurrit: Ad Alpes vſque pertinet, atque Subalpinorum ſeſe finibus inſinuans, Auguſtam Taurinorum penè attingeret, niſi ad ſextum milliare reprimeretur. Totam eius longitudinem permeat celebri fama Padus. Munimenta habet Caſalem, Trinum, & Montemcaluum, quarum Arcium prima Mediolanenſis Prouinciae fines adſpicit. Altera ab Vercellis obiecta Sabaudo eſt: Tertia aduerſus accolam eumdem ſtat, qua viciſſim ille ab Haſta facere impetum poſſit. Caetera regionis eius inermia, aperta Subalpinis ſunt, ac ne montibus quidem, fluminibuſue ſeparantur, aut teguntur. Ipſi per ſe iuriſdictionis, & Imperij limites ante bellum hoc, parti vtrique pro munimento erant. Poſtquam, & cauſis,

*Diuiſio Montisferrati in ſuperiorem, & inferiorem partem.*

*Quae ſuperior, quae inferior deſignent loca.*

*Tanarus ex Seſia amne oritur eius curſus deſcribitur.*

*Munimenta Montisferrati. Eorũ ſitus explicantur.*

*Caetera Montisferrati inermia, ac aperta Subalpinis ſunt*

*Limites vtrique Imperio ante bellum pro munimento erant.*

& initijs ; quae demonſtrata ſunt irruperat hoc tempore Sabaudus, partemque Montisferrati victor fere totam habebat hanc, quam in deſcriptione Prouinciae ſuperiorem appellari diximus, maiores ille, quàm pro re geſta gerebat animos, & Regum haud dubiè opes infra ſe deſpectabat.

Sabaudus iam fermè infra ſe ab Victoria Regum opes deſpectat.

*Cetera Belli Mantuani, aut non scripsit Historicus, aut si scripta sint periere. Itaq; quò legentes interruptae Historiae desiderium lenius ferant, haec apposita sunt, ex quibus supplere volentes seriem perdiscant.*

Commouerant haud dubiè omnium Italiae Principum animos hi motus, suspensiq; & nimis laetis Sabaudi rebus irati, tempestatem, veluti ex alto conspiciebant. Catholici conniuentiam mirari, eamq; suspectam esse, Galliæ Reginam in tanto tam arcti affinis concussu conquiescere, Fama suo more procax, & ludibunda variè alta differebat. Sed iam Legatus Apostolicus & Caesareus componendis motibus in Pedemontem venerant. Quibus Sabaudus serius quam potuit, sui adeundi potestatem fecit. Castillionaei Principem, hic ab Caesare venerat Moncalerij audiuit. Qui licet in mandatis haberet, Maiestatis indignationem comminari illi nisi capta illicò restitueret pertinere ad Caesaris famam ac dignitatem cui Italicarum rerum suprema cura esset, diffidentes inter se Principes componi, mira tamen suauitate transegit, adeò vt Dux in Catholici manus, se traditurum Montemferratum promitteret. Verum hanc conditionem Mantuanus respuit Hynojosae Marchioni diffisus, cum ille vel peditum mille subsidium negasset, quò effectum erat, vt tot loca amitteret, & Pontestura grauiter periclitaretur. Ijsdem artibus Legatum Apostolicum cum ambiguo responso dimisit. Qui tamen ab Insubriae

Praefecto obtinuit, vt aliquot Hispanae cohortes, sublato vexillo Regio Ponteſturam ingrederentur. In cuius obſequium, ac reuerentiam ceſſere hoſtilia Ducis & ad Nicaeam ire perrexit occupandam. Verum haec ab Marchione Monfrino Caſtilionaeo egregiè deffenſa eſt. Haec inter, in Aulam Dux Principem Victorium legauerat. Sed vix ad Barcinonem egreſſo citus nuntius ab aula venit, litteraſq; Regis tradidit, quibus ſubſiſtere iubebatur, donec noua mandata ſuperuenirent. Egitq; ibi multos dies cum ſummo animi moerore Princeps Victorius. Interea Hynojoſae grauiter præceperat Rex, vt celeritate maxima quanta poſſet, mouere caſtra in Montemferratum pergeret, daretq; operam, vt illius tractus capta auito Domino redderentur. Nec mora Gubernator, Principe Aſculano, & Duce Vincentio, & Niuernio cum peditum quatuor millibus, & ſexcentis equitibus praemiſſis, ipſe cum toto exercitu ſecuturus niſi eodem tempore Sabaudus ab Nicaee obſidione abſceſſiſſet. Caeterum certis conditionibus, nimirum, quòd Neptis Infans Auo redderetur, vna cum perduellium venia; annuit vt cuncta Carolus Regijs Miniſtris, Mantuano capta reſtituerentur. Hoc tumultu ſedato nouum incendium inter Mutinae Ducem & Lucenſem Rempublicam exarſit, ne vmquam bellorum materies deeſſet. Origo vt fermè cuncta ab humana auiditate. Mutinenſes proprio iure ſibi quaedam Reipublicae Lucenſis vindicauerant. Ad arma ventum erat, Primiq; Lucenſes ad ſua repetenda cum bellatoribus mille ſexdecim in agrum Mutinenſem impetum fecerant. Sed cum Lucenſis

1614.

Reſpublica

Respublica sub Hispaniarum Regis Maiestate viueret, & qua oppugnanda haud dubiè Hispana arma mouerentur, è re sua Mediolani Gubernator duxit, ne Italiae pax hoc in angulo turbaretur, Mutinam Comitem Balthassarem Billium, & Lucam Scaramuciam Vicecomitem Mediolanenses Proceres ab Rege legare. Qui singulari prudentia, vt erant omnibus bonis artibus instructi oriens incendium restinxere. At Sabaudus sibi iratus haud coquere poterat, praepropera nimia festinatione se Monferratum reddidisse, dolebatque Principem Victorium in Aulam haud fuisse admissum, nec iura sanguinis affinitatisue, quidquã apud immotũ Regis animum valuisse: Quin ex industria sub eosdem dies Principem Philibertum Maris Praefectum in longinquas partes emotum, ne cum fratre communicaret, consilium atrox ab desperatione cepit, Marchionis Couraei ab Mantua reuocandi, cum quo belli totius summam, & meditamenta conferret, totiusque controuersiae arbitrum, cum ingenti Catholici Regis nota, Christianissimum in Italia faceret. Et habuisset optatum exitum malè sana cupido, nisi Insubriae Praefectus Mantuanum obstrinxisset, vt conditiones omnes, quae ab Catholico haud prouenirent, minimè admitteret. Sed Sabaudus adhuc in armis erat, & tam disparia nomina nunc primũ hoc soeculum, tantorum malorum originem audiuit, vt Sabaudus negaret se legiones dimissurum, nisi & Catholicus eodem tempore suas. Re diu multumq; agitata cum nihil proficeretur. Mẽdocius peditũ viginti millibus, ac mille sexcentis equitibus lectissimis copijs Subalpinos vastaturus Candiae in agro Laumelino substi-

 tit,

tur, donec Caesareus ac Catholicus Legatus, qui variè Ducem tentabant, num ad Regis obsequium grandibus promissis flectere possent. Verum irritus labor fuit. Et quò maiora alienati animi signa proferret, aurei velleris torquem remittendum in aulam Regi, Taurini legato tradidit. Interim Sessia ad Villatam ponte coniuncto Vercellas versus castra mouit Mendocius, ex itinere Motta & Caresana traditis. Sed Dux cum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, Vercellis egressus, nostras copias declinans, Sesitem & ipse ponte coniungens, albescente iam coelo in conspectu Nouariae fuit. Quinquaginta haud amplius legionarij milites portas custodiebant vt si legiones protinus admouisset, consternata Vrbe repentino tumultu haud difficulter fortè potiretur. At in castra vbi fama perlata est Subalpinorum Principem apud Nouariam considere, Hispanus Imperator de bellici Senatus sententia, retrò conuertit copias. Eques Meltius & Pimentellus eò inclinabant, vt scrutato per equites vado, celeritate maxima, quà forte Sesites aquae tum modicus fluit, praecluderent hosti iter, & facili nobilique victoria, Ducis spiritus nobilitarent. Sed Mendocius cum vnica sententia Asculani statuit per eamdem viam regredi. praecisè grauiterque imperans, ne vllo pacto pugna committeretur. Sicque praeclara occasio vtrinque amissa est conficiendi belli apud Hispanos, & ipse Dux ad Nouariam terens per diem tempus muniendae Vrbi locum dedit. Indignabatur interea Aula tum Sabaudij Ducis ingenio, tum Mendocij conniuentiae, ac facilitati, quae tan-

tum

tum spiritus tribueret Duci. Itaque ministris omnibus imperatur, vt aduersus Sabaudum, pluribus locis bellum susciperent, classis hostium littoribus inueheretur, omnique belli clade Pedemontem vastarent. Mendocius veluti somno excitus, cum peditum triginta quinque millibus, equitum duobus millibus & ducentis quinquaginta, ab Mediolano oppugnaturus iterum Hastam incessit. Sed nihilo meliore euentu, siue ipse formidaret hostem, siue aliquo quodam suo peculiari fato, nequicquam ingemiscentibus exercitus Principibus, qui sub Regijs vexillis per ea tempora merebant. Caeterum varios post casus ac diuersa hostilia pax in has leges conuenit, vt Sabaudus se Catholico submitteret, & cum ingenti Nominis Hispani nota, in Christianissimi obsequium ab armis abiret. Ita Gubernatoris inertia tanti bellici apparatus euanuere. Fuit enim in Regio exercitu plurium opinio hostium vires haud semel profligari potuisse. At Rex Catholicus non solum ex certorum hominum litteris, quorum ars & cura numquam deest, sed etiam ex ipso belli euentu improbato Gubernatore successorem mittere statuit, misitque Petrum Toletanum, de quo Hispanae nobilitatis facile Principe viroque clarissimo constans fama fuit, tanquam animo incorrupto, & peritia belli artium Duces aequaret antiquos, nec nostrae quisquam aetatis ei comparari posset. Cupidus gloriae in primis erat, eaque magnis artibus dissimulata cupiditas, noscitabatur tamen, haud aduerso in vulgus rumore, propterea quod ex Regis tantumodo sui gloria & ex incolumitate, at-

que

que amplificatione Imperij quaeri, petique viro famam apparebat. Libertas & iracundia ei, fastidiumque hominum iuxta rerum, qualia esse apud magnos vetereſque bellatores ſolent. Cum hac indole virtutum Toletanus cum Imperio Mediolanum venit. Laetis admodum initijs, quando pueros ſelectos ex nobilitate, quò Prouinciam alliceret inter honorarios in Aulam acciuit. Prima cura regiminis Sabaudiae Ducem ad auitum obſequium Hiſpaniarum Regis ac Maieſtatem redigere. Sabaudum officij admonuit, Haſtenſi paci renunciaret, Marteque exulare iuſſo, litteras omnis Humanitatis ac reuerentiae plenas, in Aulam perſcriberet. Hoc paruo lenimento poſſe magnas turbas ac motus componi, ingenſque ſpatium, ad demerendum Regem aperiri. Sat Allobrogum Principem poſteritati, ac famae conſuluiſſe, qui virtute magis, quam copijs, cum Rege, gentium Domino ferme aequo marte dimicaſſet, omitteret militares curas aliquando Alexandris ac Caeſaribus maior. Scripſerat haec quidem Toletanus. Sed Dux nouarum rerum ſemper auidus, ac prolatandi fines perquam cupidus hanc moderationem in praeſentia pati non poterat. Miſerat ille litteras in Hiſpaniam perferendas, verùm conſulò ſuppreſſae cum nimium quiddam regium redolerēt. Sed Sabaudus Mediolani haud cunctatorem inuenerat, vt Mendotium, ſed virum inquietem, & ad captandas occaſiones haud ſegnem, belli veterem Imperatorem, qui notas iam Sabaudas artes calleret. Itaque haud dubiè rem ad arma venturam conijciens Toletanus, contractis vndique copijs Subalpinas

nas

nas gentes iam fermè domitas animo concipiebat. Primus Sabaudus per belli ſpeciem, quod Archiducem inter & Venetos mouebatur, & nouas copias comparauit, & ſupplementum veteribus legionibus, ab Germania, & Gallis accerſiuit. Mantuanus quoque, qui Aſtenſem pacem haud probauerat, nec perduellibus ignoſcebat, in Hiſpanias legatum miſerat, vt Rex tanti negotij arbiter fieret. Iratus huic propterea Sabaudius, ad Gallos & Venetos preces mittit. Sed Galliarum Regem nouae ſponſae amoribus implicitum haud ita legatio commouit, vt Solarius Venetos. Itaque timens ſibi Venetus nè Toletani tempeſtas conſcientia fretus in ſuum caput recideret, quò bellum ab ſe ſuſceptum in foro Iulij contra Ferdinandum impediret, foedus cum Sabaudo percutit, nouumque belli incendium parat, quo Auſtriacae opes varias in partes diſtraherentur. Toletano haud parum ſolicitudinis iniecerant hi motus, mirari Venetorum Rempublicam militari laude ac prudentia inclytam cum Sabaudio tàm facilè conſenſiſſe, timenſque ne hoc malum in occulto gliſcens, caeteros etiam Italiae Principes peruaderet, pluribuſque ex partibus irrumpentibus vno tempore hoſtibus, per ſpeciem Subalpini belli Hiſpanorum ex Prouincia abitio proemium expeditionis foret, periculũ animi magnitudine aequans, bellum & ipſe impigrè adminiſtrabat. Itaque duos inceſſus primo parat. Nemurenſem Ducem Sabaudae quidem domui annexum, ſed tum hoſtem, cum peditum millibus ſenis & quadringentis equitibus Burgundis in Subalpinos mittit. Ipſe cum caeteris copijs Abdua tranſmiſſo in Venetorum finibus ad

Cara-

Carauaggium vires hispanas ostentauit. Nec ipse segnis Sabaudius Hasta, & Vercellis limitaneis Vrbibus egregiè munitis, Verruuam inter & Crescentinum Pado ponte per depressas naues constrato hostium motus & incessus diligentissimè obseruare. Tenebat per ea tempora Romanae Ecclesiae clauum Paulus. V. Burghesius magni nominis Pontifex. Is paterna quadam prouidentia in omnes partes intentus, Alexandrum Ludouisium Archiepiscopum Bononiensem in Insubriam, ac Subalpinos legauerat, si quo pacto lenire iras, ac componere bellum posset. Mediolanum Ludouisius venit, eò etiam ab Gallorum Rege Betunensis Demarchus. Sed cum in castris Toletanus esset, eò legati vtrique contenderunt. Re diu multumq; agitata, haud difficilem se honestae paci Hispanus Imperator praebebat, qui sciret quàm cordi, Italiae quies Regi esset. Sed Sabaudus haud vulgares spiritus sumpserat victoriamq; iam Pedemõtis Princeps sibi gratulabatur. Quin dum magis ferueret legatio Mottam corona cinxit, ponteque Sesite coniuncto, ad Langoscum agri Ticinensis excurrit, & Montemserratum petens, Villanouam è vestigio cepit. Toletanus Candiae lustrato exercitu, ac stipendio persoluto, statiuis ibi aliquot dies habitis, cum peditum vicenis tribus millibus & equitum senis millibus mouit ad Villatam versus. In itinere occurrit Mortariae Marchio peditum sena millia, & equites quadringentos ducens, coniunctisque copijs in Montemserratum ingreditur. Consilium Toletano erat bifariam diuidere copias, pars scilicet Ducem, ab Mottae obsidione submouerent, pars altera eodem tempore Villanouam potirentur. Sed res

ad

ad hoſtem relata magni Ducis conſilium corrupit. Deſtinatas iam antè animo inſidias Sabaudus inſederat, Hiſpanos operiens, dum pontem ſuper Seſite molientes occupati eſſent. Ex iiſque ex improuiſo exoriens turbauit tranſeuntium ac molientium agmen, tantaque conſternatio fuit, cum ſe circumuentos putarent, vt plerique Hiſpanorum fugam magis quam pugnam reſpicerent, caedeſque ingens fiebat ni in primo agmine Ioannes Brauius, & Ludouicus Gambaloita tribuni militiae veteres fuiſſent. Hi adhortando pugnando, inter tumultum ac terrorem, quod niſi in vetere exercitu, & Duce vetere haud facile eſt, inſtruxere aciem, dein tanta vi in hoſtem inuecti, vt & pedem referre ſit coactus, liberum Hiſpano pontem relinquens. Iamque in fugam verſus latè ab equitatu caedebatur, maiorque caedes facta fuiſſet, niſi propinquitas caſtrorum breuiorem fugam perculſis feciſſet. Quingenti tamen amplius ex hoſtibus deſiderati. Haud tamen noſtris incruenta victoria fuit. Quinquaginta circiter in illo primo tumultu cecidere. Aſculani Principis filius, & ipſe Gambaloita cladem nobilitauere. Vir cum ſaepe alias memorabilis, tùm illa praecipue pugna, quae magno bellatori ſuprema fuit, ſeruati exercitus Hiſpani decus ipſe ſolus tulit. At Sabaudus ſecum ipſe reputans, quam proximus ingenti cladi fuiſſet, ſi cruentum ab victoria militem, Hiſpanus Imperator ad oppugnanda caſtra duxiſſet, Villanoua protinus incenſa, & relicta Motta, per pacata Aſianum propè Vercellas ſe recepit. Toletanus & ipſe haud minus cogitabundus erat. Nihil circa ſe fidi ingemiſcens, perpetuo ſuae gloriae hoſte obſideri. Quid ſi inſidiae

externae diei feliciter Deûm ira fucceffiffent, non ne praeter infignem cladem, qua circumuentae legiones deletae fuiffent, futurum vt perpetua ignominia apud Pofteritatem totam, tanti exercitus Ductor notaretur. Itaque Senatu bellico haud quaquam appellato, ad Crefcentinum maximo filentio ducit, locum cum fitu, tum ob Padum flumen ad res maximas gerendas maximè opportunum. Haud fefellit Afculanum quò caftra dirigerentur, Toletanumque confuluit, vt propter Trinum ea longior via erat, exercitum duceret. Cuius confilio Hifpanus viarum imprudens acquieuit. Sabaudus, quem nihil latebat, etiam atque etiam de Crefcentino folicitus, fuppellectile caftrenfi properè Vercellas miffa, eò cum expeditis copijs pergit, fecurus quod celerius recta, & expedita via Catholici Regis copias anteceffiffet. Nec mora non die, nec nocte intermiffo itinere,nequicquam aquarum proluuie, & lutulenta via morante agmen, in arcem iam ingrediebatur; cum primum Hifpanorum agmen in confpectu Crefcentini fuit. Excanduit Toletanus, feque deceptum inclamans. Praeclarè tamen vicit dolorem, ac iracundiae temperauit: hoc tantum clementer effatus, haud vmquam tantum aufurum fuiffe Ducem fine campeftribus tormentis, tanti nominis Imperatorem copias promouere, nifi viae ambitu, quē Hifpani facturi erant confifus. Caeterum omiffo Crefcentino Liburnum ac Briantiam Montisferrati pagos petit. Et cum iam hyems inftaret, Sanctum Germanum primo ftatim terrore capere & Eporediam decreuit, quò opulentam regionem ad Hyberna militum praepararet. Ex itinere Sancto Ià potiùs

San

San Germanum obſidebat; quod prima die deditum eſt ingenti dolore Ducis, qui eò ſuppetias laboranti laturus aduolarat. Ab Sancto Ià cum vniuerſis copijs profectus poteſtatem pugnae Sabaudo fecit Toletanus. At Aſculanus ſiue aemulatione in Hiſpanum Imperatorem, ſiue ſecretis ab Aula, quod magis crediderim, mandatis, quibus clementer haberi Sabaudum, oſtendere ei cladem, ſed non inferre, iubebatur, pugnam compoſitò detrectabat. Cum Ioannes Viues apud Genuenſes Legatus, & equitum Praefectus Pimentellus Toletani nomine Tribuno Rhaudio imperarunt, vt poſtremum abeuntis Ducis agmen aggrederetur. Et verò plus adhuc quàm Toletanus imperauerat Rhaudius effecit. Nam tanto animorum conſenſu, vna cum Germano peditatu, & virtute in hoſtile agmen incurrit, vt per turbatos primo impetu hoſtes ad primum agmen clades peruenerit. Caedes & fuga paſſim fieri coepta, adeò vt nec ipſa praeſentia Ducis, verbis & minis obteſtantis Gallorum fugam ſiſtere potuerit. Per quinque horas fermè pugnatum, centum, circiter ex Hiſpanis cecidere, mille amplius ex hoſtibus, ſigna militaria vndecim peditum, & tria equitatus adempta. Dum haec in Subalpinis geruntur. Marchio Mortariae in Langhis Canellum Cortemigliam, Caluſum, & Sanctius luna arcis Mediolanenſis Praefectus Gattinaram cepit. Tot tantiſque cladibus ſecundo rerum curſu ab Hiſpanis illatis poterat Sabaudiae Princeps moneri, quam impar ipſe tantae moli rerum eſſet, reſque ſuas magis, ac magis in dies ruentes magnae clementiae Regis permittere. Sed Gallici auxilij expectatio, & auita ferocia Ducis rectam ei

 mentem

mentem ademere, vt nouam triumphi materiem Toletano Imperatori praepararet. Toletanus sat ad nominis Hispani dignitatem factū censens, Ludouisium per eos dies in Purpuratorum Senatum allectum, & Betunensem Dominum haud grauatè admisit, si quo pacto pax iniri posset, Duxque restitueretur pristino Regis obsequio. Sed Sabaudus qui ad pacem propensus esse videbatur, re vera tantùm huius quaesita specie, de industria nectebat moras, quò certiores nuncij de Gallicis auxilijs venirent. Et Toletanus haud dubius quò consilia Ducis spectarent, scilicet vt pacis dulcedine illectus, ipse militares curas remitteret, bellum acrius reparabat. Caeterùm eò res redacta est, vt Dux minimè se posse Hastensi paci renunciare diceret. Re in hunc modum infecta diuisae per Hyberna legiones. Interea Dux, & nouis copijs auctus, & Gallicis auxilijs ferox, descensurum enim Aldighieram cum octonis bellatorum millibus fama ferebat, nondū appetente vere ex Hybernis mouit. Principem Victorium ad Messeranum misit, quod breui se dedidit. Pari audacia Gattinaram, at non eadem felicitate tentauit, ab Carracciolo strenuè defensam. Inde ad Crauacorem concessit, quo potitus est. Haec Principis incrementa, Patrem vsque adeò animarunt, vt iam in cursu maximarum rerum, iterum Montemferratū infestus ingrederetur. San Damianum muris dirutis ac munimentis cepit, ab eadem Victoria Albam, & Montiglium suae potestatis fecit. Ita liberè per inferiorem Montemferratum Sabaudus insultabat. Caeterum egregiè se praestitit Tribunus Carracciolus, hic cum aliquot centurijs San Germanum tuebatur,

Tam

Tam fortibus irruptionibus terruit obſidentes, vt Principes Victorius ac Thomas irrito incepto ſoluerent obſidionem. In hoc ſtatu res erant, cum Toletanus equitatu Neapolitano, ac pedite Vuallono, & Hiſpanorum ſupplemento, ac multo magis accerſito in Hiſpanias Aſculano laetus, cum ſententia Marchionis Montis nigri Praefecti caſtrorum, hunc in locum Aſculani ſuffeçerat Rex, luſtrato exercitu ad Creſcentinum oſtendens iter, in medio curſu flexit repentè Vercellas. Adeoq; inexpectatus Hiſpanorum aduentus fuit, vt turmis quaternis equitum ad explorandos hoſtes, vti fit, egreſſis, praecluderetur regreſſus. Caeterùm non potuit tam arctè primo obſideri Vrbs, quin per intermiſſa munimentis loca, peditum millia, & quingenti, & duceni equites in arcem, vna cum Sanfronio Architecto penetrarent. Mira tamen celeritate Tolet. obſidium inſtituit. At Sabaudus ſibi conſcius quam arctae res eſſent Vercellarum, ac praecipuè quantum tormentarij pulueris inopia laborarent. Ex omni robore exercitus quingentos lectiſſimos equites ſeligit, qui ſinguli ſuper equorum clunes, tormentario puluere refertos ſacculos geſtarent, hanc manum in arcem, cum duum millium fiſtulatorum, ac haſtatorum praeſidio emittere decreuit. Comes Franciſcus Abdua, vndenis alijs equitum per eos dies, ac ſexdenis peditum cohortibus in Monteferrato imperitabat. Is per ſpeculatores de hoſtiũ conſilio certior factus, continuato die ac nocte itinere, hoſtes infeſtus indeptus, à fronte, à lateribus perpetuus, ter quamuis repetito in Vrbem acceſſu re abire infecta Abdua coegit. Toletanus ab Abdua receſſus hoſtium admonitus equitum magiſtro im-

perat

perat,vt quadragenis equitibus hostis vestigij insistat, quia rursus erumpere conabantur. Abdua classicum canens senis alijs equitum vltra Sesiam missis, ipse quatuor alijs, tam fortiter hostem adortus, & licet turma equitum in hoc conflictu trucidata sit, agmen tamen hostis postremum in fugam est actum. Quin ex procella glandium pulueri in sacculis igne iniecto miserè equites illi concremarunt. Deplorandum spectaculum, gladio ab vna parte Abdua admiranda edebat, ab alia violentus ignis equites pedítesque peruadens, multi in praecipiti fuga ruentes obtriti. Millia & quingenti amplius ab ferro & igne periere. Caeterum haec pugna Vercellarum Vrbem tradidit, cum ingenti gloria Abduae, cui tam felicem exitum ab Rege in magna Procerum corona gratulatus est Toletanus. Sed tantae Vrbis expugnationem Alphonsus Pimentellus magister equitum, Garzia Gomez Tormentorum Praefectus, & Comes Ioannes Petrus Serbellonus Tribunus suis funeribus fermè lugubrem reddidere. Toletanus compositis rebus vrbanis Comitem Bernabouem Barbò, militatus curatorem, cum valido praesidio Vercellis Praefectum relinquens, copiarum partem in agrum Alexandrinum, partem in Monferratum distribuit. Interea ab Aula alij super alium tabellarij venerant Toletano mandantes, quò pax iniretur, vt Vercellae statim Sabaudo restituerentur. Enimuero pertaesus mãdatorum ab Aula, quae hanc vrbem olim Insubrici Imperij partem, quae Subalpinos mirificè fraenaret, claustraque praeberet incursionibus, rursus auellerent, verba dans & praetextus haud parebat. Tenuit haec ratio consilij ab Octobre anni exacti vsq; ad Maium

1618

1618. Itaque indignata aula Toletani ingenio, qui tot nuncijs illuderet, ad Ioannem Viues litterae venere apud Genuenses legato, quibus iubebatur, si Vercellae ad illam diem haud fuissent redditae, Marchioni Belmarensi, qui apud Venetos legationis munere fungebatur, regia facultas mitteretur, vt statim relicta Prouincia Mediolanum contenderet, & ex manu sua Vercellae Duci redderentur, Toletanum in Hispaniam dimitteret, ipse vacuam Prouinciam interea gubernaret. Hoc modo coactus Toletanus, deceptum Regem inclamans Vercellas tandem aliquando restituit. Paxque in has leges, Purpurato Ludouisio, & Betunensi Demarcho internuntijs conuenit, vt vicissim capta redderentur, venia perduellibus daretur. Caeterum euentus docuit, quàm altè Toletanus prospiceret, & nomine Hispano non modo saluo, sed etiam amplificata Regij nominis existimatione in Hispanias profectus, suffecto Feriano Duce natalium splendore Regibus quidem annexo, sed iuuene nondum militiae perito, quò orbis intelligeret, quam cordi esset publica Italiae tranquillitas Regi.

1618

# EPITOMA
## LIBRI TERTII
## DE
## BELLO MANTVANO.

FERIÆ Dux Mediolani Gubernator. Arma per eum mota in Vulturenos. Quo initio, quo exitu, caeteraque temporis eius hoc libro continentur.

*Ripamontij.*

# IOSEPHI RIPAMONTII

## CANONICI SCALENSIS

### CHRONISTÆ VRBIS MEDIOLANI

# HISTORIÆ PATRIÆ

## LIBER TERTIVS.

---

IAM ex tanto rerum, animorumq; tumultu ſperabatur Italiae Terris quies, ea ſaltem, quae contingere ſolet, vbi, vel inueteratae cauſae bellorum exoleſcunt, vel bellantium pectora ſatigata quieuere, cùm ab nouis repentè cauſis, & à bellatore nouo, non haec Italia tantùm, & haec Imperijs verè grauida paruula tellus, paruaque ſedes humani generis, ſed genus propè humanum in ſuſpiciones primò, atque in iras, deinde in arma concitur. Ac miſerabile plane dictu, regnantibuſque pudendum, extrema vna in Septentrionem Italica Vallis, inter cautes, & ſaxa, famem, inopiamque ſuorum aegrè ſuſtentans, omnia fere ſceptra, ſceptrigeroſque commouit. Propter hanc iere ad arma palàm, ſiue conſilia in id bellum occulta ſociauere violentiora armis. Tantaque ab tam leui principio turbatarum primò, deinde

*Pax ab compoſito motu Mantuano Italiae ſperatur.*

*Nouae repentè cauſae turbant Italiae Statum.*

*Italia Imperijs grauida.*

*Vna Vallis tantum ponderis. Quis crederet.*

*Propter hanc Vallem totus ferè orbis concuſſus.*

de coniuratarum inter ſe dominationum moles, cum ab oppugnanda, ſiue defendenda Valle, ad Regna ſimul ipſa, Regeſque confirmandos, infringendoſque ſpectaſſet, in Metropolim praecipuè ipſam incubuerat, vnde, & conſilia tentandae Vallis, primique motus huius parui, ſed tremendi negotij manauere. Poſtquam furioſi hominis manu percuſſo in mortem Henrico Galliae Rege euanuerant immania, & vaſta multa, quae Rex ille agitabat: Et poſtquam pacauerant Catholica arma Regulos, qui conſilijs eius participes, aut inſtigatores, ac miniſtri olim, nunc inter ſe dimicando turbabant Italiae Statum, tantò magis ſperabatur duratura in vniuerſum quies, quò maiore ſpectaculo, & ſocietate rariore coniuncti nunc duo Reges, ad haec pacata conſilia conſpirarant, coegerantque Sabaudum, & Mantuanum ponere mota illa temerè arma. Compoſito igitur hoc iurgio Ducum, & reſtituta, ſicuti demonſtratum eſt, Vercellarum Vrbe, Toletanus è Prouincia deceſſerat, relicta Mediolanenſibus ſpe, quae, & rerum Statum ex belli miſerijs, & animos ex vltima penè deſperatione refouiſſe videbatur. Succeſſor huic Gometius Ficeroa Feriae Dux venit, cuius in Vulturenos expeditio ab iuſtis neceſſarijſque cauſis ſuſcepta illa quidem, & Religionis Catholicae penè vindex, ſed anceps eadem, & apud regnantium animos infeſta, ſicut dixi, ſuſpi-

Vulturenì motus ad hanc Metropolim tendunt inuadendam.

Henricus Galliae Rex furioſi hominis manu percuſſus.

Necem Regiã effectus, qui ſecuti ſunt.

Sabaudus, ac Mantuanus coacti a Regibus ponere mota arma.

Toletani laus.

1618.

Feriae Dux Toletano ſucceſſor

Expeditionem in Vulturenos ab iuſtis, ac neceſſarijs cauſis ſuſcipit quidem ſed ſuſpicionũ, & irarum omnia complet.

ſuſpicionum, & irarum omnia compleuit. Erat Dux Feriae opibus, ac nobilitate inter Hiſpaniae Primores; florentiſſima aetas ei, animuſque ingens, & litterae aderant Principe dignae, quas inter, memoria praecellebat penè ad miraculum, vt in deſcribendo terrarum ſitu, de quacunque regione ſermo incidiſſet, omnes angulos, omnia cum aliquo nomine ſaxa diſtinguere, ac notare poſſet. Id periti adnotauere: pudorque coſmographis erat audire, & argui. Verum aliena haec, & fortaſſè in nullum vſum hiſtoriae narrationiſque huius. Partem certè gloriae ſuae hanc, atque haec ciuilia ſtudia ipſe adſpernatus, ſi expers interea bellici decoris foret, tractare vtique arma, habere exercitum, nomen famamque militarem aſſumere alicunde concupiuit, habebatque inſtigatorem, ſicut tunc fama fuit, vera ne an fallax incertum, qui magnis artibus, gloriae cupidiſſimum Principem aggreſſus, haud difficulter ad militares labores accendit. Inerant viro huic haud vulgares dotes, recentioris hiſtoriae inprimis ſtudium. Nec melius iam ferè alter nouerat ſtatum conditionemque temporum, & quid eorum quiſque domi laetum, aut triſte haberet, quantum bello poſſet, quidue meditaretur. Itaque paulatim in Principis notitiam venire, mox etiam gratiae locum nactus in aula, ſaepius alloquendo Principem, de Rep. cauſiſque Imperij, & de fortunis atq; conſilijs,

Feriani Ducis indoles, ac praeclarae animi dotes.

Memoria ad miraculum ferme Ducis.

Feriae Dux ad bellum à neſcio quodam accenditur.

Suadentis bellum partes.

Artes iſtius, quibus eſt nactus Principis notitiam.

consilijs, & conditione Principum curiosè subtiliterque differendo, simul strenuè explorando, si quid Principi cognoscendum esset intra paucos dies, eò adduxit rem, vt non potior neque validior alter in Feriae Ducis animo haberetur. Vidimusque tunc repentè, quasi portentum, summa & infima aequantis fortunae, hunc prima inter Primores munera sustinentem, metuentem ferme & vno tempore metuendum. Caeterum haec memorare pertinuit magis ad exempla Principum, vt in omni Imperio noscantur praepotentum praeualidorumque ministrorum ingenia haec, quae semper etiam in parte consiliorum rerumque maximarum fuere, & erunt donec Imperia ipsa, quàm quia vera esse affirmauerim. Alta Feriani Ducis indoles, haud tam facilè captabatur, vt parua haec machina tam ingens prudentiae pondus ex libidine versaret. Non magis ab ardore gloriae, quam ab Catholici nominis dignitate, ac existimatione, quod cum Ecclesiae perduellibus aeternas gerit iras, Vulturenam expeditionem suscepisse, prudentiorum semper fuit in ore hominum. Materies autem, & causae belli promptissimae eaedem honestissimaeque aderant ob Vulturenorum ex vicino querelas aduersus violentiam, importunitatemque Rhaetorum, qui occupata suo iure Valle, Catholicam eam finitimamque Metropoli Gentem in Caluiniana instituta corrumpere nitebantur,

*Illo nullus neq; potior, neque validior in animo Ducis.*

*Fermè Portentum visus ille.*

*Auitumque hoc malum summis dominationibus, duraturum donec Imperia ipsa.*

*Feria non tam facile captabatur.*

*Scriptoris iudicium non magis ab gloriae ardore, quam ab Regia dignitate Feriae Ducem in Vulturenos mouisse.*

*Querelae Vulturenorum aduersus violentiã Rhaetorũ, materies, & causae belli fuere.*

*Rhaetorũ violẽtia explicatur.*

nitebantur, abutentes ad id etiam Veneti foederis fiducia, quo firmati nuper erant. Neque Praedicantes modò pessimum genus ad dogmata proseminanda immittebant: Sed voluerant etiam instituere ibi Caluinicae disciplinae seminarium: Cui coepto cùm obsisteret Archipresbyter Rusca, comprehendêre Virum, & lacerauere tormentis; itaut inter carnificum manus ille expiraret. Et aliquantò antea quidem audita haec turbauerant Duci animum, indignatione, verecundia, metu, si penè sub oculis tantopere inualesceret secta, & talia auderent, sed turbari quacunque de causa pacem, & moueri arma, tum inutile ipse rebatur, tum inter praescripta Regis vetitum damnatumque habebat: atque ideo quiritantes Rhaetos, & Regij auxilij partem exposcentes, pecuniae subsidio solatus dixerat: irent consulerentque sibi, & conscripto extrà Prouinciae fines milite depellerent vim: prout res tulisset, subsidia etiam maiora ab se expectarent. Hactenus Feria turbas, bellumque vitarat. Vt verò Vultureni coactis, quas potuere copijs prosperè primò gesserant rem, dein prospera etiam in sinistrum cadebant, & restitutum eorum ope Pontificem Rhaeti ab Curia eiecerant rursus, ac subita voluntatum inclinatione Gallus, Venetique auersi penitus in partem alteram, deseruerant, quos antea fauore complectebantur: tunc scilicet, & re-

Praedicantes pessimum hominum genus.

Caluinicae disciplinae seminarium conantur instituere Rhaeti.

Archipresbyter Rusca torturibus traditus inter tormenta expirat.

Haec turbant Duci Feriano animum.

Mouere arma Dux, & turbare pacem praescripto Regis prohibebatur.

Pro militis, pecuniam subsidio dat, vitat bellum, & turbas.

Curia Pontificem eijciunt Rhaeti.

Quae ad bellum capessendum, praecipuè Ducem flammauere.

Galli, & Veneti pro parte altera Rhaetorũ.

rum iſta indignitas diſcrimenque religionis, & ſuper indignitatem vireſque ſectae inualeſcentis flammauere Ducem, gloriamque capeſſiuit vnde malorum ſeges Italiae rebus parabatur. Sed & ſuſpicio inceſſerat ne foederibus ſubnixi nouis Rhaeti lapſi per Larij lacus oram, Prouinciae fines inuaderent, longius auſuri, prout prima ſucceſſiſſent. Ob ea bellum parat non tamen mole vna, ne irrupiſſe ex deſtinato, remque ſuſcepiſſe tantam videretur, quanta, & quàm inuidioſa res, conatus ipſe aggrediendae Vallis foret. Miſſus primò cum modica manu Serbellonus, qui Vallem ingreſſus teneret anguſtias, per quas Rhaetorum exercitui iter. Ea quaſi defenſio erat, primaque irritatio armorum eadem fuit: Namque Rhaeti cognito eo rerum motu anteuertêre, totamque Regionem ab Clauenna ad Sondrium vſque percurrentes, firmauere ſibi tempore eodem, quo Serbellonus ab altera parte cum ſuis intulerat gradum. Mox copiae vtrinque animique, & irae augentur: nec iam ſubitaria agmina ſubitarijque inceſſus, ſed ſpecies hinc inde iuſtorum exercituum; magna praelia, magna clades, & infecta caedibus ſaxa; ſyluaeque, & ſcopuli prominentes in Caſtrorum alibi faciem armantur, alibi Caſtella haec, immo, & ſepulcra pugnantibus fiunt, quacunque, vel opportunitas aliqua dederat impetum, vel impetus ipſe inuenerat opportunum ſibi aliquid

Gloriam quaeſiuit vnde malorum ſeges Italiae rebus parabatur.

Timet ne Rhaeti foederibus nouis ſubnixi per Larij Lacus orã Prouinciæ fines inuadant.

Bellum parat Dux, ſed magna moderatione.

1619.

Serbellonus ad occupandos ſaltus miſſus per quos Rhaetorum exercitui iter.

Haec expeditio Serbelloni prima belli irritatio.

Rhaeti anteuertunt totamque regionem ab Clauenna ad Sondrium nouis praeſidijs firmant.

Hoſtilia vtrinq; facta.

Iuſti exercitus ſpecies, & magnae clades.

aliquid impenetrabile hoſti. Imminet in Clauennae Lacum ripa obſcuri ſemper antea nominis, nec fortè aliud, quàm receptaculum imponendis exponendiſue mercibus, quas commeantes eo Lacu naues traiecere iam, accipiuntue traijciendas. Hanc neglectam ab hoſte ſtationem Hiſpani, ſubmiſſis nouis ab Gubernatore copijs valido praeſidio inſedere primùm; dein addidere munimenta loco; atque intra paucos dies, ducum arte ſimul, & ingenio rupis eò proceſſerat res, vt celebre Caſtelli nomen id fieret quacunque vagabatur etiam fama belli ipſius, cui Dominationes paulatim proximae, ſiue longinquae illigabantur. Iam enim increbuerat latè rumor acquiri Catholico Vallem Clauſtraque illa confinium, & vinculum, & vno denique verbo portas Germaniam Italiae iungentes in poteſtatem venire ipſius, vt Imperium vtrumque, mutua firmatum ope terribile Imperijs omnibus foret. Et Veneti more ſuo conſilijs, atque pecunijs, quae promptiſſima tela ſemper eis fuere, ad caetera immoti, hac vna virium parte cuncta mouentes, intentique in hoc maximè diſcrimen, vbi rem inclinatam eſſe viderunt, ſtrenuè partem adiuuere, quae vincebatur. Aliquot millia numûm aureorum minore tamen ſumma, quàm vulgò homines credidere dederunt; monuere, quàm damnoſum ipſis, dominationibus caeteris ingratum foret ſi abſtitiſſent coępta propugnatione

Ripae ſitus obſcuri antea nominis.

Ripam ab hoſte neglectam Hiſpani praeſidio inſident. Munimēta addunt. Celebre eius nomen per orbem.

Fama diſpergit Catholico vallem acquiri.

Opportunitas Vallis ad iungendam Germaniam Italiae rem magis ſuſpectam facit.

Veneti more ſuo conſilijs, atque pecunijs ſtrenuè adiuuere partem, quae vincebatur.

Aliquot millia nummum aureorum dant.

Veneti monent quam damnoſum non modo Rhaetis, ſed etiam dominationibus caeteris ſi abſtitiſſent coepta propugnatione Vallis

gnatione Vallis; promiſſa in poſterum, aut minas addidere, prout in hac publica cauſa, & communi Principum Italicorum negotio generoſitatem ipſi ſuam fidemue potius approbaſſent. His inſtincti confirmatique Rhaeti ad depellendos Hiſpanos vi tota acriter incumbunt conductis Bernenſium copijs, quae ſuper ſtipendia accepta, fauore in ſectam accendebantur; & quia gregales, ſectae eiuſdem erant, tamquam pugnaturae pro aris, & focis quoque ſuis, tantò ferocius ad haec arma ibant. Caput erat recuperare ripam. Hùc tota ferè belli moles auerſa ſtatim fuit. Sed munimenta tum poſita manu, tum excitata parata artibus, & ſponte naturae, & praeſidium ibi tamquam in nudo apertoque ſolo noſtri agitantes facilè abſterruere hoſtem. Tentata ripa praeſidioque nequicquam abſceſſere inde, & tranſuerſis per montium dorſa limitibus arripuere iter, Bormium infeſto agmine petentes. Apertus is penè locus, & modico praeſidio defenſus praebuit haeretico furori materiem. Templa ibi Religionum antiquiſſimarum, & quicquid ſacri erat, non diripuere ſolùm, ſed profanauere, ſaeuientes impurè foedeque tum in praedam ipſam, tum foedius in ea, quibus rapiendis lucri nihil aliud fiebat. Ab ea direptione & injuria potius, quàm victoria, opereque non tam armorum, quam furoris, & impietatis, deſtinauerant ſibi pares ad Tyranum

*His inſtincti Rhaeti ad depellendos Hiſpanos vi tota incumbunt.*

*Bernenſes ſuper ſtipend. & fauore in ſectã magis accenduntur.*

*Ripa ab hoſtibus tentatur.*

*Sed nequicquã conatus cadit.*

*Bormium hoſtes petunt.*

*Bormium foedè ab haereticis diripitur.*

*Ad Tyranum contendunt.*

in maiore etiam loci illius opulentia successus ? Sed non sicuti ad Bormium Medicari cuiusdam (is praefectus praesidio fuit) propera deditio prodiderat rem; ità posterior hic impetus, & impressio Rhaetorum segniter sustentata est: neque omiserim ducum ipsorum nomina, qui rem eam gessere barbarosque vicerunt. Siquidem, & ius fasque est nuncupari ita mixtam ex Caluini faece colluuiem, & victoria verè haec Vulturenos tunc Haereticorum imperio subduxerat, liberaueratque Vallem. Hieronymus Pimentellus Magister Equitum, & Ioannes Brauus fuere, qui cum equite suo Bernensium auxiliarium agmen turbauere primò, deinde in Rhaetos inuecti ipsos, totam dissipauere hostium aciem, stragemque dedere illam, quae Rhaetorum animos à belli ad consilia petendae pacis auertit. Et magno Catholicae Religionis emolumento penè conuenerat res, & in Catholici Regis potestatem, ac fidem Rhaeti concesserant; nisi obstitisset attenta semper, atque peruigil aduersus haec negotia prudentia eorum, qui foedera aliena tamquam suae Reip. perniciem, disturbare, atque odisse didicerunt. Namque cum è tribus Rhaetorum pagis (pagos antiquitus dixere, quos recentior consuetudo ligas nuncupare instituit) duo consensissent mittendos legatos esse Mediolanum ad Feriae Ducem, qui peterent, vt reciperentur in Catholici Regis fidem,

Res haud prosperè ibi gesta.

Hieronymi Pimentellij magistri equitum, & Ioannis Brauij Tribuni laus.

Ab eis Haeretici funduntur.

Ad pacem inclinabantur Rhæti victi tot malis.

Veneti aduersantur.

Pagi nunc ligae dicuntur.

re-

Legatos ad cõponendam pacam Mediolanum destinatos Veneti interturbant.

receptiſque, Vulturena reſtitueretur; Veneti ea re comperta excitauere Agnedinos, quibus inconſultis miſſa legatio fuerat, hique Agnedini peruicere obnuntiationibus, & omni tumultu ſui moris non ſolum vt legati reuocarentur, ſed etiam vt punirentur more Maiorum, qui Capita negotij eius, & Conſilij authores fuiſſent. Anno Sal. CIƆ DC XX. inita actaque haec fuerant euentu magis ad gloriam Hiſp. nominis in praeſentia illuſtri, quàm vtili ad rerum quietem in poſterum, & ſpe vlla ſecuritatis, quod ad illud Vulturenae diſcrimen attineret. Anno inſequente Rex Catholicus moritur alijs quidem ille Regijs virtutibus inſignis, ſed eo maximè memorandus, quod Pietatem, atque Religionem in Deum, proprium regalis faſtigij decus, imò firmamentum vnicum eſſe, raro inter dominantes exemplo declarauit. Adeo piè ſanctèque agentem ſecuta Imperij felicitas eſt, quam aut non auſi fuere laceſſere hoſtes, aut fruſtrà laceſſiuerunt. Pio huic & iuſto, & optimo Regi parentauere Mediolanenſes non ſolùm ea pompa, qua Prouinciarum omnium in hoc funere ſumptus ſuperaſſe dicti ſunt: ſed etiam ijs animis vt parentem quiſque ſuum lugere videretur. Quae funebris, erudita, ſplendidiſſima pompa, quoniam deſcripta diurnis actis Vrbis extat, hanc referre ſuperſedebo. Succeſſit Patri regnans hodie Philip-

Agnedini ab Venetis ſtimulati omne pacis conſilium dirimunt.

Philippi III. Mors, & eulogium.

Eius inſignis pietas.

Iuſta tanto Regi ab Mediolanenſibus perſoluta.

Exequiarum pompa.

pus:

pus: in cuius Imperio multa euenere incredibilia, noua, tremenda ob proditiones, & rebelliones, ob inexplicabile cum proximo Rege bellum, denique ob coniurata Regna ferè omnia aduersus Imperium hoc. Annorum sexdecim erat nouus Rex cùm tradito per manus à patre Imperio successit in fastigium, nomenque eius, atque in disponendis Regni consilijs, cognito hoc Vulturenae negotio, & inter Consiliarios agitato, quantas animorum offensiones, & quantos rerum motus ea res concitura esset, mandauerat componi totum istud, quod ad Vallem Rhaetosque attineret, & quàm minimo Catholicae Religionis detrimento adduci ibi cuncta ad aequitatem. Eius componendi negotij pacisque dicendae conditiones, adhibito in consilium etiam Galliae Regis Legato dictae, descriptaeque fuerant, & obsignata omnia missa Mediolanum ad Feriae Ducem, vt ille exequeretur, fueratque in conditionibus ita positum. Quod partes duae Rhaetorum separatim consulere sibi voluissent, misissentque Legatos Mediolanum, & Remp. violasse arguerentur; ea res ne cuiquam hominum fraudi noxaeue foret. Heluetijque ipsi fideiuberent; Id paci impedimentum fuit. Nam neque Rhaeti assentiebantur, vt perduellibus desertoribusue suis impune esset; neque Heluetij fideiubere volebant, etiam si fides impunitatis ab illis data esset. Interea

Philippus IV. successor.

Quanta moles coniurationum eum secuta est.

Aetas Regis Philippi IV. cum capesseret Imperium.

Mandata Regis circa Vulturenae motus.

Conditiones ad componendam Vulturenam. Mediolanum missae ad Feriae Ducem ab Aula.

Cōditiones quę ab Aula missae.

Quod Pacem diremit.

*Bellum alitur, & volenti Feriæ materies praeparatur.*

*Feria in aulam perſcribit ſtatũ rerum Vulturenarum.*

*Archiducem Leopoldum ſibi adiungit Feria. Cauſae.*

*Quae ſcripſerit Feria ad Archiducem, quò illi bellum ſuaderet.*

*Archidux Leopoldus ab Feria ſuadetur.*

volenti vtique bellum Feriae Duci ſpatium fuit, & ſcribendi in Regiam omnia, quae cupidine eadem accendere ibi animos poſſent, & prouidendi, agendi, muniendi, quae praeſens neceſſitas moneret, quaeue imminentia proſpiciebat aſtus & prudentia Ducis, quaeue etiam monſtrabat inclinatio Principum haud ignota ei. Archiducem Leopoldum in primis, & quia Auunculus Regis ille erat: Et quia confinio terrarum, plurimaque per Germaniam, vel potentia vel gratia, grande momentum eius negotij ipſe habebatur, adiungere ſibi ſtuduit, adiuncto ſcilicet eo, traductoque ad cauſam, & aſſumpto in partem expeditionis minus pertimeſcens rumores Aulae ſiniſtros, imò & omittendae rei mandata, quae venire poſſent. Accuratiſſimis cum eo precibus egit, vt ad extremum vſque fautor, adiutor operis, demum particeps eſſe gloriae vellet, quae profligatores haereticorum, vindices Religionis Catholicae ſequeretur pertinere ad ipſius quoque magnitudinem ac ſecuritatem fraenari, & contineri imminuique iſtos, qui nec dignatione Principum, nec grauitate Reip. licentia tantummodo ſua, & aliorum indulgentia, libertatem, atque ex libertate potentiam vſurpantes, ſint dedecori, ac periculo finitimis. Mouerant haec, & alia Principi Auſtriaco animum, vt bellum in Rhaetos haud minus, quàm auctor ipſe gerendum eſſe cenſeret; Sed & pecuniae ſubinde

ab

ab eodem Feriae Duce mittebantur incitamentum Archiduci, excitatoque castello, quà Vallis Mosera est inter Tirolum Vulturenosque, confines Agnedinos, infidam illam Austriacae Domui ligam partemue Gentis aggredi, & debellare meditabatur, occasionem tantummodo gerendae rei expectans, ne mouisse temerè arma, & spem pacis turbasse videretur, quae nondum omissa ex animo Regis erat, ac de conditionibus adhuc in Aula agebatur. Ea occasio opportunè praebita est ab ipsorum impetu, & leuitate Rhaetorum, qui nouam ad Bormium arcem Planta quodam duce repente aggressi, ac reiecti inde per Comitem Octauium Sfortiam, & in plana detrusi, commisso praelio cum nostris, qui subsidio veniebant, caesi fugatique duce amisso recolligebant vires, & implacabilia cuncta minitabantur; tunc duo diuersa agmina, diuersi duo duces, hinc Austriacus, hinc Feria, alter ab Morbenio Clauennam aggressus, alter misso per Feriam ab Clauenna milite, Agnedinos etiam subegere vniuersos, eaque parta victoria Leopoldus reduxit ab exilio Curiensem Episcopum restituta cum eo religione, quae simul exularat. Redijt Feria specie triumphantis in Vrbem, magnaque species victoriae fuit ob tormenta aenea, quae ante centesimum annum Rhaetico alio bello adempta ducibus nostris reperta ad Clauennam fuerant: Et lauru

Pecuniae Leopoldo mittuntur.

Consilia Archiducis. Ne temerè mouisse arma videretur, & spem pacis turbasse.

Impetus, & leuitas Rhaetorum occasionē Archiduci praebent tumultus.

Bormij arcem aggrediuntur Rhaeti ab Comite Octauio Sfortia reijciūtur.

Pugna Catholicorum, & Rhaetorum.

Austriacus, & Feria diuersi contra Rhaetos tendunt.

Agnedini subacti.

Curiensis Episcopus ab Leopoldo ab exilio reducitur.

Reditus Feriae in Vrbem specie triumphantis.

Tormēta aenea ante centesimū annum nostris Ducibus adempta, lauru floribusque redimita in pompa faere.

ru floribuſque redimita ducebantur in pompam. Mox & legati Rhaetorum adfuere petentes ab Regio Gubernatore pacem: dataque eſt ita ſi poſſent, ac vellent tandem exuere hoſtilia aduerſus Catholicam Religionem cultoreſque eius: rituſque Sacros ſi minus piè, ac religiosè certè hoſpitaliter, & amicè tractare inducerent in animum. Promiſere facturos: eiuſque promiſſi authores fuere legati Heluetiorum. Namque aderant vltro aſſumpti à Rhaetis, quò impetrabilior pax foret. Additum conditionibus alijs fuit; pateret Catholicis exercitibus per Alpes Rhaeticas iter liberum, atque apertum, quandocunque ex Italia Germaniam, ſiuè inde hùc traducendi forent. Foederi quod Reſp. Rhaetorum cum Galliae Rege initum haberet, nihil hoc Catholico foedere detraheretur. Cum alijs foedera, quae eſſent diſſolui omnia, neque vltra teneri Rhaetos. Maneret Vulturena ſui iuris, liberiq; ſuis legibus incolae viuerent, nec Rhaeti vltra Terris eis imperitarent, contenti videlicet annuo tributo ſicuti pactum conuentumque eſſet.

Secundùm triũmphum, legati Rhaetorũ adfuere petentes ab Feria Pacem.

Pax datur, quibus conditionibus.

Exercitibus Catholicis pateret per Alpes Rhaeticas iter.

Aliæ conditiones recensẽtur.

# EPITOMA
## LIBRI QVARTI

IRA, & indignatio Principum ob Vulturenam Vallem Catholicis armis domitam. Vallis apud Greg. P. M. ab moderatione Hiſpana depoſita, Immane Lugduni foedus ictum ab omnibus fermè Europaeis Principibus in Auſtriae Domus perniciem refferuntur. Couraeus Gallorum Imperator Vallem adiuuante Veneto inuadit, & capit, & eodem tempore Sabaudiae Dux ad Genuam ducit. Vtraque clauſtra Imperij Mediolanenſis nequicquam tentata. Ab Feria per Serbellonum Legatum egregiè Ripa in tanto victoriarum curſu defenſa. Admiranda Serbelloni facinora, lariuſque ſanguine hoſtium infectus memorantur. Ligures in maxima conſternatione ab intempeſtiua Sabaudi victoris mora recreati, parique felicitate Aldighera Gallorum ductore pecunia corrupto, Catholicis Legionibus adiuuantibus ſua è veſtigio recipiunt. Dum plauſum Feria expectat eluſis optime Foederatis, eius in Veruam expeditio parum proſpera, extremum actum, & librum hunc claudit.

# IOSEPHI RIPAMONTII
## CANONICI SCALENSIS
### CHRONISTÆ VRBIS MEDIOLANI
# HISTORIÆ PATRIÆ
## LIBER QVARTVS.

---

HACTENVS ferè conticuerant ſolicitudines, & irae Principum, inſanique, turbidi, profundi motus, quos in pectoribus eorum ciet imperitandi rabies, atq; inde par alienae potentiae odium, & ſuae cupiditas, iacebant expectatione ſopiti, quorſum euaderet res, quemue exitum haec Rhaetica negotia eſſent habitura. Vt verò gentem Alpium fere ſuarum ingenio contumacem ſemper aliàs, atque indomitam ceſſiſſe nunc Hiſpanis armis, & ſubmiſiſſe colla iugo vident: conſiderantque legatos inde veniſſe Mediolanum: adduxiſſe fideiuſſores, eoſdemetque deprecatores Heluetios. Cum Germania colligatam Italiam Vallis interiectae nexu. Vallem ipſam ſpecie libertatis obnoxiam, datam eſſe Catholico Regi: quaeque natura non magis Alpium oppoſitu, quàm animorum, & linguae diuerſitate ſeparauerat, ad Domus Auſtriacae

Varij Principū motus, & ſolicitudines.

Alienae potentiae odium, & ſuae proferendae cupiditas Dominantes aequè torquet.

Alpinas Gentes tam facilè Hiſpanis armis ceſſiſſe ingemiſcūt.

Quae felicitatē hanc conſequerentur inter ſe Principes diſcurrūnt.

Vallis ipſa ſpecie libertatis obnoxia Catholico Regi.

nutum

nutum consociata esse, vt seruiant, ancillenturue: his inter se consideratis, atque communicatis Principes nudauere animos, & arcana, quae premebantur erupere. Coniurare volebant, sed non facile expediebant rem, & suis quique priuatim impedimentis causisue attinebantur. Nec fortasse mouissent hoc tempore quicquam potentissimi Dominatus, nisi Reguli minores, atque haec nota nobis nomina Principum in quos antiqui casus, & rerum humanarum fortuna diuiserat olim, siue diuisam hodie Italiam tenet, nunc pro se preces, nunc, tamquam in communi causa pericula, & minas interiaciendo turbassent animos altiùs etiam atque violentiùs, quàm sicuti commoti iam sua spontè turbatique erant. Rex Galliae Christianissimus in primis, de quo opinio est nimium multis etiam confirmata rerum argumentis, tamquam Austriae Domus incrementa clades ille suas numeret, contrarijs in hoc negotio motibus animi, rationumque momentis agitabatur, nec facilè quid sibi vellet, quidue consilij sequeretur explicabat. Nolle Rhaetorum genti impunita, quae leuiter in se etiam infidèque admisissent. Nolle Catholico Regi conciliatam eam subactamue gentem. Et super omnia distinebat non modo animum, & consilia, sed vires quoque Regis rebelle semper ibi genus Hugonotarum, qui tunc exarserant vi maiore, graueque inde cum damno discrimen

Erumpunt arcana, quae premebantur coniurare volunt.

Ancipites Principes suis quique priuatim impedimentis causisue attinentur.

Principes Italię turbant animos & ad bellum potentissimos dominatus impellunt.

Artes, & praetextus, quibus sunt vsi.

Galliae Regis animi habitus in hisce motibus.

Incrementa Austriae Domus Galliae Rex suas clades numerat

Haesitat Gallus. Quae ancipitem redderent.

men, & Regij nominis verecundia nisi debellati forent. Nutantem ita seu ferè quiescentem impulere Veneti, vt inclinare inciperet ad fauorem, defensionemque Rhaetorum, ac de restituenda in ditionem eorum Valle sibi agendum esse censeret. Sed primò placabiliter & amicè, missa etiam extraordinaria in Catholicam Regiam legatione agebat, prout haec regia iura amicitiae nondum inter Reges sublata erant. Mox, & Sabaudus eiusdem Reip. machinis excitatur; eoque deprecatore vehementiùs incubuerat Rex: dabatque noua mandata legato, & acriùs quotidie contendebat. Vt verò lentè ab Hispano Rege hactenus ducta ea res, eò demum euaserat, vt neque restituerentur Vultureni in ius, ditionemque pristinam, neque inde auellerentur, sed sumpto ad tutelam, iudiciumque Vallis arbitro, & sequestre Pont. Max. penes Apost. Sedem ita deponeretur: hoc ipso temperamento, quo mitigari potuerant, asperati animi sunt: coeptumque de foedere agi sub hoc titulo: *Pro libertate Italiae contra Domum Austriacam*, quae commouendarum rerum honestissima species semper habita huius Imperij hostibus fuit. Caput authorque foederis Gallus ipse: caeterique per occultum, siue palam, & res acta Lugduni est. Satis constitit progresso in eam Vrbem Rege, cum Veneta legatio, Victoriusque Princeps Sabaudiae

Veneti nutantem, ac quiescẽtem impellunt, vt inclinare inciperet ad fauorem Rhaetorũ.

Mittit legationem extraordinariam in Catholicam Regiã

Sabaudus eiusdem Reipublicae machinis, excitatur, ad inflamendum GalliaeRegem.

Lentè ab Hispano primò ducitur res.

Penes Apostolicam Sedẽ Pontifice Maximo Gregorio XV. sequestre Vallis deponitur.

Exasperantur animi magis, ac magis, coeptũq; de foedere agi contra domum Austriacam.

Foederis titulus

Caput authorq; foederis Rex Gallus.

Lugduni acta res est.

Principes, qui Lugduni affuere.

diae Ducis filius ex composito adessent, simul adfuisse mercatorum habitu Principum aliorum legatos: acta transacta ibi omnia foedusque initum, & scriptas esse conditiones, tamquam aduersus potentiam imminentem omnibus, & communi securitati formidolosas opes. Fuere in eo foedere praeter caeteros Danimarcha, Transiluanusque Gabor, & Protestantes, & Hollandi nota nomina hostium Catholici Nominis. Ac sicut alibi dixeram: dominationes ferè vniuersas, conspirationis huius quasi catena constrinxit. Alij statim, alij postea inducti illigatique fuerunt; Et prout quibusque studium, & ira, siue opportunitas aliqua fuit nomina dedere. Angliae Rex tentato, dein desperato Matrimonio filij sui cum Catholici Regis sorore verterat vota spemque successionis ad Galliae Regis sororem; factisque nuptijs, ac deducta inde sponsa, tantò coniunctior ab noua necessitudine Gallo, quantò alienior in Hispanum, promptiùs libentiùsque coniurarat. Magnum Hetruriae Ducem tentauerant quidem appellauerantque foederati, sed abnuerat ille non iuuenili consilio sequutus instituta maiorum suorum ne deficeret ab Austriaca Domo vnquam, & constantissimè cultam ab eis fidem vti retineret. De Pontifice Maximo, quae summa in terris & augustissima, ac proxima Caelo potestas est, autumabant sanè

Legati aliorum Principum mercatoris habitu.

Danimarcha, Transiluanus Gabor Protestantes Hollãdi.

Quasi catena cunctas Dominationes fermè hoc foedus cõstrinxit.

Angliae Rex desperato Matrimonio filij sui, cum Catholici Regis sorore, & ipse aduersus Catholicum coniurat.

Magnus Hetruriae Dux nequicquam tentatus, sequutus instituta maiorum suorum.

variè homines. qui faſtigium illud profanare ſuis interpretamentis audent, ac de eius animo conſilijſque circa foedus hoc ſuo more vaticinabantur. Verè autem ita ſeſe habuit res, & conſilia ſiue motus Apoſtolicae Sedis huiuſmodi fuere. Tradita Valle Pontifici Gregorio Catholici Regis nutu, miſſoque ad depoſitum accipiendum Duce Fiani fratre Pontificis eius, conuenerat ita pactumque erat, vt praeſidia, quae per Vallem diſponenda eſſent, conſtarent illa quidem ex Romano tantummodo milite, ſed ſumptu Regum ipſorum alerentur; id fieri primò, dein omitti coeptum, poſtremò planè negligebatur, planeque exoleuerat, ac totum Apoſtolicae Sedi manebat onus, & quotidianum, & graue, cum nouas ſubinde pecuniae ſummas in ſtipendia militum ab Roma tranſmitti oporteret. Mors Gregorij paulò poſt inſecuta ferè abſtulerat eius damni ſenſum: Comiterque tolerauerat ſenex quamdiu depoſito ſuperſtes fuit. Vrbanus inde ſucceſſor, & noui Pontificatus magna conſilia, magnaeque neceſſitates, & praeſentium, imminentiumue rerum, tum manifeſti, & quotidiani, tum occultiores quidam altique prouiſus, taedium fecere impenſarum, quas per ſe graues Eccleſiaſtica diligentia querimonijs interpretationibuſue ſuis inſuper aſſiduè onerabat. Ita, non quidem ad foederis armorumue ſocietatem vllam, ſed tantummodo

1623.

Traditur Pontifici Gregorio Vallis Catholici Regis nutu. Quibus conditionibus.

Gregorij mors. Vrbanus VIII. ſucceſſor.

Vrbanus ad liberandam Vallem ſumptuſqꝫ tollendos, cum Lagatis, Miniſtriſque Regum agit, ſed nequicquam.

tummodo ad liberandam Vallem, ſumptuſque tollendos Apoſtolica poteſtas inclinabat, atque egerat Pontifex Vrbanus cum Legatis Miniſtriſque Regum in id vti conſentirent; nec ferè profecerat quicquam Interim praecipitia omnia fuere ad res ex foedere turbandas, bellumque Auſtriacae Domui faciendum: & nomen inprimis id ex Italia tollere, ac delere cogitauerunt, facili, ſicut augurabantur, euentu ſi Prouinciam, Vrbemque Mediolanum capere, ſeu intercipere quoquomodo potuiſſent. Sed Genuam prius ipſam capiendam eſſe dixerant. Clauſtra, portuſque illos ſi in poteſtate habuiſſent, intercludi Mediolanum ab ope Hiſpana, & venturis inde ſubſidijs, quae ſpes vnica, ſiue vltima Metropoli, pepigeratque apud Suſam cum Sabaudiae Duce Gallus, vt eodem tempore, hinc Genuae moenibus copiae admouerentur, hinc fieret impetus in Vulturenam; deiectiſque praeſidijs, intercepto depoſito, patefactis, occupatis inſeſſis ita vtrinque portis, tota belli mole circumſederent, premerentque Vrbem, quam, ſicut Inſubriae caput, ita Hiſpanae potentiae in Italia arcem eſſe ſibi ad omnia oppoſitam videbant. In id igitur conſilia, vireſque conſociabant, magno interim ſicut ipſi rebantur militari aſtu, rem ipſam conſiliumque occultantes. Ad Genuam inuadendam ſumpſerant obtentui Zuccharelli

Auſtriacum nomen ex Italia tollere, ac delere Foederati cogitant.

Vrbem Mediolanum intercipere quoquomodo meditantur.

Genuam prius eſſe capiendam conſtituunt. Quæ ſuaderent

Quae apud Suſam cum Sabaudiae Duce Gallus Rex pepigerit.

Genuae moenibus copiae admouerentur, & eodem tempore in Vulturenam Vallem impetus fieret.

Vrbs Mediolanum Inſubriae caput, & Hiſpanae potentiæ in Italia arx.

Ad hanc capiendam conſilia vireſque Foederati conſociant magno ſilentio.

To-

Toparchiae litem, quae Sabaudo cum Rep. illa commodùm mota erat, ambiguo inter partem vtramque iure, cum de antiquo possessore Sabaudus, de Caesare Genuenses empta ea loca haberent: omissaque actione Sabaudus, & contentione iuris ierat repente ad arma Reip. ipsi minitabundus non stimulante solùm, sed & adiuuante Gallo pecunijs, & milite, quodque maius auxilium, & maior Liguri metus, ipso per Italicas Vrbes murmure primùm, deinde constanti iam fama, Galliae Regis auspicijs rem eam geri. In Vulturenis, & Rhaetia, non fama, & murmur, sed ipsa sub oculis erat res, palam cogente exercitum Couraeo Legato Regis eiusdem, qui mutata repente persona, seu duplicato munere factus gerendi belli administrator, Heluetiorum, & Bernensium aliquot millia sub signis habebat absque vllo, vel famae mortalium, vel caelestis irae respectu imminens in Vallem Apostolicae Sedis authoritate securam, atque inuiolabilem. Non erat ignarus Feria gliscentis in occulto conspirationis, & ea, quae palam mouebantur ad suspiciones, & indicia prouisu, astuque Ducis iam antecapta congruebant. Itaque, & propter Prouinciae curam, & propter gloriam, atque solicitudinem operis quodammodo sui, quandoquidem id negotium primus ipse commouisset, agere, ac moliri omnia in-

Sabaudus omissa actione, & contentione iuris Zuchatelli, Toparchiae, it repente ad arma Gallo adiuuante.

Couraeus ex legato gerendi belli administrator.

Aliquot millia Heluetiorum, & Bernensium sub signis habet.

Nihil istorum Feriam latebat Eius varia Prouidentia.

ſtitit, ne Galliae Regi deſtinata ſuccederent, & haberet ille Vallem, facili inde tranſitu Comum, dein continua, mox proxima, poſtremo moenia ipſa Vrbis aditurus, ſi res tanta ſucceſſiſſet; Atque ſtatim fecerat omnia haec. Balnei Demarcho, qui Pontificis nomine obtinebat, curabatque Vallem praedixerat in quanto res diſcrimine eſſet, monueratque eum, vt praeſidia, ſtationeſque augeret. Pecunias in id militemque fruſtrà obtulerat. Scripſerat ad Paſtranae Ducem, qui Catholici Regis tunc Legatus Romae erat, vt Pontificem ſuper eo negotio alloqueretur, exploraratque tentabundus, numquid altioris Conſilij ſubeſſet. Scripſerat ſimul ad factionis Hiſpanae Cardinales de ſuſpicionibus quibuſdam timoribuſue ſuis, itaut poſſent illi intelligere etiam id, quod ipſe reſciebat. Compellatuſque Pontifex ab Paſtrana Legato ambiguis implicans verbis reſponderat: nihil impij, neque iniqui facturum eſſe Galliae Regem. Ita, hinc repudiatis, quae Feria ad praeſidium tutelamque Vulturenae offerebat: hinc Pontifice quaſi aſſeuerante ſecuritatem, & arguente ſuperuacuos timores, manebat opportuna Vulturena hoſti. Nouembri menſe Couraeus facta repente irruptione fauces, quae Rhaetiam ab Tirolo diuidunt, occupauit. Stairo nomen loco eſt celebri ob munimenta quae ponuntur manu,

*Monet Balnei Demarchum, qui Pontificis nomine obtinebat, curabatque Vallem.*

*Praeſidium, & pecuniam fruſtrà offert.*

*Ad Paſtranae Ducem, qui Catholici Regis Legatus Romae erat ſcribit Feria.*

*Quae reſponderet Pontifex Vrb. Legato Catholico.*

1624.

*Couraeus facta repente irruptione fauces, quae Rhaetiã ab Tirolo diuidunt occupat.*

manu, quaeue sponte, & ingenio naturae prouenere illic. Ab Staico Curiam nemine obstante tetendit: vrbeque capta eiecit Episcopum; Sustulit impositos ab Archiduce Magistratus, & opes, libertatemque confirmauit partium earum, quae aduersae Catholicis fuerant. Mox dato in Vulturenam impetu Tiranum adeptus, addiuuantibus ab altera parte Venetis Vallem vniuersam, & propugnacula, siue Castella illa suae potestatis fecit, dedente cuncta Legato Pontificis, qui oblatum ab Feriae Duce subsidium temerè, an arte repudiarat. Ripa tantummodo aegrè retenta Hispano est inter deditionem ipsam adnittente, & obtestante Feriae Duce, ne Romanus proderet munimenta hosti, in quibus arcendi finibus hostem spes omnis posita esset, & ab ea quidem parte praeparauerant, siue tentauerant sibi Galli aditum in Prouinciae fines, vti dictum est, aggressuri Metropolim. At parte ab altera Gallicus Magister Equitum Aldigherius ille notissima fabula temporum horum, modò rebellis & turbator, modò spes praesidiumque Regni, iam dextera quasi Regis cum Sabaudiae Duce coniunctus, Genuam claustra altera Prouinciae, & portas circumuenerat infestusque reppetebat. Tria millia peditum, equites ter mille quingentos principio in eã expeditionem eduxere, mixtum Pedemontano Gallicum militem: expectabaturque

Staicum celebre ob munimenta.

Curiam Couracus capit. Episcopũ eijcit

Tiranum adipiscitur, & Vallem Vniuersam adiuuante Veneto capit dedente eam Legato Apostolico.

Ripa aegrè retenta Hispano est inter ipsam deditionem.

Ab hac parte Galli praeparauerant sibi aditum in Prouinciae Mediolanensis fines.

Aldigherij fortuna varia.

Hic cum Sabaudiae Duce Genuam inuadit.

Dux Ghisa cum classe eodem tempore subiturus Genuae Portum erat.

turque classis Duce Ghisa ex composito subitura portum; tunc scilicet cùm terrestris hic exercitus admoueretur, quò promptius duplici terrore subacta imbellis, & mercaturae potius, quàm vlli militari operi semper assueta Ciuitas ad deditionem inclinaret. Fuerat & spes haud temerè concepta ex dissidio plebis aduersus nobiles Vrbis eius, cui semina etiam praebebat Claudius Marinus Gallogenuensis quidam, & plebi percharus, quem ex nobilitate illa sibi asciuerat Rex, atque hoc tempore Gallica apud Sabaudium Ducem Legatione fungebatur, sedebatque Taurini gnarus patriae rerum simul & instigator animis, & minister hosti. Ineunte Februario prodiere: delectaque expeditioni hyems, quò magis inopina, & subita res foret. Siue quia maturum iam id erat consilijs tempus, nec differri vltra expediebat. Coepere repentino ita impetu, oppida arcesque nonnullas, ac perlata ad moenia Vrbis direptione, tantum ei populo terroris fecere, vt parum abfuerit, quin discors ad alia Ciuitas, & mutuis cum plebe suspicionibus implicata nobilitas, posita ciuilium studiorum contentione consentirent aperiendas esse portas, neque expectanda iratorum exercituum exempla in diuites, & ignauos. Obstitit siue saluti fuit error Sabaudiae Ducis, qui omisso Gabio vnde breue ad Vrbem iter, flexo ad Otacium

Nobilitatis Genuensis, ac plebis dissidia spē augent hostibus

Claudius Marinus Galli Regi percharus, Patriae fermè hostis. Cur.

1625.

Magna cōsternatio Genuensis Vrbis.

Quid corruperit Victoriam.

agmine,

agmine, respirandi, atque recolligendi ex subito pauore animos spatium dedit. Est Otacium ad Apennini radices frequens, & nobile municipium, augentque nobilitatem vina, quibus ex ipso municipij nomine pretium, & authoritas apud deditos voluptati huic. Ibi Ligurum exercitus obuius Sabaudo fuit: committiturque praelium principio anceps: mox pro vetere bellatore aduersus armorum fere expertes etiam fortuna stetit, & capto Oppido laetus praeda, laetus captiuitate nobilium Genuensium Dux haud quaquam tamen syncero eius victoriae gaudio fruebatur ob amissam è manibus occasionem capiendae Vrbis, vnde consiliorum, & rerum summa pendebat. Et vecordiam ipse suam incusabat, & militaribus querelis incessebatur, quod victoriam improuidè ipse corrupisset. Conscenso vertice montis vnde latè prospectus in subiecta, contemplatus Vrbem Genuam illam veluti imminentem in maris Imperium, moeniaque, & situm, ac pro moenibus vndas etiam, & Montes, fastigia aedium regali sumptu, versa saxa in hortos, delitiasque hominum illorum per litora luxuriantes, haec omnia cernens, altiusque reputans, ea quae remota procul ab oculis, & abdita iacebant, dicitur ingemuisse, itàut suspiria etiam audirentur. Tunc quoque si ab prospera pugna captoque Oppido, Gabios inde Genuam extemplo

Otacij situs, & laus.

Pugna secunda Sabaudi Ducis cum Liguribus.

Multi Nobiles Ligures capti.

Quid angeret Sabaudum Ducem.

Genuę situs descriptio, & magnificentiae Vrbis.

Ingemuit Sabaudus ad prospectum pulcherrimae Vrbis.

In quo etiam errauit Sabaudus.

templo duxisset, censuere potuisse capi diripique Vrbem eam caput rerum. Ac stetere Genuenses in eo discrimine beneficio Aldigheriae eiusdem, qui ad conuellendam transferendamue Remp. excitus ex Gallia missusque erat. Namque ille pecunia sicuti creditur accepta author Sabaudo fuit, vt omisso illo victoriae itinere haereret in oppugnatione locorum, quae nec facilè capi poterant, & exiguum in eo momentum si caperentur. Aiebat nihil relinquendum esse à tergo aggredientibus Liguriam Metropolim, arcemque tantam. Ita Vrbem Genuam, quam semel prouidus Sabaudiae Ducis error seruarat, iterum Galli Ducis perfidia, siue par priori error seruauit. Interimque rostrata Hispana aderat, pecuniam, & arma militemque ferens, opportunum, neque expectatum subsidium Vrbi, quam manere saluam ex Maiestate quidem sed multò magis è securitate Imperij huius foret, hanc & classis deinde tota sequebatur: missaeque ab Feriae Duce legiones: & auxilia, quae reguli Catholicis obligati pactis obtulerant, expectabantur: vnde verterat metus in hostes & imminentia circumspicientes, & dissidio ducum offensos, atque conturbatos. Et ab ea parte quidem Gallica res impetusque captus ad inuadendam prouinciae spem alterna spe, alterno metu fluctuabat ita haerebatque simul: ab altera verò, quid

Aldighera pecunia accepta inuidit tantam Sabaudo victoriam.

Artes quibus est vsus, vt praecluderet victorię iter.

Genuam cum Sabaudi Ducis error tum Gallica perfidia seruauit.

Rostrata Hispana milite, & auro pressa venit inexpectata Genuensibus.

Legiones in subsidium Ligurum ab Feria mittuntur.

sperari

ſperari timeriue poſſet, ipſe ſtatim virorum, armorumque conflictus multò hinc inde ſanguine, ſed maiore Gallorum ſtrage decreuit. Comiti Ioanni Serbellono, qui decora accepta à maioribus gloriamque generis inter Mediolanenſes, iam inde ab auo, & atauo partam, auxit multa ſua militari virtute, magniſque inter haec Inſubriae bella meritis erga Regem huic ab Feriae Duce mandata edita, copiaeque traditae erant, queis Ripam vnicam illam reſiduam in Vulturenis arcem tueretur, atque retineret aduerſus Gallos, ne hoc etiam occupato propugnaculo, tota Vallis hoſtium fieret; liberque deſcenſus inde in prouinciae fines, & ſcalae quaedam manerent.

Comitis Ioannis Serbelloni laus. Huic ab Feria Ripae defenſio mandatur.

Oppoſitus iſte Gallo Imperatori, exercituique ex Gallis, & Venetis, ac Rhaetis ad munimenta Ripae oppugnanda coacto, atque ab tribus vno tempore partibus irrumpere conanti, pugnam edidit plus fortaſſe admirationis apud poſteros, quam fidei habituram. Quippe gladio arrepto oblongo, lato, ancipiti, in ſtationes hoſtium, quacunque tulerat impetus, penè cum rabie deſiliens, ac regens vtraque manu telum, aut ſternebat exanima corpora humi, aut ita vulnerata relinquebat, vt ſors optabilior eſſet eorum qui acciderant & efflarant illico animam. Videres alium ſecto bifariam cranio, viſcera ſanguinemque effundentem hiatu horribili, & foedo. Alium

Serbelloni admiranda virtus

Immanium vulnerum deſcriptio.

amputato, ſed leuiter adhuc haerente capite retinentem emortui ſpiritus reliquias, & veſtigia vitae aufugientis: foemora humeroſque laceratos, & truncas vulnere nares, crura, & brachia manuſque deciſas, ſtragemque membrorum, quacunque mucronem, aciemue macherae ille circumegerat. Tentauere victi clementiam vincentis, & ſeſe, atque arma tradebant. Sed deditio non accepta eſt, trudebanturque dedititij in lacum, ſiue inſolentiâ victoriae, & ira, ſiue documento, & exemplo ad poſteros. Defenſa in hunc modum, & liberata Ripa ad Genuam inde tuendam, & profligandum ea penitus regione hoſtem, Catholica arma auertuntur ab eodem Feriae Duce Gubernatore Mediolani. Qui accenſum gloria animum ab effuſo quodam impetu continere, modumque ſecundis rebus imponere ſi didiciſſet, non modo meruerat de Liguriae Metropoli ciuicam, ſed planè retuliſſet illud militare nomen, & famam, cuius dulcedine principiò ad arma ierat. Aderat, praeter validiſſimi robur exercitus, durabatque fortuna diſſidij inter illos Aldigheram, & Sabaudum, qui iurgati capitalibus aculeis conuitijſque verborum, altius animis tumebant, voluebantque ſuſpiciones inter ſe, & iras, qua occaſione ſtatim expeditiora omnia Hiſpano fuere. Deinde victoriae ſimul, & gloriae curſus, ad Veruam illam per ſe obſcu-

Victi nequicquam clementiam victoris Serbelloni tentant.

In lacum truduntur.

Quid in Feria magno alioqui bellatore deſideraret Hiſtoricus.

Sabaudus, & Aldighera voluunt inter ſe ſuſpiciones, & iras.

Ab hoc diſſidio expeditiora omnia Hiſpano.

ram, insignem infortunio bellatoris huius constitit, sicuti postea demonstrabo. Nunc eiectione Gallorum apud Ripam facta suis auspicijs inclytus, expectatione rerum ingens, victore exercitu ab Mediolano egressus, tantum primo statim incessu valuit, vt Sabaudus eo appropinquante, similem fugae profectionem pararet non ignauia sua, vel abiectione animi, sed quia desolatus Aldigherae proditione erat. Et quò magis, magisque trepidare, ac sibi consulere festinaret, incolae regionis ipsius, quam populationibus, & raptu infestabat, conuersis ab defensione terrae animis ad consectandum vltro, pellendumque hostem, effecere. Ponzeuerascihae appellantur gens ferox etiam in pace cùm nulla publica arma asperant animos: nunc irritati damnis, & consuetudine belli in furorem penè abierant: ac metuendi magis, quàm arma vlla timentes aggressi saepius castra ipsa, stationesque hostium intulerant luctum, caedem, & omnia funesta exempla, quae permixti Gallis Pedemontani referrent domos. Victorium quoque Principem huius Sabaudiae Ducis filium intra oppidi cuiusdam moenia deprehensum obsedere, frementes, hoc illud esse tempus, aut pretia redemptionis exigendi, aut plectendi captiuum arbitratu suo nisi redimeretur. Pretiumque Duci fuit experiri vltima, & conniti, neque abscedere inde, antequam soluta foret obsidio,

Feria ab Mediolano cum copijs egreditur.

Sabaudus maximè turbatur. Cur.

Ponzeuerascihæ gens ferox, eius furor in Sabaudum.

Principem Victorium intra oppidi moenia deprehensum obsident.

Soluitur obsidio ab sene Patre Duce.

receptuſque Princeps. Et abibat ſanè poſtea cum Principe filio ſenex Dux multum incuſans Gallicam fidem, & inania pacta foederis, ſeque nimium liberali credulitate deceptum, ſed ne fugae ſpecies manifeſta itineri ſubeſſet, quaſi Sauonam Vrbem oppugnaturus, ità agmen, machinaſque, & tormenta circumduxit, atque oſtentata, dein omiſſa oppugnatione rediјt vnde venerat. Facili dein negotio ſunt recepta Catholicis armis omnia, quae Sabaudus, & Aldighera occuparant, & vno penè agmine rediere in ius, ditionemque Genuenſium, loca, Caſtella, oppida, arceſque iſtae. Hactenus ab Feriae Duce res erat geſta feliciter; atque hinc apud Ligures eluſa foederatorum ſpe, conatuque intercepto, poterat & plauſu fauoreque Ciuitatis, & propter magnitudinem quoque rerum redire more triumphantis in Vrbem. Mox implicatur obſidione Veruae, modicae tunc arcis, dein celebri fama, poſteaquam hunc Feriae Ducem, exercitumque eius, nequicquam temerè oppugnata peſſumdedit, atque afflixit. Verua trans Padum impoſita colli, primos Subalpinae terrae aditus tuetur, munita ipſa editis in altum rupibus haud minus, quàm Sabaudiae Ducum cura, ex quo praeſertim in diſcrimine aliàs etiam fuerat. Habet à tergo Creſcentinum veluti geminam ſibi arcem, ità connexis rebus ſitu, & opportunitate locorum, vt mutua ſtent

Sabaudi Ducis querellae in Gallicam fidem

Specie Sauonae oppugnandae Sabaudus fugã velat.

Genuenſes ſua è veſtigio recipiunt.

Feria egregiè Prouinciã confecerat ſi ab Verua abſtinuiſſet.

Veruae ſitus, & munimenta.

ope

ope duo haec propugnacula Regionis: nec ferè aut capi Verua potuerit, aut capta defendi, nisi arx altera capta sit prius. Exercitum Feria habebat, vel robore militum, ac numero, vel ducum nobilitate, qualem non facilè aliàs vllo bello regum penè vllus parauerit. Caesarianae legiones erant post Germanica bella, victoriasque ditatae spolijs, graues auro, equis, armisque nitentes, gerentes simul pro fortuna animos. Sic, & repraesentata facili compendio esse arbitror corpora, & fastum, animosque eorum, qui copias huiusmodi ductabant, quandoquidem copiae ipsae cultu, habituque hoc incessere, Principes ferè terrae, aulaeque illius, & annexi quidam domui Caesaris communi fama, & veneratione hominum agnoscebantur. Triginta millia armatorum fuere, quos inter Italici, Hispanique militis ferocia, & virtus eminebat: exercuerantque bella legiones nostras, nondum attriuerant illuuie, & squalore, atque egestate, & desperatione, quae calamitates diu fatigatorum exercituum sunt. Vidimus, dum hae copiae congregarentur, continuo per aliquot dies agmine occupata itinera, & plenam externo, prouincialique milite vrbem, & exoneratos hùc Germaniae proceres, & quicquid Hispani siue Neapolitani fastus est, Mediolani in armis, & ferè translatas Vrbis opes in alienigenas, dum

Ingentes Feriae Ducis copiae.

Caesariani exercitus splendor, & ferocia.

Magnarum copiarum descriptio.

onerantur huius aerarij ſtipendijs, veſtibuſque & auro non minus, quàm telis, & neceſſario armatu. Hoc exercitu profectus iterum ab Vrbe Dux Feriae Gubernator Sabaudiae Duci minitans. Haſtam primò duxit tamquam oppugnaturus eam Vrbem, inde flexo ad Veruam itinere, ſubiectos colli campos inſedit, nulla re illic omiſſa, quam vel alius quilibet egregius Imperator in obſidenda, vel oppugnanda magna Vrbe excogitare, atque inſtituere potuiſſet. Sed apparatus hic ipſe, & nimius erat, & temporis interualla requirebat: ſpatiumque Sabaudo fuit firmandi praeſidio maiore arcem, atque ſubſidia opportuna ab Creſcentino intromiſſa ſunt. Non facile dictu eſt, quae inſuper occultior altiorue cauſa conſilia Ducis Hiſpani turbauerit, quodue fuerit ipſius altius praeterea conſilium, vt res ea peſſimè gereretur, conſenuit ſanè ibi florentiſſimus exercitus aeſtatem intra vnam, & eò redactus eſt, vt inde abduceretur admodum difficili receptu, niſi recens ex Germania miles, duce Mansfeltio, latera abeuntium, & terga texiſſet. Quippe tormenta relinquenda ſub moenibus fere ijſdem, quibus excidium paulò antea minitabantur, & veluti in manum tradenda hoſti erant, quod pene vltimum in re militari dedecus habetur. Ita Dux Feriae re parua magno damno tentata nequicquam, ab Verua Nouariam

Haſtam ducit Feria mox flexo ad Veruam itinere ſubiectos colli campos inſidet.

Obſidium omnibus militarib. praeceptis Feria inſtituit.

Quid corruperit tam benè coeptum obſidium.

Æſtatem intra vnam tantae copiae conſenescunt.

Feria ſe recipit. Mansfeltij laus in receptu.

retrò concesserat inde Mediolanum rediturus, increpante scilicet Ciuitate expeditionis eius initium iuxta & finem. Prosperiore fama Marchio S. Crucis alijque Hispani duces adiuncto Genuensium exercitu rem gerebant recepta omni ferè occidentali ora, quam inuaserat Sabaudus, atque occuparat, bellique totius terrore conuerso in ipsum. Dum haec modò in Subalpinis, modo apud Vulturenos alterna succedunt vice, ac veluti praeludia haec exercentur bellorum atrocium, quae deinde exorta fuerunt, ludicrum aliud exhibuere Reges, nempe pacem breuissimi temporis illam, quam implacabilitas postea Regnorum haec insecuta est: vereque scena ea quaedam, & imago tantummodo pacis videri potuit, in qua multa admiranda, & incredibilia dictu facilè euanuere sicuti vana item, & fluxa erant. An verò nihil vani, neque ficti suberat pactis conuentisque Regijs sed praeualidi postea ministri, & inquieta ingenia turbauere haec atque ad irritum & inane redegerunt. Apud Monzonum in Aragonia transacta res agitataeque ibi, & scriptae atque acceptae conditiones pacis, cùm Rex illùc ad conuentus peragendos de more venisset, transtulissetque Aulam: In eo negotio maxime nouum id fuit, quod Galli facta irruptione in Vulturenos, ac super obtinenda Valle tantopere tumultuati, nunc omissa

Ciuitas Mediolanum increpat eius expeditionis initium iuxta, & finem.

Marchio Sanctae Crucis vna cum Ligustico exercitu recipit omnem occidentalem oram

Inter tot bellorum ardorem. Pax breuissimi aeui inter Reges fit.

1626.

Apud Monzonum in Aragonia scriptae receptaeque Pacis conditiones.

ea

ea contentione ſumerent arbitros, quicquid in eo Monzonenſi conuentu ſtatueretur ratum, firmumque habituri: Rexque ſimul ipſe nuper abrupta cum Rege Catholico amicitia pariter, & conſociati ſanguinis iure, permitteret eius arbitrio ſua nunc iura, immò faceret vltrò eum arbitrum Italiae rerum. Arbiter namque verè declarabatur hoc ipſo, quod Sabaudum inter, & Genuenſes ſtatuere ipſe debebat, dixeratque ita Gallus, ſtatuitque Catholicus, & decreuit.

Arbitrum Italiae cum ingenti orbis admiratione Galliarũ Rex Catholicũ facit.

# EPITOMA
## LIBRI QVINTI

NIuerni Ducis aduersus Caesaris edicta contumacia. Casalis obsidium ab Corduba. Caesaris Montij legatio extraordinaria in aulam tanti viri indoles, Nobilitas, Purpura, & Patriae Pontificatus referuntur. Galliae Rex Alpes inter, & niues transmittit in Italiam. Sabaudiae Ducis acta cum Corduba. Soluitur obsidio Casalis. Corduba in Hispanias accitur. Spinula cum Imperio Mediolanum venit, iterùm ab tanto Imperatore Casalis obsidio instituitur.

Mantua ab Germanis capta, & direpta. Pinarolum ab Gallis admirabili astu interceptum. Triumpho proximus etiam Spinula suo funere librum hunc, & suos dies claudit.

# IOSEPHI RIPAMONTII

## CANONICI SCALENSIS

### CHRONISTÆ VRBIS MEDIOLANI

# HISTORIÆ PATRIÆ

## LIBER QVINTVS.

POSTQVAM edicta Caesaris simul, & monita Regis, atque mistas ab eo precibus minas Niuerni Dux adeundae hereditatis destinatione contemnebat, nec de Mantua relinquenda, siue deponenda penes sequestrem vllo pacto assentiebatur: haud vltra dubium fuit quin, belli terrore subigendus ille, domandusque esset. Exercitum sanè valdè diminutum habebat. Attriuerant incommoda magis, & morbi aestate superiore legiones, quàm praelia, & hostis, aut res vllae gestae bello. Octo millia peditum, equites mille quingentos, ad Casalis moenia succedens eduxerat secum. tantula manu oppugnaturus obsessurusue arcem, cuius fama numerosissimos etiam exercitus terruerat alias, semperque terrebit, sed spe obiecta futurae intus proditionis commiserat Hispanus Gubernator in tantum sese discrimen,

Dux Niuerni, edicta Caesaris, & monita Regis cōtemnit.

Conditiones Caesaris, & Regis, quibus Mantua penes sequestrum ab Niuernio deponeretur.

Decernitur bellū.

Copiae, quae essent tum Catholici Regis in Insubria.

Incommoda, & morbi attriuerant legiones.

Quantis copijs Casalis obsidionem Corduba instituerit.

Magni nominis Arx Casalis.

Spes Cordubae obijcitur futurae intus proditionis.

quae ſpes vbi fefellit, & vbi Niuernius ab hoc Mediolani Gubernatore fruſtra ſeſe petitum videt, illico ſequutum eſt id, quod ſequi etiam debere vulgò omnes autumabant. Anceps nempe Hiſpanus hinc virium infirmitate, hinc contemplatione arcis, & fama, quae terribilis adeò eſſet: accerſere vndique auxilia, quae partim in tempore aderant, partim anxie expectabantur, & aut nullum, aut leue momentum, hae, vel illae copiae erant. Niuernius contra ex imbecillitate exercitus, ſpiritus aſſumere maiores: atque id ipſum, quod ſucceſſiſſet ad moenia Gubernator, trahere ad inuidiam: onerare principum aures querimonijs interpretationibuſque varijs, & ipſam in primis arguere depoſiti ſpeciem, tamquam non ad certamen iuris, ſed ad vim manifeſtam ea pertineret. Id quaeri, vt cùm per obſequij titulum, ac nomen depoſita res foret, interciperetur, adimereturque. Quod ſi dubium alicui antea fortaſſe fuiſſet, nunc demum ſublatam eſſe dubitationem hoſtili inter haec negotia irruptione, quae nudaſſet animos. Permoueratque ita Galliae Regis animum, vt ſubſidio ſibi eſſet, antea quoque ſua ſponte meditantem quomodo firmare poſſet alumno huic, & populari ſuo in Italia opes, idque gerendarum rerum inſtrumentum Mantuae haberet, Prouinciae Mediolanenſi adeò opportunè imminens, vt interiectus amnis con-

Corduba decipitur.

Quid conſilij caperet Niuerni Dux

Anceps Hiſpanus trepidat acceſſit, vndique auxilia.

Niuerni Dux ex imbecillitate Hiſpani exercitus ſpiritus aſſumit maiores.

Onerat Principū aures querimonijs.

Arguit depoſiti ſpeciem tanquā non ad certamen iuris, ſed ad vim manifeſtam ea pertineret.

Permouet Galliæ Regis animum.

Quale eſſet conſilium Galliæ Regis.

Dux Niuerni Alūnus Galliarum.

Opportuna Prouinciae Mediolanenſi Mantua.

coniungat magis, quàm dirimat vtriusque Prouinciae fines. Obsidione Rupellae attinebatur adhuc Rex: neque ideo distulit quominus duodecim millia peditum, equites mille quingentos mitteret praeualidam aduersus copias nostras, & numero inferiores, & robore manum, allaturamque cum ingenti damno cladem huic exercitui, nisi Sabaudus, qui sicuti demonstratum est vno animo cum nostris hoc tempore gerebat rem, pari virtute, ac felicitate obuiam iuisset, & aut occidione deleuisset auxilia haec missa Niuernio, aut retro domum compulisset, vnde, & fides, gratiaque, & authoritas Duci apud Hispanos creuit: tuleratque decus ingens cum iuuene filio senex pater. Caeterum, non quanta fortuna Sabaudo fuerat aduersus auxiliares Gallos, tam prospere quicquam ad Casalis Moenia Gubernatori succedebat. Facta aliquoties eruptione obsessi stragem nostrorum ediderant: defenderant circumiectos Vrbi colles, prohibuerantque excitari aggerem, & tormenta collocari locis opportunis, itaut verberationis instituendae nulla fuerit vnquam facultas. Molas etiam & pistrina volentes exscindere nostros arcuerant, & sicuti retinuerant praecipuam hanc annonae spem, ita omnis alia copia annonae in Vrbem introducta erat. Interea tamen adfuere copiae, quae expectabantur: atque confirmato, & aucto, sic exercitu

Ab interiecto amne tantum diuiditur Insubria ab Mantua.

Rex Galliae attinetur obsidione Rupellae.

Quantas copias mitteret Rex Galliae aduersus Hispanos.

Sabaudus occidione deleuit auxilia haec missa.

Decus ingens tulit Sabaudiae Dux.

Non eadem felicitas Cordubae, ac Sabaudiae Ducis

Obsessi erumpentes stragem nostrorum edunt.

Excitari aggerem & tormenta collocari prohibent.

Verberationis instituendae difficultas.

Hispanos arcent molas, & pistrina exscindere tentantes.

Copiae, quae expectabantur adfuere Hispano.

Confirmatur Corduba nouis auxilijs.

citu Gubernator, captis inſeſſiſque collibus, Ponzono, & Roſignano ( nomina validiſſimarum arcium ſunt ) redactis in poteſtatem, coeperat terrori eſſe incluſis: ſperabaturque deditio. Tantum momenti fecerant eae copiae duceſque ipſarum Spinola, & Trottus, quorum alteri Ponzonum, alteri Roſignanum multo ſanguine ſteterunt, & haud dubie victoriam ex media pene deſperatione haec expugnata munimenta pollicebantur. Atque erat res ad Caſalem in tantum adducta diſcrimen, tantopereque angebat Gallos pene demen- leti exercitus ignominia, quem Sabaudus, ſicuti dictum eſt, ceciderat, aut fugarat, vt Rex ipſe, ſimul dolore cladis eius, ſimul cura, & metu, ne Vrbem, & arcem illam potirentur haberentque Hiſpani, ſtimulantibus praecipue Venetis, venire cum nouo exercitu in Italiam pararet.

Circumiectos Vrbi Colles in poteſtatem redigit.

Incipit eſſe terrori obſeſſis.

Spinola, & Trottus inclyti nominis Duces.

Haec munimenta expugnata pene victoriam pollicentur.

Galliæ Rex cũ dolore cladis ei ab Sabaudo illatae, tum ne arcem potirentur Hiſpani ſtimulantibus Venetis cum nouo exercitu in Italiã venire parat.

Nuncius Apoſtolicae ſedis extraordinarius apud Regem hoc tempore erat Caeſar Montius ex antiquiſſima, & prima huius Patriae nobilitate. Caeterum cum longè maximum ſuae aetatis ſit Patriae huius decus, ac ornamentum operae pretium videtur excedere paulum ad enarrandum, quibus artibus praeter auitam nobilitatem primò inclaruerit, dein Purpuram fuerit, Patriaeque Pontificatum adeptus. Princiuallis Montius Senator pater illi fuit ex Anna Landriana matre foemina virilis

Caeſar Montius Nuncius extraordinarius apud Cathol.

Eius nobilitas.

Montij Genitores

virilis animi, ac priscae virtutis, quae Caesares, & Marcos Antonios genuit, vtraeque Familiae Patriae, & opes claritudini generis sufficiebant. Prima iuuentae spatia, acta ijs artibus, ac studijs, per quae ad magnam fortunam nata excoluntur ingenia. Ticini sapientissimos illius Academiae audiens, omnium ora in se, cum ob morum candorem, & modestiam, tum acre iuuenis ingenium conuertit. Et validum fraenum coaequalis iuuentutis licentiae Montij aspectus erat. Laureatus in Patriam venit, dein longe nobilissimo I. C Collegio adscriptus ad Vrbem pergit. Et vt est illa reticendi nescia, vix pedem fixerat, cum illi supremos honores, boni ac mali iuxtà rara felicitate in vrbe Roma ominarentur. Viditque illa Aula breuissimi aeui spatio in hoc viro promouendo trium Summûm Romanorum Pontificum iucundum sanè certamen. Paulus dignitatem inchoauit, Gregorius auxit, Vrbanus longius prouexit, diceres absoluisse nisi aurea ventura saecula negarent. Paulus V. enim vero multa de virtute eius memorans, vtriusque signaturae Referendarium, ac Sacrae consultationis Praelatum fecerat, maiora vtique daturus nisi properum fatum interuenisset. Gregorius XV. eum supremae, quam vocant, Inquisitionis, Consultorem dixerat, sacro coetui de Propaganda Fide Vrbanus VIII. adiunxit, Assessorem eiusdem supremae Inquisitionis fecit, dein legationi Neapolitanae ab eodem Pontifice

Acta ab Montio iuuenilibus anni.

Morum candor, & modestia Montij quid efficeret.

Ad Vrbem pergit

Aulae Romanae omen de Montio.

Trium Summûm Romanorũ Pontificum in Montio ornando certamen.

Pontifice, Panphilio suffectus, se ipso semper maior applaudente Aula Montius apparuit. Intendebat & ipse studia Hominum quadam comitate, quae propria illius viri fuit, Peritissimus insuper erat consuetudinis, artiumque regiarum, & regna Regesque prudentia amplexus nouerat quid in quaque parte fieret, quidue etiam fieri posset, aut fieri deberet, tractareque ista tum domestica disciplina Principualle Proauo, Patriae vsque per ea tempora Decurione, & Francisci Secundi Sfortiae, Caroli V. intimo Consiliario, multisque longè nobilissimis legationibus ad Galliae Regem, & florentissimas Respublicas functo, Senatore Auo, Senatore Patre ortus, ac Senatoris etiam frater, tum rerum Romanarum intima pertractatione didicerat. Itaque hos viri natales indolemque tantam, & res in Neapolitana maxime legatione gestas intuenti Pontifici Vrbano cura mota est, vt in magno hoc rerum humanarum motu, quem Casalis obsidium portendebat, hunc potissimum eligeret, cui legatio extraordinaria Hispana committeretur. Anceps, ac periculosum ciuilia apud ingenia, plenum opus aleae tunc temporis in viro Catholico Regi subiecto Hispana legatio erat. Sed verè Caesar fuit, singulari quadam dexteritate ita se gessit, vt gloriosè confecta Prouincia aeque Pontifici, ac Regi esset charus. Sequuta dein legatio ordinaria virum est Panphilio

Innocentius X. hodie regnans est.

Montij dotes.

Principallis Proauus Vrbis Decurio

Francisci Secundi Sfortiae, & Caroli V. intimus Consiliarius.

Hieronymus Montius Auus Senator

Principallis Pater Senator.

Marcus Antonius frater, & Senator Valetudinis Praeses.

Quid mouerit Vrbanum ad legationem extraordinariam Montio praecipue demandandam.

Quanti momenti Casalis obsidio.

Summa Montij dexteritas.

philiō in Patrum Collegium aſcito, & Purpura, mox Patriae Pontificatus. Caeterum purpura per quadriennium ab Vrbano in pectore, vt aiunt, reſeruata, diceres hoc pulcherrimum donum humano generi ab Pontifice datum, quò ſcilicet tantus vir, ſummis Chriſtiani orbis negotijs in illo legationis quadriennio explicandis adhiberetur. Interea duo acerrima tela Inſubriae rebus Numinis irati ſtrauerant hanc Prouinciam, fames ac Peſtilentia. Promiſcuè in proceres, ac Clerum ab lue maximè ſaeuitum. Praecipua Ambroſianae Eccleſiae capita ceciderant. Praeter obſcurûm capitum innumera cadauera, quae cladem in immenſum auxere. Vbique vaſta ſolitudo, & miſerabiles cladi ſuperſtitum gemitus. Mors dein Faederici Card Archiep. interuenit. Sequutum illud trium annorum amplius interregnum, quod Eccleſiaſticam diſciplinam, ac ſaeculorum opus, ac vigilias Sanctiſſimorum Antiſtitum peſſumdedit. Venerant iam ab vrbe amantiſſimae Principis litterae, quibus cum ea facundia, tum Paſtoralis zelus ille inerat, qui plane tanti Cardinalis ſpeciem, ac ſimulacrum, ignotos apud etiam „ clariſſimè indicarent. Monebat Praedeceſſorum „ decreta, ſanctiſſimè in eum Clerum ſancita, cuius „ diſciplinae famam iamdiu orbis admiraretur om„ nino conſeruanda, condonare ſe aliquid deploran„ dae Patriae calamitati, ob tot tantaſque ſui Gregis „ inſignium virûm ſtrages ab dira lue factas, verum „ qui cladem ſingulari numinis beneficio euaſerant, id „ ſibi crederent à caeleſtibus datum, quò, exemplo, „ bonis moribus, ac diſciplinae, quae propria ſem„ per fuit Mediolanenſis Eccleſiae ſeueritate caeteris „ praelucerent, ſe quidem breui affuturum, & Paſto-

Legatus ordinarius.

Cardinalis Archiepiſcopus Mediolanenſis.

Fames, ac peſtilentia Inſubriam vaſtant.

Clerus magna pars cladis factus.

Praecipua Ambroſianae Eccleſiae cecidere.

Faeder. Cardinal. Archiep. moritur

Trium annorum interregnum, quantum damni attulerit.

Monitus ad Clerum perſcribit.

Fama Eccleſiaſticae diſciplinae Cleri Mediolanenſis.

Quis ſit peculiare Eccleſiae Mediolanenſis.

» ralia munia ita executurum, vt breui, Omnipoten-
» tis dextera, aureis anteactis temporibus sua Sponsa
» minimè posset inuidere. Scripserat in hanc sententiam Cardinalis, repetitisque litteris, ingentem veteris disciplinae stabiliendae ardorem magis, ac magis indicabat. Nec fere crebrior in ore eius sermo. Et qui in aula per ea tempora ex nostratibus agebant, frequentissimè vti fit, de mente Archiepiscopi ad amicos Mediolanum perscriberent. Mirum dictu quanta mutatio morum ex tempore consecuta sit, adeò vt fama sola labentem Clerum in officio dici possit Montius continuisse. Itaque cum imperio anno huius saeculi trigesimo quinto Montius venerat, eius ingressus splendida, & erudita pompa, in diurnis Vrbis actis extat. Nec ferè alia pompa illustrior anteactas longè supergressa siue magnitudine molium, & ingeniorum commentis, per quae aurum effundimus, siue immani mortalium concursu ad habendos honores effuso, mira lenitate edicto Clerum Vrbanum offitij admonuit. Principia praecipuè sacrorum castrorum recognouit, & vtroque ad Ecclesiasticam disciplinam ab licentia formato partem forensis Imperij veluti Imperator contubernia legionum inuisit. Quinae Valles inter caeteras asperae Archiepiscopo Mediolanensi parent Quarum quatuor politicum regimen apud Heluetios, sacrum Ecclesiae Mediolanensis est, in quinta scilicet Valle solida ipsa necis, & vitae est arbitra. Ergo Valles istas quadragesimum intra diem planè portentoso labore inuisit. Et haud semel summum vitae discrimen adiuit Card. cum in illis anfractibus praecipites diruptaeq; vtrinquae angustiaeque essent & tonitrua, & fulgura, & pluuia

Archiepiscopi mens.

Sola fama Montius in officio cõtinet Clerum.

Mediolanum anno 35. venit 29 Aprilis.

Primae curae noui Principatus.

Valles subiectae Mediolanensi Archiepiscopo.

Vallis solidae Peculiare.

Pericula quae adiuit Card.

pluuia procellae instar, & aliae caelestes minae vltra solitum turbarent. Vicit tamen omnia obstinatus amor Gregis, ne pluuia quidem tardante iter, quod & imbrium perpetua proluuie, & profunda passim uligine in illis cauis vallibus, difficile admodum lutulentumque erat. Instituerat quoque primis annis sui regiminis, matutinas & reliquas horas diebus festis Aduentus temporis, in odaeo cum suis Canonicis recitare, ieiuniumque addebat ab pijs seuerioris vitae hominibus celebratum. Sed vetuere Medici, & conscientiae Principis moderatores, ne cum ipse intempestiuo ieiunio castigaret corpus, Clerus magis lasciuiret ad curandam valetudinem Principe occupato. Septuagesimae, Sexagesimae, ac Quinquagesimae dies Dominicos, ternas in Stationes diuisa Vrbe, primus innumeros mortales ad cohibendam Saturnalium licentiam caelesti pane proprijs manibus pasci instituit. Praeuio salutari edicto, quo cuncti puritatis admonentur, qua induti veluti nuptiali veste ij esse debeant, qui cupiant Angelorum mensae accumbere, nihil efficacius ad caelestium pacem exposcendam, quàm per mysteria expiatos mortales, & posita emerita ira redeat aliquando humano generi tranquillitas, quam continua bella tot per annos turbant, cum deploranda tum fortunarum, cum Catholicae Religionis clade. Extat pulcherrimum edictum tanti Archiepiscopi, quo si rectè & ex ordine mortales vterentur, iam laetam pace non minus quam victoria Italiam videremus. Singulis quas vocant Congregationes, in Palatio interest, binasque Synodos Diocesanas scribentibus ista nobis fecerat. Quin & singulis annis veluti centurionatum agit, totius

Sacras horas in Odaeo diebus festis Aduentus, canit Card.

Medici, & conscientiae moderatores vetant Card, ieiunium.

Quid primus Archiepiscoporum instituerit Card,

Edictum quale ab Card. pietate vulgatum.

Binae Synodus;

Vicarij forenses singulis annis Mediol. acciti, quo consilio.

Dioecesis Vicarijs forensibus Mediolanum accitis, ab his breui manu cognoscit, quo in loco stet Ambrosiana disciplina in tam vasto Imperio. Publicè dein Archiepiscopus in conclaue perorat, mensaeque adhibitos dimittit. Vrbanos quoque animarum Pastores viritim ad se vocatos admirabili patientia quotannis vna & altera die dato secreto audit. Rem haud dubiè vtilem, & à bonis postea Principibus perpetuitate disciplinae firmandam. Hinc fit vt vitiorum vepribus ac dumetis recisis Ambrosianus Decor in tam innumero Populo detrimentum nullum patiatur. Neq; legiones variarum nationum, quae Catholici & Prouincialium opes tot per annos exhauriunt in Insubria de disciplinae candore quidquam obnubrarint. Rhaetiam huic Imperio ab septentrione conterminam pari ardore futuri prouidus Card. tuetur, crebris ad Legatum Apostolicum, & Episcopum Curiensem litteris, ne Protestantes pessimum mortalium genus illius regionis catholicos è loco deijciant. Porrò vestalium anxia illa curarum, totq; aliorum locorum pietatis officinas Archiepiscopo subiectas ipse in omnes partes intentus, crederes vni soli vacare, tanta quiete & ordine moderatur, ac regit, vt tot gynaeceea turbis alioqui foecunda ac litibus haud esse in vrbe videantur. Neque eum tantum priuatae suae Ecclesiae curae morantur. Bono ac publicae felicitati nato, omnia fermè quaecumq; hîc Apostolico nutu regenda ac componenda sunt ei demandantur. Non bella, non foedera, non opera vlla pacis absque consilio eius administrata. Ceterum ea est maximi viri opinio, Legatos praesertim apud Italiae Principum, quiq; frequentes Principis

Vrbanos Pastores viritim ad se vocat Card.

Quantae vtilitatis sit.

Rhaetiam ab Protestantibus tuetur Card.

Alia pietatis ac vigilantiae opera Card.

Quanti faciat Apostolica sedes Cardinalem.

aulam frequentant, tot annorum lacrymis, adeò expetitam Pacem duo inter longe maxima Imperia haud alio internuntio, quam purpurato Montio posse confici. Idque peritissimi arcanorum Principum credidere. Adeò summae rerum semper intentus est, & captandarum occasionum minime segnis. Animus illi vastus, & quantaecunque fortunae capax, dignus Imperio si non imperat dignissimus Imperij si imperat. Sed in distribuendis Sacerdotijs, queis haud alia Ecclesia foecundior summa iustitia, ac parsimonia, Emeritis tantum dantur. Animarum Pastorum, demortuis sufficiendorum examini perpetuo semper interest, eo in subiectorũ animarum salutem niti, si bonis Pastoribus concredantur, crebra, & digna tanto Archiepiscopo, vox. Splendidi propterea deprecatores nullum locum Montium apud nisi & clientum merita vrgeant, habent. Doctrinae Christianae, ac Seminarijs statis diebus vacat. Domus frugalis potius, quam ampla. In exitu anni subductis calculis, quae supersunt, pauperibus seuerissimè cedunt. Praeter certam pecuniam, quae singulis diebus per dispensatores suos pauperibus subleuandis numeratur. Fictilibus coenat, argentei lances, & alia magnae fortunae instrumenta procul ab modestia Archiepiscopi sunt. Cibi vltra necessitatem haud appetens, binis ad summum ferculis abstinentissimus Princeps contentus Valetudo illi magis extra periculum, quam firma, vt corporis habitus indicat. Haec pietatis, magnitudinis animi opera subdam. Palatium Archiepiscopale magnificentius extruxit longo cubiculorum ordine cum augusto conclaue ad meridiem. Pretiosissimas tabulas auito aere, & argentea suppellectile diuendita aulaeorum loco, vndique

Haud alio internuntio, quam Montio Pacem sperari posse.

Qui sit animus Card.

Eius iustitia in distribuendis Sacerdotijs.

Examinibus interest Pastorum animarum.

Domus Card. habitus.

Quae supersunt ab Card. pauperibus errogantur.

Certam pecuniam singulis diebus dispensat.

Moderatio Car. Sobria mensa.

Valetudò illi qualis.

Magnificentia Card.

pretiosas tabulas Aulaeorum loco habet quo consilio.

vndique conquiſitas regio plane animo, ac ſumptu congeſſit, futuras aliquando ſucceſſorum pietatis, & elegantiae inſtrumenta. Summûm artificum ſacra opera ea ſunt, ne quid profanum putes, quorum pulchritudo, & penicilli fermè ſupremus labor, cum illud, quod non eſt videatur, quae eſt magnae artis praeſtantia, mirum eſt quantum intuentium oculos alliciant, menteſq; ad caeleſtia contemplanda ab hac mortalitatis faece ſubducant. In eum modum vt Archiepiſcopus huc illucq; obuertens oculos in perpetua rerum diuinarum meditatione verſetur. Caeterum haud ſemel ferunt, qui continui aulae ſunt, tam magnũ ſumptum religionem incuſiſſe Cardinali, deq; ijs alienandis conſilium cepiſſe niſi idem fuiſſet à Carolo, & Faederico magnis illis animis factitatum. Surgebat interea in Conceſae pago Abduae fluminis impoſito ſuperbiſſima moles ex eiuſdem aerario, Deiparae Virgini dicata, quam inclytam miraculis latè finitimae gentes illius tractus adorant Huic coenobiũ adiunxit opere tectorio laeuoris, & candoris eximij & à Patribus Carmelitis Diſcalceatis incoletur, quos eadẽ Cardinalis munificentia in eas Aedes datis alimentis inducet. Sed his, & ſexcentis alijs proprium ſcriptorem habituris iure poſſet gloriari Montius, ni haec, ob maiora quae in dies ad ſuae Eccleſiae incrementa parat, vaſtum apud Cardinalis animum vileſcerent. Sed quod humano maius habitum eſt, quo pacto potuerit Princeps tam breui tempore in tanta licentia Cleri emortuam quaſi diſciplinam ad vitam reuocare ſine ſtrepitu, ac forenſe miniſterio latumijs, ac ſupplicijs valere iuſſis, vno verbo docuerit ſe eſſe tam praeualidum eloquio, quam Caeſarẽ olim fuiſſe gladio. Turbas verò illas ac tricas iuriſdictionis, quas inter arcana Mediolanenſis

Cogitauit Card de alienandis tabulis.

Ad Conceſae pagum longe nobiliſſimam ſacram Aedem Virgini extruxit.

Coenobium Carmelitis diſcalceatis idem Card. aedificauit.

Artes Card. enarrantur, quibus tam breui diſciplinam Eccleſia[illegible] [illegible]

nensis Ecclesiae ciuilia ingenia connumerant ita tractare est solitus, vt nihil omnino de suo iure cōcedendo sibi Catholici ministros deuinciat, eorumdemq; in se obsequium, & amorem iuxta pariat. Aditus nimirum ad eum faciles interiores litterae, Caesaris Maiestas, morum quaesitissima innocentia, eloquentia ad miraculum, siue priuatim, siue publicè ex suggestu peroret, ad ius dicendum patientia, luxus ad Ambrosiani decoris gloriam compositus, familiares non nationes, sed pauci rarae probitatis. Hae sunt artes, quibus & Ecclesiam suam auget, & Sanctissimorū alioqui Praedecessorum Montius Archiepiscopus leue desiderium facit. Cumq; de venia impetranda Niuernio inde namq; diuerteram, recipiendoq;, & in gratiam per Cardinalem Antonium antea nequicquam egisset, volens nunc rursus tentare spem eamdem mandata in id opportuna legato huic dederat, & circumspiciens ipsa sua spontè quantas turbas ea Mantuana contentio allatura esset, & quanti discriminis ea res foret, tantò maiore solicitudine agebat, vt mota in Niuernium arma omitterentur, & indicta praeteritorum obliuione concederetur Niuernio hereditas quam & iure Gentis ille trahebat, & ei concedendam iam inde à principio censuerat Rex. Vsusq; Nuntius idem Apostolicus opportunitate Gallicae legationis, quae in Catholicam Aulam ad gratias Regi agendas ob auxilia ad Rupellam missa, sicut dixi, aderant, proponendis conditionibus & efflagitando, atq; obtinendo, hinc inde nonnulla, eò adduxerat rem, vt iam in spe optima haberetur, nisi inopinatum, atq; alienum ex Gallia quiddam repente afflasset, quo dirempta actio, & repressa est. Et erant qui negarent congruere vllo modo posse hoc ad prudentiam Regis Statumq; Galliae rerū, vt exhausto pecunijs Regno attenuatis etiam exercitibus, asperrima hyeme, dum rigerent omnia gelu, dum alpes

Occasionem egregiè Montius captauit.

Quid distulerit, & Italiae pacem turbauerit.

Varia hominum meditamenta sed falsa.

alpes oppletae niue negarent iter, noua haec & importuna expeditio susciperetur. Mox ipse aderat traiectis in medio hyemis rigore alpibus ad primum prouinciae finem Sabaudo minitans: nec dubia inde per Subalpinos irruptio in Prouinciam quoq; nostram, & sumpta illa pro Niuernio arma, incertum, quonam euaderent, facili transitu in agros Vrbi Mediolano subiectos, atq; ad moenia deinde ipsa Vrbis. Quae anceps hactenus, & apud multos obscura coniectura verterat in periculum illicò praesens vbi tempore eodem incursare Niuernius Mediolanensem agrum, Venetiq; simul veluti dato signo excitati iunxerant arma nullis proprijs odijs caussisue, sed vetere tantùm illa arte vulgatoq; artificio Reip. istius, semper adiuuandi tenuiores, & cogitandi, agitandique hostilia in partem eam, quam pars altera opprimat, nisi & consciuerint ipsi, cõflauerintq; bellum. Coeperat, & suspecta Sabaudi ipsius esse fides, semper ambigua quidem illa Gallum inter, & Hispanum, sed hoc tempore praesertim implicita nouis artificijs, quae tandem in caput eius Domumq; reciderunt: ita ut dum in partem vtramque ancipiti spectat animo, & dum captat vtrinque emolumenta acciperet ipse iugum, & Imperij sui claustra Gallis in manum traderet: quo iugo accepto Galliae popularis ipse posteriq; eius facti, & nomina nepotum mancipia braccata in perpetuum aulae illius destinantur. Dum Gubernatori nostro seq; exercitusque suos, & confinia terrarum illa venditat: dum aliud in Gallia consilium occultius exercet senserat armatos in sua damna Gallos adesse, Regemque rupta repente siue conturbata negociatione venire tamquam vltimo conatu: siue negotium hoc etiam ipsius fuerat, vt ità veniret, isque terror obsidioni soluendae admoueretur. Omnia deinde aguntur pari astu, pari confusione rerum, atque animorum, & exitu etiam eodem

Rex Galliae in medio hyemis rigore traijcit Alpes.

Quae commodè facere poterat Galliae Rex.

Niuernius, & Veneti eodem tempore illi in ursant Mediolanensem agrũ, hi iungunt arma.

Quid mouerit Venetos.

Arcanum illius Reipublicae.

Sabaudij Ducis fides incipit esse suspecta.

Sabaudij artificia in caput eius domumque recidunt.

Imperij sui claustra Gallis in manus tradit.

Moles consiliorũ Sabaudij.

eodem, qui vana commenta haec, & ludibria consiliorum inanium, artiumque infidarum sequi debebat. Vbi prima ad primos fines comparuere signa Gallorum, & Susam haud dubie peti accepit, portas nempe ipsas, quibus occupatis, apertus vndique foret, opportunusque Genti, & adhaerenti lateribus, & irrumpere paratae semper, nisi fauces, & munimenta illa impedimento sint, trepidus anxiusque misit primò Principem Victorium in Regia Castra cum precibus, vt abscederet Rex exercitumque reduceret atque imperaret potius, si quid fieri vellet quàm turbare ita sororis suae penates, domumque aggrederetur ipsius sanguine constitutam. Tulerat ad Regem huiusmodi preces, & haec fere dicta Princeps, quae irrita fuere, prohibitusque alloquio ferebatur ab Cardinale, in cuius manu Rex Regnumque erat. Repudiata hac siue etiam spreta legatione tentauit Dux, si posset vim arcere vi etiam ipse aliqua, struxitque repente aggerem, & arma obiecit, ne transitus exercitui esset. Disiecere Galli, & superauere molem, pergebatque Rex cum victore exercitu destinatum sibi iter. Tunc vltima tentans pignora Dux mittit vna cum Principe filio Nurum quoque suam sororem Regis, qua deprecante annuit Rex vt abiturum se diceret, & abeundi conditiones ipse tulit conditione sua meliore, quàm si ire, ac vincere perrexisset.

Susa periclitatur.

Quam opportuna Susa Galliae Regis conatibus.

Sabaudus trepidat Principem Victorium in Regia Castra mittit.

Princeps Victorius prohibetur alloquio Regis ab Card. Richlaeo.

Vim parat spreta legatione Sabaudus.

Struit aggerem, sed Galli superant molem.

Vna cum filio mittit in Castra Nurum Sabaudiua Regis Sororem.

Conditiones quas dixit Rex.

Soluerer obſidionẽ Caſalis Cord.

Montisferrati loca libera relinquerentur.

Commeatbum omne genus ſine noxa comportaretur.

Si has non acciperet conditiones Hiſpanus, Sabaud. vna cum Rege bellum aduerſus Hiſpanos capeſſeret.

Dictae namque ab eo conditiones fuere in hunc modum. Mediolani Gubernator ab Caſalis obſidione abſtineto, abſceditoque inde cum exercitu quo cinctam Vrbem, infeſſoſque colles habet. Montemferratum & loca omnia regionis eius libera relinquito. Frumentum, & annonam, & commeatuum omne genus ſinito comportari illuc, neque minis poeniſue prohibeto. Si Gubernator ea facere recuſet tunc Dux & liberum mihi exercitibuſque meis tranſitum per fines ſuos dato, & capeſſito mecum vna bellum aduerſus Hiſpanos, ſubſidiaque opportuna praebito mihi quotieſcumque in Mediolanenſem agrum incurſiones facere volam. His conditionibus dixerat Gallus ſeſe abiturum: ſtatimque monitus ab Duce Gubernator Hiſpanus in quanto res diſcrimine eſſet, & quantopere expediret in praeſentia omitti Caſalem, neque pericula ſummae rerum in tali tempore irritari. Satis namque conſtabat, & Italicos dominatus, & exterorum quoque nonnullos, de quibus facilè ſuſpicari quis poſſet, & de quibus minime ſuſpicaremur, miſiſſe legatos ad Regem auxilia pollicentes, ſi rectà ducere Mediolanum, ingentis gloriae peragere rem illam vellet. Cur autem in ipſo tantae rei articulo retro domum abijſſet Rex, diuerſi interpraetabantur. Alij iuueniliter expeditione ſuſcepta mutaſſe eadem animi mobilitate conſilium,

Monetur ab Duce Hiſpanus Guber. ingentis periculi.

Suadet, vt ſoluat Caſalis obſidionem.

Quibus conſilijs viſus eſt.

Alij etiam Principes Italiae mittere in Caſtra legatos ad Galliae Regem quid pollicerentur.

Cur in ipſo bonae rei articulo retrò domum abiuerit Rex Galliae, varij varia interpretantur.

& abijsse. Ad moderationem animi, & quietem studiumque pacis id ipsum alij trahebant. & fuere qui potius crederent necessitate inductum abijsse, quod neque copiarum, neque pecuniae satis habuisset, quodque in primis aegra adhuc omnia domi, & male affecta, male fida reliquisset. Offenderat Regis animum, Aulamque totam, & sinistro apud omnes rumore erat credulitas illa Consalui, siue iustus etiam fortasse timor, qua vel credulitate, vel timore, ad Gallicos penè nutus abduxerat ab Casale repente exercitum, & in spe propinqua capiendae Vrbis, & arcis tantae rei occasionem è manibus amisisset. Itaque reuocatur è Prouincia, mittiturque Spinula successor ille, cuius fama ob res in Flandria gestas, & magnum in re militari nomen, exercituum penè instar aetate nostra habebatur. Neque alter ille segnis ad bella ingloriusue fuerat: potiusque nobilitarant etiam Germanicae expeditiones eum, & decora indè ampla retulerat sicuti & fama communis est, & historiae bellorum eorum loquuntur. Sed infelici quadam sua rerum Italicarum sorte, apud imperitos nec bello bonus habitus in hac Prouincia nec pace. Populi quoque fauorem, ac solita adulantium studia, adeò desiderauit, vt fermè tantus Imperator inter exempla fuerit rerum humanarum. Magistratu se abdicauerat, priuatusque fermè abibat, proceribus Vr-

Rex inexpectata Casalis obsidionis solutione offenditur.

Corduba reuocatur è Prouincia.

Spinula succedit.

Cordubae laus.

Eius infelicitas in Italia.

Populi fauor desiderabatur in hoc Principe.

Plebis Mediolanensis lasciuia in abeuntem Cordubam.

bis ſe immiſcens, tempuſque ſedulò terens, ne deducendi ſui cura populum de foro abduceret. Neque tamen elanguit cura procax hominum ea mora, frequenteſque eum magna cum laſciuia vſque ad portam quà Ticinum itur fuere comitati. Id fere primum Populi Mediolanenſis licentiae exemplum aduerſus Imperij Maieſtatem fuit: Neque enim vnquam antea id actum. Sed non tam contemptu Gubernatoris, quam fame ſtimulante, quod Vrbi malum ſicut alibi demonſtrauimus inciderat, atque in ipſum omnis culpa vulgo referebatur. Miſerabili imperitantium ſorte, vt laeta plurimi ſibi vindicent, triſtia ſolis ipſis adnumerentur. Hunc fuiſſe, vulgus improbum aiebat, Gubernatorem, qui immodicè concedendo nunc tritici, nunc oryzae euectiones in terras alienas, exhauſiſſet annona Vrbem, penuriamque primò, & egeſtatem alimentorum inuexiſſet, deinde effeciſſet, vt alimenta fere penitùs ipſa deeſſent: Atque haec quidem Principis Inſubrum populi tanta calamitas, & clades, vt perirent fame Ciues, & populorum aliorum altrix ac domina Ciuitas nutritu nunc indigeret alieno, nec ſubſidia etiam haec externa facilè reperiret, nimirum fortaſſe noſtris conſignata litteris extat, eoque funeſto ſeparatim opere, noſmet ipſos alioſque conturbaſſe iuuit, vt ne periret vmquam memoria, quibus diuinae prouidentiae

Non tam odio Gubernatoris, quam fame ſtimulante Plebs accenditur.

Conditio miſerabilis imperitantium. Qualis.

Quid Cordubae exprobaret Plebs

Populorum aliorum altrix Ciuitas nutritu alieno indiget.

1630.

exemplis

exemplis vel castigata luxuria populi huius, vel tota conseruata Ciuitas foret. Tempus hoc ipsum pestilentiae saeuientis erat, missusque, sicut dixi Spinula in Consalui locum ad bellum, prouinciamque regendam, cum afflicta, turbata, attonita cuncta reperisset, exercitum nempe diminutum, & absumpta magna parte plebis, nobiles àut in agrestia tecta villasque abditos, aut in Vrbe tum moestos, atque latitantes, tum inter funesta munera, curationemque Patriae semiuiuos, haud ideò distulit, quominus ad intermissa illa Montisferrati negotia accingeretur, vnde Catholici nominis hoc tempore dignitas pendebat. Tantisper modò cunctatus, dum experiretur, si qua posset via rem antea quoque tentatam assequi, vt nempe Niuernius in potestate Caesaris esse vellet, ac dederet seque, & Mantuam, munere deinde ipsius in possessionem iustè, legitimèque restituendus: vbi perstabat ille in sententia, rebellisque Maiestati manebat, arma iam in eum fere omissa resumpsit. Cooriturque tantò violentior, quantò contumacius ille repudiarat inuitamenta pacis aequissimasque conditiones, quas missus in id è nobilitate Mediolanensi Comes Iacobus Mandellus obtulerat, vt Salua Caesaris Maiestate ius suum etiam ipse adipisceretur. Diuisis cum Colalto Germanicarum legionum ductore copijs, bifariam aggredi hostem

*Pestilentia saeuiebat quando Spinula cum imperio venit.*

*Habitus Insubriae qualis, & Vrbis quando Spinula venit.*

*Spinula ad intermissa Montisferrati negotia accingitur.*

*Cunctatur tantisper si qua via Niuernium ad obsequium redigere possit.*

*Nequicquã laborat Spinula.*

*Comes Iacobus Mandellus obtulerat conditiones Niuernio.*

Spinula, & Colaltus bifariam aggrediuntur hostem.

hostem statuerat, itaut Germanico exercitu Mantua oppugnaretur, eodem tempore exercitus alter ad Casalis Moenia succederet, atque Montemferratum Camporum, & Collium opportuna persultaret, locis arcibusue capiendis, quae ad discrimen summae rerum momenti aliquid facere possent. Sed Colaltus, incertum vero an simulato morbo substiterat ad primos Prouinciae fines, ex duce atque administratore belli spectator futurus ambiguae semper & suspectae fidei, tanquam à Venetis vnde, & oriundus erat, mandata expectaret. Meliore fama fideque Galassus pro eo gerebat rem exercitumque ductabat. Ad Mantuam vsque nullo resistente progressus, nisi quod Veneti in conspectu pene eius semel iterumque subsidia intromisere in Vrbem. Et Vrbs quidem ea statim captis ab Galasso locis, arcibusque circumiectis obsidebatur. Spinula verò praemissis cum filio copijs ad Casalem mox ipse subsecutus haud dubium fecerat in hominum animis, quin pares ab ea parte successus habiturus esset, atque inclusum intra moenia illa Niuernium cum Vrbe ipsa expugnaturus. Nisi Sabaudiae Dux, vt fama per ea tempora tulit, vera ne an fallax incertum, vt est ad deteriora credenda nimium pronum humanum genus, supremum hunc triumphum Liguri Imperatori inuidisset. Namque vbi videt ille cinctam obsidione Vrbem, in quam,

Hic ad Mantuam oppugnandam, ille ad Casalis arcem pergit.

Colaltus detractat incessum, incertum quo consilio.

Galassus meliore fama rem gerit.

Veneti subsidia in Mantuanam Vrbem intromittunt.

Spinula filium praemittit ad Casalem,

Sabaudiae Dux Victoriam Spinulae corrumpit.

&

& iuncta cum Hiſpanis ſua arma habebat, & quam capi nolebat tamen, & vnde Victorem penè Hiſpanum ipſe detraxiſſe credebatur, neque cum Conſaluo iam ſed cum Spinula non maiore ſolum, ſed etiam feliciore bellatore rem fore: captus quodam modo ſuis ipſe conſilijs aeſtuare magis quàm antea, nec inuenire exitum, qua ex vinculis illis ſeſe expediret, & vincula mox alia longè duriora ei parabantur. Occultis cum Galliae Rege nuntijs agebat, vt liberator iterum Vrbis deſcendere vellet. Et meminerat quid ſibi ex priore Regis eiuſdem aduentu, domuique ſuae vtilitatis acceſſiſſet, & redire cupiebat eum, & ſi rediret, damna ſimul imminentia conijectabat. Volebat interim etiam modò aperte deſciſſere ab Hiſpanis, modo occaſionem praeberi ab eis, vt alienatus ipſorum ſponte repudiatuſque videretur: ideoque, nunc pecuniae ſummas, quae non poſſent erogari à Spinula efflagitabat, modo alia etiam difficiliora poſcebat initia cauſaſque diſſidio. Et Spinula viciſſim ipſe, ſine vt nudaret magis magiſque ſuſpectum iam Ducis animum, ſiue, vt pignora ſecuritatis ex tali animo haberet, poſcebat loca, & arces, capita fere Imperij illius. Aderat interim, ſiue appropinquabat ex Gallia quaeſitum Duci formidatumque malum, non ſanè Rex ipſe, ſed terribilius Rege quiddam, nempe Cardinalis, in

Eius artes ac ſtudia ad eludendam victoriam.

Anguſtiae narrantur in queis Sabaudi Dux ſe deprehenſum videt.

Sollicitat Galliae Regem vt iterum deſcendere vellit.

Cauſam diſceſſus ab Hiſpanis quaerit.

Timet, ſperat, incertus animi fluctuat.

Ingentis pecuniae ſummas à Spinula, quae nō poſſent erogari petit.

Pari aſtu Spinula cum eo agit.

cuius

cuius manu Regis animus regnumque illud, & tota Domus notabili noſtra aetate exemplo fuit. Aduentuque eius, tamquam ictus vulnere, ſiue tanquam fulmine afflatus Dux trepidare magis etiam coepit poſtea quam Principem Victorium ferentem preces, & poſtulata quaedam infima patris abnuerat faſtu ſupercilioque toruo admittere in conſpectum ſuum, dimiſeratque ſpretum, & inauditum ſpreta ſimul regia neceſſitudine, quae vindicare legatum eum ab tanta ſeueritate debuiſſet cùm ſororem nempe Regis, ſicut alibi dictum eſt in matrimonio ille haberet. Sed & ludibrium ſuperbiae Cardinalis eodem tempore ſpectatum eſt, obnoxiumque poſtea Duci ipſi Cardinalem hunc improuidus eius error, & militaris quaedam neceſſitas dedit. Venerat ex Gallia cum exercitu ſuperaueratque alpes, & Dorae fluminis vndas felicitate etiam maiore, quam quantam animo, & ſpe fortaſſe praecepiſſet, tendebatque propere ad Caſalis moenia, fugaturus inde fama, & terrore ſui nominis Hiſpanum ſicuti arbitrabatur, & vlteriora deinceps auſurus, Metropolimque hanc, & caput Prouinciae Mediolanum, vbi prima proueniſſent, haud dubiè aggreſſurus. Caeterum contemptor iſte Sabaudiae Ducum conſanguinitatumque regiarum & animi ſui magnitudine dominator iam atque debellator Inſubrum non cogitato quid in poſterum accidere poſſet

Cardinalis in Italiam deſcendit armatus.

Commouetur Sabaudiae Dux.

Principem Victorium haud admittit in conſpectum ſuum Cardinalis.

Offenditur Sabaudiae Dux tanta Cardinalis ſuperbia.

Cardin. properè tendit ad Caſalis moenia.

Caſalis imprudentia, quò loci eum, & copias deduxerat;

posset, non prouisis in praesentia commeatibus, insolentia & temeritate fortunae prouectus eò erat, vt ex hostico, tamquam è suo, prompta, & obuia cuncta sibi polliceretur: Ab eodem illo Sabaudiae Duce, desponderat sibi Legionibusque suis quicquid ex amica terra, vel ex amico principe sumi ad quoslibet siue priuatos, siuè militares vsus posset. At Sabaudus alto coquens pectore iras, & memoria spreti Principis, ac repudiatae legationis infensus, seù victoriam, & triumphum penè quemdam adspiciens, veluti famelicum inclusum intra sua retia Cardinalem, quasi par pari referret, ita eludere postulata eius coepit. Acciderat que ludicrum sanè istud, vt qui congressum primò abnuerat, & clausam aulam, auresque clausas Principi filio Ducis habuerat, iam colloqui cum eo cuperet, atque id aegrè impetraret. Vbi impetrarat, non leniter modò, & mansuetè, sed fractè submisseque loquebatur de necessitate sua, & egestate commeatuum, magnificè de opibus, & facultate Ducis, in cuius manu foret, Galliae Regis exercitum, aut in victoriae gloriaeque campos induxisse, aut dedecoris ignominiaeque plenum retro domum compulisse si alimenta negaret. Ad ea Sabaudus, sicuti ius fasque irato erat, nihil beneuolè simpliciterque, sed interdum aiebat, sibi quoque rem frumentariam in arcto, ac difficili esse: Exercitus quoque

Egregiè Sabaudus iustum dolorem suum punit.

Cardinalis cupit iam cum Sabaud. Duce colloqui, quem repudiauerat.

Mitia verba Cardinalis.

Sabaud. iure merito huic iratus nihil beneuolè simpliciterq; respondet.

ſibi eſſe alendos: eorum quoque meminiſſet, quae in ſe filiumque ſuum, atque in connexam illam Regiae ſtirpi domum neque amicè, neque honorificè acta eſſent. Inferebat ad extremum violari ab ſe Caeſaris Regiſque Catholici Maieſtatem ſi ſubſidia petita conceſſiſſet. Id ne facere deberet, & officij legibus, & Imperij cauſa attineri, proinde ſuperſederet Cardinalis ab ſe petere ea, quae cum dedecore perniciem allatura tribuenti eſſent. Eluſerat Cardinalem ità Sabaudus, animumque ſuum egregie ſatiaſſe videbatur dulcedine vindictae ob non admiſſum ſicut demonſtraui Principem, legationemque repudiatam; ea dulcedo permagni ſtetit, malletque abſtinuiſſe potius, quàm vt damnum ſibi tali vltione creaſſet Suſae damno, de quo dictum eſt maius geminumque ei & damna ſecum aeterna trahens Domui huic. Siquidem, & ſtaret ipſa Domus. NamqueCardinalis vbi videt in aliena terra ſeſe mox ab malorum extremo fore circumuentum, ſi pergeret ad Caſalis moenia velle ire, cum hoſtilia à tergo omnia, nihil ibi amicum, & hoſpitale habiturus eſſet, mutato repente conſilio, non liberare obſidione Caſalem, ſed capere Pinarolum animo agitauit: habuitque exitum neque ſperata prius, neque cogitata res, quam ex rerum aliarum deſperatione, ac neceſſitate caſus obtulerat. In eo negotio duo ſagaciſſimi homines, alter ad

Permagni ſtetit Sabaudiae Duci r. ô induſiſſe Cardinali.

Cardinalis Pinarolum capere animo agitat.

inferendam

inferendam, alter ad euitandam fraudem, magna exercituum, atque militarium ingeniorum voluptate moti sunt, victaque calliditas illius est, qui sapientior habebatur, & cui fatale penè fuit laqueis haerere suis, & capi dum captat. Volebat Purpuratus Imperator, ductorque Gallorum, non tam ad repulsae solatium, quàm in spem, & in momenta summae rerum victoriaeque totius: viresque & consilia illuc omnia, secreta animi sui destinatione intenderat. Id Duci compertum: & milite statim annonaque firmat arcem. Terruerant ea munimenta Cardinalem. Dispergit illico famam seu Taurinum aggressurus & flexo in eam partem agmine lentè procedens, praebet vltro spatia Duci, si ad periculum forte illud, deducere à Pinarolo praesidij partem, & regia communienda sua, apertam, atque oportunam sibi arcem relinquere vellet, sicuti euenit, & claustra illa cessere Gallo, quae magna per se clades, hoc ipso vltima omnium Sabaudo erat quod imposuerat ei iugum, desieratque penè liberorum Principum ille esse vnus. Senserat, & Mediolani Gubernator id damnum: atque expedita equitum, peditumque manu, serum perditae iam rei auxilium parat, praemisso Aragonio mox & ipse subsecuturus. In itinere Nuntios accepere frustra tentari quicquam. Capta iam, & communita arce constitutoque praesidio stare ibi tamquam in suo regno Cardinalem,

Duo sagacissimi homines alter ad inferendam, alter ad euitandã fraudem moti sunt.

Fatale Sabaudiae Duci laqueis haerere suis.

Sabaud. milite & annona firmat Arcem Pinaroli.

Terrent ea munimenta Cardinalem & Taurinum aggressurus flectit in eam partem.

Sabaud. timens Taurino ex Pinarolo copias deducit.

Card. retro vergens Pinarolum capit.

Splonla sero rei perditae auxilium parat.

dinalem, & munimentis, & copijs augeri nouis etiam, efferri atque insolescere animo tamquam duplices iam in Italiam aditus Pinarolum, & Susam post tot saecula patefacere vnus, & munire suo Regi potuisset. Sub eosdem fere dies, quibus haec acta erant, venit in Insubriam Cardinalis Barberinus ad negotia haec inspicienda, & res, si qua daretur via Apostolica Auctoritate componendas. Alexandriamque progressus, propterea quod aptissimus is ad colloquia locus esset, & colloqui, & agere multa instititit, vt turbata sic omnia adduceret ad spem aliquam habendae quietis; & dabant vtique sese partes, magnaque inclinatio omnium ad consilia pacata cernebatur. Ne conueniret, transigereturue quicquam, duo praecipuè obstabant, hinc Sabaudiae Ducis ingenium, hinc Pinarolum, & Susa tremendi nominis illae arces, ad quarum mentionem auertebant sese Galli; vehementerque reclamabant; abijtque ita Legatus, vt magis irritata & desperata omnia, quam sicuti ante aduentum eius fuere, renuntiaturus esset. In Catholico exercitu hoc tempore nihil fere sinceri, rectique erat. Suspicionibus, & odijs, & mutuo inter se aemulatu duces praefectique exarserant ad hoc tantummodo concordes, vt gloriae famaeque Spinulae Gubernatoris obtrectarent.

*Cardinalis gloria.*

*Card. Antonius Barberinus venit in Insubriam ad haec negotia inspicienda.*

*Alexandria eligitur ad colloquiū.*

*Inclinatio erat, omnium ad consilia pacata.*

*Susa, & Pinarolum obsistere.*

*Legatus re infecta discedit.*

*Discordes inter se Duces & Præfecti copiarum Catholici Regis.*

# EPITOMA
## LIBRI SEXTI

OBscura variorum Principum consilia in Austriacae domus perniciem hoc libro recensentur, immanis illius foederis incunabula monstrantur, quo totus Catholicus orbis ingemiscere debebat, vtriq; Priuati Cath. & Gallus expenduntur. Actitata ab Gallis ingenti secreto cum Sabaudio Duce, ab Legati Comitis de la Rocha solertia penetrata. Eiusdem oratio omnis artificij plena, qua eum ab ineundo foedere cum Gallis deterreret. Sabaudiae Dux primi loci praerogatiuam in publicis caeremonijs assignat Gallici Regis Legatis. Hispanus ab aula Ducis indignabundus Legatus discedit. Artificia & artes Gallorum, queis in partes Parmensem Principem, nequicquam tentato Veneto Senatu traxere. Consilia demum belli, quo modo Galli disposita haberent ad inuadendam vno impetu Insubriam totam referuntur.

# IOSEPHI RIPAMONTII

## CANONICI SCALENSIS

### CHRONISTÆ VRBIS MEDIOLANI

# HISTORIÆ PATRIÆ

## LIBER SEXTVS.

NVNC bellum, quod noſtra aetate aduerſus Domum Auſtriacam, atque aduerſus Vrbem praecipue Mediolanum conflauere foederati, ſcribere aggrediar, exiſtimans, Opus fore ingens, plenum omni varietate rerum, quae ſeculis etiam, Regibuſque venturis, ad gerenda, ſiue omittenda bella documento eſſe poſſint. Inerunt attrocia ſimul & vana exempla cupiditatum humanarum. Aemulatione & inuidia, odioq; potentiae alienae conciti Reges, non in arma tantùm, ſed in rabiem penè ac furorem. Excitus ab vltimo Septentrionis axe Suecus: & velut extenta per terras omnes catena, implicati foedere etiam illi, qui foedera inprimis haec fortaſſe abominabantur.

*Propoſitio operis.*

*Quae legentem tenebunt.*

Ingemuere Catholicae Prouinciae, ſuperfuſis repente exercitibus quibus odio & irriſui id nomen. Conculcata ſacra per vindices olim

*Quanti orbi Catholico ſteterit hoc foedus.*

Q                    aſſer-

aſſertoreſque ſacrorum. Sublata penè Religio barbarico inceſſu: & quidquid ſancti inuiolatique habetur, militari licentia profanatum. Neque certioribus vnquam argumentis declaratum, inuiolabilia demum aeterna eſſe. quae deleri poſſe creditum fuerat: ſtrato ſcilicet & fuſo repente humi, atque inter cadauerum aceruos proculcato Septentrionali Rege, qui, nomine quidem, & fama, capiendi Romani Imperij nobile inſtrumentum ferebatur, re autem ipſa, nihil aliud erat, quàm ſpirans verè cadauer, occultam infauſto capite necem gerens, atque in triumphi pene limine futurus ipſe clades, & monſtrum & luctus ſuae Gentis. Haec & alia his terribiliora ſpectacula repraeſentaturus ſum. Nec minora narrationi inerunt oblectamina ciuilibus ingenijs, quaſi, non conſilia, & apparatum, & euenta belli negotijue vnius, ſed vniuerſum Reip. ſiue Imperij alicuius aeuum exſequeremur. Planèque, omnia, quae vel in Republica Imperioue potentiſſimo per multas aetates accidere poſſunt, etiam in bello hoc euenere.

*Quas clades bellum conſequatur*

*Rex ſeptentrionalis Suecus repentè inter cadauerum aceruos.*

*Ciuilibus ingenijs haud deerunt oblectamina in huius curae lectione.*

Nam primum omnium, magnis artibus, caſibuſque magnis, iacta in longum fuere ſemina foederis, iam inde ſcilicet ab Henrici IV. portentoſis conatibus fineque portentoſo ad hodiernos vſque caſus ſtatumque praeſentem, alternis in hac, vel in illa parte vicibus modò proſperum atq; glorioſum, modò dubium & ancipitem,

*Prima in cunabulis ſemina. is foederis ſub H.n..IV.*

ancipitem, ſicuti tunc quoque ſub eo Rege, laeta principia negotij eiuſdem exitum habuerant infelicem, atque luctuoſum. Atque, diuturni temporis & variatae negotiationis haec prima ſe ſe facies offert, quae, per ſe miſera, iucunda legentibus eſſe poſſit.

Ab portentoſo fine Henrici IV. foedus ſuppreſſũ.

Porrò, ſicut erga magna Imperia, ſunt aliae palam beneuolae fidaeque & addictae minores dominationes, aliae tantummodo adulantur, obſequiumve ſimulant, pendetque iſtis ex fortuna animus: ita foederis etiam huiuſce fortunam, Principum aliqui ſpectauere tantùm, prout ſcilicet ea ſe dediſſet, inclinaturi pariter ipſi fauorem, ſiue diſſimulaturi quòd fauiſſent. Alij abrupta inter ſpem & metum diſſimulatione, penitus huc ſeſe demiſere tamquam in praeceps. Et fuere quos neceſſitas metuſve praeſens ita in praecipitia impulerit, vt ſuſpenſa tamen haererent mente, receptumque ſibi aliquem ad conſilia, ſi opus foret, tutiora reſeruarent. Aliqui, ſtimulando tantùm & cohortando alios, pollicendoque multa, & conferendo ac ſuppeditando in praeſentia nonnihil, cauſa tamen praecipua fuere ipſi, vt foedus iniretur. Et varietas ita etiam in vno negotio haec ſpectata eſt, qualis in tota mole Imperij fortaſſe alicuius reperiri vix poſſit, circa amicos ei Imperio, ſiue infenſos atque alienos.

Quam diuerſus eſſet Principum animorum habitus circa hoc foedus.

Quin etiam, ſicut ipſae imperitantium domus, animuſque eorum, & vita, ex vitijs ſemper at-

*Immania, & infanda quæ fert bellum hoc p'æ(?) cẽtu compensata si in ordinem potentia Hispanorũ redigeretur.*

que virtutibus mista esse consueuit: ita in foedere hoc, raptus, & sacrilegia, & infanda omnia, quae fert bellum, compensari dicta quasi illo erga genus humanum munere, quòd potentia Hispanorum redigeretur in ordinem, fastigioque supergredienti opes humanas, aut finis, vt aiebant, aut modus certè aliquis imponeretur. Ac non aliter, quàm in tota Regis Regniue alicuius fortuna, vices hic etiam admirandae rerum, per terras, & prouincias latè omnes, quacunque pacta foederis & arcana, pertinuerunt.

*Imperium Austriacum ab Numine præcipue incolume seruatur.*

Magni duces, egregia facta, & celebratis antiquorum mortibus exitus pares, & incredibilia pleraque dictu, flagitiaque ministrorum, ac detectae proditiones, per quas vilia capita corrupta mercedibus illuserant humano generi, transtulerantque Imperium, ni fauor & cura Numinis supernè immineret. Principes, Reges, liberique populi, palam vti dictum est, siue occultè coniurati in tantae rei spem, hoc ipso metuendi, quòd nihil medium, sed summa, siue extrema omnia destinarant, diuiserantque inter se, tamquam haud dubio euentu prouincias, vrbes, maria, terrasque, & orbis vtriusque terminos, qui Catholicum Imperium includunt. Disposita in id opportunè cuncta raro altoque prouisu: antecapti aditus ad victoriam omnes: infessa multifariam itinera bello: robora exercituum ipsorum maiora penè quàm scelera: & barbari Regis in primis facinora virtutesque militares, cursusque rerum,

*Magnitudo peculiaris Catholici Imperij.*

*Haud sibi defuere Hostes altoque prouisu vias omnes infesserant.*

&

& felicitas ante cladem penè ſine modo ſine exemplo: poſt cladem aucta ferocia Genti, dein fracta: & partae victoriae noſtris, quas ſimillimas eſſe miraculis credidere quicunque miracula & Numen credunt. Ingens profecto materies Hiſtorico Operi, & haud dubie aequatura annales Hiſtoriaſque veterum, ſi ſcriptorem idoneum nacta ſit.

Crebra pro Catholico miracula.

Nobilitas huius narrationis.

Sed in vniuerſo hoc tam late patente campo ſcribendarum rerum, copia ſegeſq; maior adhuc oritur ex hac ipſa terra, in qua texitur nunc Opus, quaeue prima ſpes, & prima deſtinatio coniuratis fuit. Duo Gallici Imperatores hîc, alter abſumptus & foede laniatus vno ictu: profligatus alter, vt moerore, dein ac deſperatione conſumeretur. Duo diſſipati Gallorum exercitus Nobilitata caedibus nemora ſyluaeque, quas ſibi arces & praeſidia elegerunt. Arcibus deiecta ſuis Gens: & monita graui documento, quàm malè in alieno ſolo ponendis munimentis pecuniae copiaeque abſumerentur: poſt factam hanc ex tali poſſeſſione fugam, verſa in Sabaudum alioſque foederatos arma, captaeque ſub oculis vrbes, quas tuebantur Galli vt ſuas, & parabant occupare vt alienas. Caeſi totidem locis hoſtes, quot etiam loca inuaſerant ipſi, atque occuparant. Et ſtrage tanta maior edita ſtrages conſiliorum apparatuumq; omnium, diſturbato, atque intercepto, & confuſo, & in contrarium verſo quicquid meditatum

Inſubria prima ſpes, & prima deſtinatio Coniuratis fuit.

Crichius.

Sabaudij Dux.

Tornaueni ſecunda pugna.

Bremana arx.

Vercella capta.

ſibi

Princeps Parmēsis ad obſequium redactus.

ſibi diſpoſitumque habuere. Diſſoluta propemodum coniuratio: traducti coniurati in partes: prouiſum atque effectum, ne caeteri coniurarent. Interea tamen, dum fierent iſta, ſiue, dum occultis artibus apparatuque neceſſario coquerentur, late per Gallos agro Mediolanenſi inſultatum: confuſaque Metropolis in captiuitatis penè modum: & caſtrorum penè facies in vrbe fuit.

Partitio ſcriptoris.

Haec omnia pergam ordine exſequi, haud vnquam omittenda ſuis locis mentione eorum, quorum teſtimonia & litterae nobis adiumenti aliquid ad cognoſcenda iſta contulere; ſiue Itali & noſtri ſcriptores, ſiue Galli Germaniue fuerunt. Ponamque tamquam in principio noui Operis nota nomina Hiſpaniae Sapientum, quibus magnopere cordi erat vt harum rerum memoria ſanctè, atque integrè cuſtodiretur: ac delectati iſti egregio inſtituto Ciuitatis & hiſtorica cura Decurionum, notitiae partem & monumenta quae habebant opportuna ſuppeditare voluerunt. Hi fuere Comes de la Roca & Senator Arias Maldonatus. Quorum ille perfunctus Catholici Imperij muneribus Legationibuſq; maximis negotia imperiorum omnium diu obſeruarat, tractaueratque animos imperitantium, & occultiſſima quaeque nouerat altitudine ingenij, quae carminum ei gloriam ſupra ſeculi Poetas tulit: alter verò nutu Regis Imperatores & Caſtra ſequutus,

Comitis della Roca, & Senatoris Arias laus.

militaris

militaris disciplinae magister, annonae praefectus, atque in Senatoria toga administrandi belli particeps fuerat. Et factus huius terrae ciuis etiam hac prudentiae suae parte benemereri de altera sua patria volens, tum scribebat ipse his grauiora & politiora seorsim: tum mihi pleraque casuum horum ad scribendi facultatem, & consiliorum arcana demonstrabat. Nec alia certior historiae fides, quàm vbi testimonia ab ijs qui rebus praefuere petuntur.

Cardinalis de Richelieu in Gallia potiebatur Aula animoque Regis, & tulit eodem tempore Hispana etiam Aula celebre id per terrarum orbem Catholici Imperij instrumentum, & Regiae gratiae singulare specimen capite in vno: quod caput non tam consilijs humanis, & inclinatione Regis in eum virum, quam diuino planè nutu admotum fuisse summae rerum credidere prudentes, vt quemadmodum Gallia Ducem Cardinalemque Richlaeum, siue bono, siue malo suo fato dominum, & arbitrum Regni illius hoc tempore nacta erat, sic Hispania Comitem Ducem oppositum aduersus vastos inde conatus, & noua terribilia tentamenta haberet. Et magno sanè spectaculo, duo maxima in terris Imperia duos hosce maximos ingenio, sapientiaque viros, ceu Vicarios, non Regiae tantummodo potestatis, sed animorum quoque regiorum nostra aetate habuere. Et contigerat hoc aliàs etiam Impe-

Cõparatio inter duos Priuatos, Card. Richl., & Comitem Ducem

rijs

*Magna Imperia semper aliquem Priuatum habuere.*

rijs ferè seculisque omnibus, vt quadam imperitantium necessitate simul,& subiectorum sorte, ab vno aliquo regatur, siue custodiatur, quisquis ille tot millia mortalium regenda vnus, & custodienda accepit. Ac res antiqua quidem principatus iste gratiae Regalis, qua scilicet gratia, regnat simul, & seruit: vocabulum verò

*Quid veniat hoc nomine Priuati.*

huius seruilis potentiae recens. Priuatos nuncupauere nostri, ideo quia debeant se se priuasse, ac spoliasse sensibus quodammodo suis, & in regios plane sensus, atque ad curam publicae salutis penitus auertisse animum. Illic, vbi

*Quanti momenti sit si boni Priuati sint, si mali.*

boni iustique Priuati euenere, florebunt Regna pariter, & Reges, populique ipsi, qui regnantur, rursus praua ingenia Imperitantium in tali fastigio seruorum, maximas dominationes euertere, & euertent. Caeterum quoniam orto mox, siue renouato inter haec duo imperia certamine, fortè congruerat, vt dum Reges ipsi, viresque & opes, & animi eorum, consuetis hominum sermonibus, & nota curiositate comparantur, ipsorum quoq; Priuati, Cardinalis nempè & Comes Dux, veluti separata capita Regum inducerentur in quoddam Famae discrimen: mihi quoque in principio operis faciendum reor, vt ea, quae inter hosce Ministros, tum paria & penè germana, tum maiora siuè minora, planeque contraria & diuersa, vel in indole animorum, vel in conditione fortunae, considerata atque collata sunt, quam

bre-

breuiſſimè attingam, vt penitùs noſcantur iſti à quibus ſcribendarũ mihi rerum conſilia omnia, & acta manarunt. Vetuſta vtrique claritudo generis, & maiorum bona facta, meritaque in Reges memorantur: ſed antiquitas Guzmano maior, vt quae D. Dominici ſanguinis eiuſdem in Eccleſiae monumentis longè maxima perhibita ſit. Vtrique artes adfuere, quas ipſi ſibi homines ad nomen famamque ingentem parant. Vterque ab initio aetatis ſacra, & ſplendorem, qui ab gradibus habituque ſacrorum venit, amauere. Gallus, quo primum deſtinauerant parentes eius itinere inceſſit, & purpuram, quae ſummum eſt, vel certè ſummo proximum votum Eccleſiaſticae ambitionis adeptus, omnia deinceps obtinuit, quae tantae tuendae dignationi dantur, quaeve in ditiſſimo Regno Dominanti Cardinali contingere potuerunt. Non vectigalia tantum, & Abbatiae, praerogatiuaeq; omnes, ſed Arces, & vrbes, & Prouinciarum ferè tractus, & pars haud vltima Regni penes eum, vt non fauore tantum iudicioque Regis, ſed etiam acquiſitarum opum magnitudine Rex ipſe ferè alter in Gallia Gallicus priuatus iſte eſſet. Hiſpanus alter ille Oliuaris tantummodo Comes fuerat, Poſtea S. Lucaris dominatu auctum, nouo titulo, Comitem Ducem appellauere: idque hodiè veluti cognomentum, & in ſermone communi, & in litteris actiſque omnibus manet. Affectatus adoleſcens Romana le-

Vtrique Priuati incliti familia.

Guzmanus ab D Dominico oriundus.

Vtrique ſacra Toga induti.

Richlaeus ferme Rex alter ſi priuatam opulentiam ſpectes.

Oliuaris magis moderatus.

gatione patrem in vrbem, deindè Neapolim, atque in Siciliam redierat ex ea peregrinatione; ſicuti ferunt ſupra aetatem publicè ſpectatus. Accedebat pudicitia, & animi candor, qua morum parte, nihil, neque curioſius introſpicere, neque certius deprehendere ac notare fama conſueuit. Hinc familiaritatis, & gratiae principium apud Regnantis hodiè Philippi Patrem. Cumque mortuo Rege, inter ipſius finem, & initia ſucceſſoris ex Aula diſcedere voluiſſet, retentus vltro aſcituſque eſt, ita vt rerum ſumma paulatim in eum inclinaretur, deinde mole tota incumberet in vnum id caput. Atque maxima haec inter Hiſpanum, Gallumque Priuatos inducta & notata differentia eſt, quod Gallus toto impetu, ac feruore animi deſtinauerat ad ſumma peruenire, peruenitque, & corripuit cuncta ſicut dictum eſt. Hiſpanus ſiuè cupidine inſita, & amore ſtudiorum, ſiuè ob cauſas fortaſſe alias fugerat illum interioris potentiae locum faſtigiumque praeceps, & excelſis modica praeoptarat. Fortunam opeſque auitas, neque auxit in portenti faciem, neque ſtatum earum, & modica quaedam incrementa contempſit, integer vtique manuum corruptelarumq; purus, per quas Regij miniſtri, venditando Maieſtatem, & arbitria, ſiue munera Regum ditantur. Ingenium vtrique magnum, ſed habitus animorum haud idem. Plus manſuetudinis in Hiſpano, ſaeuus

Patrem fil. Oliu. aſſectatur in vrbe legatum.

Mox Proregem Neapolis, & Siciliæ.

Pudicitia, & candor animi Oliuaris.

Cogitat ab aula diſcedere.

Retinetur ab Rege in eum ſumma rerum inclinatur.

Diſcrimen inter duos Priuatos.

Integer manuum Oliuaris.

trucu-

truculentuſque alter, ſiuè naturae vitium id, ſiuè dominationis importunitas, & violentia aliqua inter ſaeuos item ac violentos, & cuncta inquietare geſtientes. Vnde neceſſitas & artes, perpetuaq; meditamenta Cardinali decutere ſumma papauerum capita, tollere primores, inficere caedibus Aulam, & cruentare Regnum. Apud Guzmanum eadem neceſſitas intra vnum, alterumue caput ſtetit. Etiam in re illa pietatis, negotioque magno ſimul, & penè ſilendo, immane quantum inter ſe different Priuati iſti, ſiuè quam diſpar hominum opinio fuerit de ſenſibus, ac mente ipſorum. Namque de Guzmano dictum ita creditumq; eſt: nihil vnquam eum publicae rei agere conſueſſe, niſi conſulto prius, & propitiato per preces, & ſacrificia numine, & ſanctiora eſſe priuatim quotidiana inſtituta eius, ſemperque in mortis contemplatione haerere meditabundum. Pius etiam ſanè Richlaeus, dignuſque toga, cui color, & profeſſio ſanctitatis ineſt: ſed ſanguinaria, tortuoſa, politica acuta, obſcura conſilia eius praebuere ſuſpicionem, ſermoneſq; ſiniſtros hominibus, qui ipſi labe infecti de ſuperis iam, & de altera vita decreuere arbitratu ſuo. Caeterũ Vir erat quantaecunque fortunae capax, fortunamque hanc, & primum gratiae locum apud Regem adeptus veris etiam ſanè virtutibus, ſed per ſpecies ſimul imitatrices ſimilesque virtutum, atque in primis flagrantiſſima

Hiſpanus mitis se manſuetus. Gallus ſaeuus ac truculentus.

Guzmanus nihil publicè agit, niſi propitiato prius numine per preces.

Richlæus etiam ipſe pius, conſilia tamen obitebant obſcura.

Magna indoles Richlæi.

Attollendi Gallicum nomen ſupra Regna vniuerſa aeſtuat ardore Riclaeus.

cupidine attollendi Gallicum nomen ſupra Regna ſi fieri poſſet vniuerſa, & praecipue Italiam ei Regno adiungendi hanc, ſiue is verè animus Viro, & caritas inſita erga Patriam Regemque ſuum, ſiue ambitio quaedam, ſiue ſimulatio demum, & ars fuit. Et fuere, qui crederent, de Regno quoque adipiſcendo cogitaſſe ipſum, cui ſuſpicioni ſermonibuſque materiam & ipſe praebuit, acta in fugam Regina Matre, fratreq; Regis exturbato Penatibus, cruentata caedibus Aula, primoribuſque ſublatis, ad veteris Seiani formam: planeque Seianus alter iſte in eo Regno ferebatur, quem pariter captauiſſe per huiuſmodi artes, ac facinora dominationem Hiſtoriae narrant. Caeterùm, Cardinalis erat amabilis ingenio: nuſquam ceſſator ad occaſiones: conciliandis per amicitiam Principum animis aptus: tentandi Principes, atque ad negotia aliqua illiciendi mirus artifex. In exſequendo celer idem & conſtans, propoſitique tenax vltra nationis ingenia Gallicumque morem. Eloquentia & litterae non defuere Viro: adfuitq; fortuna hiſce, vel animi dotibus, vel artibus ingenij. Et iam in Regni fere partem atque ſocietatem aſſumptus, imò Rex ipſe quaſi alter, omnia ſciebat poteratque vnus. Nouerat ſtatum & conſilia Regum aliorum, intimos quoq; miniſtros: nationum ingenia & mores, & cuiuſque prouinciae formam, & regimen, ac Mundum denique totum in conſpectu habebat, itaut, hinc

Italia praecipuè ab eo adamata, & cócupita.

Suſpicio de Riclaeo.

Alter Seianus.

Exquiſitiſſimae Cardinalis dotes.

Rex fere ipſe Cardinalis.

Regni

Regni opibus, hinc politica ſua ſubtilitate, tum miſcere odia, & ſuſpiciones, tum admouere blandimenta animis poſſet. Hic igitur vaſtam ſpem animo concepit, non ſolùm Italiae capiendae, ſed etiam Catholici Imperij opprimendi: Regemque ſuum & Regni proceres cupiditatis, ac ſpei eius implere conabatur.

*Nihil deerat ſũmo Cardinalis ingenio.*

*Vaſta ſpes illius.*

Requirebat tanta res interualla temporum, tentamenta animorum, apparatus neceſſarios, multiplicemque conſultationem. Ad ea, ſumpto ſpatio, plurimum negotij in eo habuit, vt procerum, miniſtrorumque paucos, qui ſenſibus & moribus erant non vſquequaq; Gallicis in tanti moliminis, & tam lentae ſpei negotium pertraheret: victique iſti, vel arte, vel authoritate hominis, in ſententiam, vnà cum caeteris iêre. Poſtquam ſententia accepta eſt, placuitq; conſilium, ad exequendum inde, apparandumue aliquid auertuntur Cardinalis, & Rex, & qui proximi erant.

*Primae curae Cardinalis.*

Satis ſciebant, vniuerſam, cum ſuis viribus, opibuſque Galliam haud ſuffecturam operi huic: imparque Regnum eſſe bello, quo tot Regnorum Regem oppugnatura Gallia eſſet. In Septemtrionem, in Holandiam, in Regna omnia haereticorum, quacumque iras, & odia aliqua in Catholicum nomen inueniri poſſe ſperabant, extendere curam hanc ſubſidia opportuna quaerentes, & ſua quemque ſpe, illecebraque obiecta trahentes in foedus. Incredibile

*Impar Gallia Catholico Imperio.*

*Per totum terrarum orbem quaerit hostem Card. Auſtriaco Imperio.*

*Ipsummet Turcã adit.*

dibileque dictu, Turcam adiere ipsum, vt Mahometana vexilla, Mahometanae classes classibus, exercitibusque Christianissimis, si foret opus, immiscerentur. Dedere alij se se statim in societatem hanc. Cunctabantur alij,

*Varij eorum affectus quos tentauerat Card.*

suspensique consultabant, hinc periculi magnitudinem, hinc maiora periculis praemia reputantes, attento, & prompto vbique Cardinale,

*Litteris & certis hominib. excitat, & segnes accendit.*

per litteras, hominesue suos, tum vt segnes, timidosque excitaret, tum vt capita iam sua sponte flagrantia accenderet magis, sibique & foederi, & Regi retineret.

*Caesarem deijcere loco cardo rerum erat.*

*Id primo sensim ac dissimulanter gentatur.*

Caput, & cardo rerum erat, Caesarem deijcere loco, Imperiumque transferre. Id primò sensim, dissimulanterque tentatum, ne ex tanta re temerè incepta clamor, indignatioque bonorum, & infamia in authores oriretur. Postea

*Postea apertè.*

penitus retegere sensus suos, animumque nudare coeperunt, vt cresceret foederatis animus, totaque coniuratio, descendente palam in causam Galliae Rege, inualesceret, atque confirmaretur. Mouerant Brandeburgum, Saxonemque Electores. Hi palam infesta in Caesarem arma ferebant armis & ope Gallica freti.

*Brandeburgi & Spxoniae Electores & Rex Suecus infesta primi in Caesarem arma ferunt.*

Mox vbi Suecus etiam aderat, & vno animo cum hisce strenuè gerebat rem, maiore cooritur impetu Gallus: consiliaque prouidè disposuerat in hunc modum. Volebat, mota per Germaniam ea arma subsidium, & robur esse armis alijs, quae per Italiam opportunè mo-

uerentur,

uerentur, & viciſſim Italico bello Germanicum inniti, atque inſiſtere bellum. Volebat ſimul creſcere ſibi authoritatem, & famam apud omnes ex eo, quod vltro bellum ipſe intuliſſet, reſtituique & inſtaurari famam, quam res malè geſta olim, & tot acceptae clades imminuiſſe videri poſſent. Nunc eſſe quatuor in Germaniâ penè ſuos exercitus: Exercitum in Italia nouum, auſpicijs, & ope Chriſtianiſſima fere victores. Quaeri vltro pericula: quaeri, & prouocari hoſtes, ſuumque iam formidabile eſſe nomen. Suberatque conſilium, & profutura ars, vt foederatorum animi confirmarentur, quorum labare nonnullos ſuſpicio inceſſerat.

*Quo modo conſilia diſpoſuerat Gallus.*

*Cupit ſibi authoritatem & famam creſcere apud omnes.*

*Oſtentat ſuas vires.*

Galliae Status, quo tempore coquere & agitare conſilia haec coepit, huiuſmodi erat. Tranquillitas Genti, quanta nunquam: quodq; rarum ei Regno, nulla tunc ciuilia arma. Domiti, compreſſique perduelles. Regio vniuerſa frequens viris annona diuitijſq; affluens: nec ſine pecunia aerarium. Diſperſae per omnes latè prouincias copiae militares, otium, diſciplinamque adſpernabantur. His exonerari Regnum pars ſecuritatis regiaeque prouidentiae erat. Praeter inſitam animis, potiundae Italiae, ſicut demonſtraui, cupiditatem, ſuadebat etiam haec rerum forma bellum: elatique ſic animi attollebantur inſuper Italici fauoris aura. Neque enim ambiguum, aut obſcurum, quin propitiam ad noua coepta Vrbem habituri

*Status Galliae, cum haec conſilia coquere, & agitare coepit Card.*

*Copijs militaribus exonerari Regnum pars ſecuritatis erat.*

*Inſitam animis Galli habent potiundae Italiae cupiditatem.*

eſſent,

essent, siue vltro spem eam ipsi sibi desponderant, siue extrinsecus aliunde iniecta erat. Dabatur famae, velle Romanum exaequari Italicos dominatus, & iam moueri super eo negotio, aliquid coeptum esse ferebatur.

*Etiam vrbem ipsam propitiam se habiturum sperant, Praeteatus.*

Et caput sanè istud de magnitudine per Italiam Austriaca supergressa modum, redigendaque in ordinem, in circulis, consilijsque omnibus materies creberrima erat suadentibus approbantibusque bellum. Nam, & si staret nunc ea potentia citra iniuriam, neque noceret hoc tempore caeteris Imperijs, posse nocere tamen quandocumque placitum foret, periculoque communi obuiam esse eundum. Id inter caetera, siuè prouide animaduersum, siuè callidè excogitatum per legatos detulere Venetias, & repraesentauere Senatui, si fortè machina possent ea permouere Patres, vt pararent arma, tamquam in communem hostem, facerentque in tempore hostilia cuncta aduersus Hispanum. Sed Romanae antiquae maiestatis verè simulacrum, Ordo sapientissimus, qui per tot saecula libertatem ipsis quoque Regibus inuidendam, moderatione, & aequitate conseruat, statuit, audita legatione, litterisq; recitatis, non oportere ipsos immisceri negotijs huiusmodi; abstinendum esse rebus nouis, conseruandamque pacem, quae cum Rege Catholico esset: & data legato responsa congruentia consilio, sententiaeq; huic, sicuti posteà demonstrabo. Nunc

*Non crebrior alius sermo in circulis, quam de redigenda in ordinem Austriaca potentia.*

*Quae suaderent.*

*Sapientissimum Venetum Senatū per legatos tentant Galli.*

*Libertatem Veneti per tot saecula Regibus ipsis inuidendam conseruant.*

Nunc inſeram ſpecimen ſapientiae Senatus illius, referendo conſilia, & ſententias, ac momenta cauſarum, quibus inducti Patres de ea re Senatuſconſultum fecere. Nam, & ſi, cùm res ipſa ageretur, profundo ſilentio, clauſa Curia, meditamenta, conſilia, ſententiaſq; iſtas in occulto tenuerat: re tamen acta, manauere haec atque commentarij conſultationis eius, peruenere in manus noſtras. Multa ſuper eo negotio reperi à Patribus dicta, & diſceptata inuicem. Summa haec fuit.

*Quid actum in Senatu Venetiarum ſuper Gallorum poſtulatis.*

*Quo pacto manauerint, haec meditamenta & conſilia Venetorum.*

Non eſſe credendum ingenijs, promiſſiſque Gallorum, Gentis inquietae ſemper, & volentis inquietare alios. Regem Catholicum diſtineri terra, marique bellis, quae gerat aſſidue in ſuos, & Eccleſiae hoſtes. Habere Turcam, habere Mauros Imperij ſui lateribus adhaerentes. Etiam ſi velit, non tantum ab his, alijſque hoſtibus habere otij, vt laceſſere Dominationes amicas debeat. Eſſe Catholici Imperij ſtabile inſtitutum hoc, & veluti diſciplinam, vt nulla iniuſta bella gerat, ſuſcipiatque. Centum amplius annorum ſpatio, quo Maieſtas illa pedem in Italia fixerit, ibique dominetur, nullum Italicum Principem dicere poſſe, quòd gleba vna terrae adempta ſibi fuerit, iniuriaeue quicquam illatum. Si quando Principes ipſi laeſerint vltro, laceſſiuerintque Maieſtatem hanc, clementia, & manſuetudine ipſam certaſſe cum iniurijs alienis, offenſioneſq;

*Gens Gallorum inquieta.*

*Quae diſtineant Catholici potentiam.*

*Catholici moderatio & iuſtitia.*

*Catholicus manſuetudine certat cum iniurijs.*

omnes abolere voluisse. Non verisimile fieri, quod, aut regnans hodie Philippus, aut posteri, successoresque eius, aequitatis, & modestiae huius imminuere, seu amittere gloriam velint. Quòd si voluentibus saeculis degener à mansuetudine, & aequitate maiorum, ac violentus fortè quispiam tenuerit id Imperium, intuleritque vim, & arma finitimis: hunc, violato gentium iure, violatis Diuinis, humanisque legibus, Deum, hominesque iratos habiturum, & sinistra fama, sinistriore fortuna gesturum rem. Id adeò Principibus vicissim ipsis, Italicisque Dominationibus esse custodiendum, ne temere, nulla lacessiti iniuria, prouocent Hispanum, sicuti fieret hoc foedere, quod Gallia iniri secum petat. Cui non apparere damna, damnorumue discrimen, & anceps ineuitabile malum, sub specie salubris admonitionis latens, quod Respublica foedere ab isto habitura sit? Nam, siue pars iniusto bello temerè petita vinceret: arbitrum fore rerum Italicarum Hispanum, atq; post victoriam expetiturum arbitratu suo poenas ab ijs, qui contra stetissent: si foret victoria penes Gallum, quis violentiam, & ingenia Gentis, atque tam graues accolas sustinere posset? Quin pergerent, inclinato, neque huc, neque illuc fauore, partem vtramque ancipiti expectatione tenere suspensam, sicuti semper adhuc tenuissent, eaque res vtilis, & fructuosa

Quid custodiendum sit Italicis Dominationibus.

Ineuitabile malum subesse huic foederi Gallorum Rationes.

Quid sibi Veneti faciendù esse censeng.

tuoſa Reipublicae vtrinq; etiam fuiſſet? Vires, opeſque ſuas quaſcumque haberent, nuſquam melius quàm Italiae defenſione poſſe occupari, ita vt nullam nouam irruptionem in hanc terram fieri paterentur. Periculum, quod ſuae Reipublicae maximum imminere poſſit eſſe Gallorum in Italiam aduentum, qui, ſi pedem eò intuliſſent, celeritate mox, impetuque ſuo peruaderent omnia, infeſtique depopularentur, muniti latera, & tergum florentiſſimo Regno, excurrere, & latrocinari, ſiue gerere bellum volent. Non ita ex facili poſſe Hiſpanum repente Prouincias aggredi bello, opprimereque Italiam tota virium ſuarum mole, quandocumque viſum erit, ſicuti etiam à prudentiſſimo Senatore Melchiore Taruiſiano olim in re ſimili admonita Reſpublica eſt. Eſſe tanto maris, terrarumque ſpacio diſcretam Hiſpaniam, interluere fretum, intercedere, ſiue imminere gentes alienas: nec ſine magna mole, & magno ſtrepitu, famaque praecedente, deportari, traijcique poſſe exercitum, qui in ſpem Italiae opprimendae ex alio propemodum Orbe ducatur. Magnae rei diſcrimen eſſe hoc, neque oportere abduci, ſiuè corrumpi animos meditatis Gallorum orationibus, ingentibuſque promiſſis, quorum fides tandiu duratura erit, donec Italiae viribus vaſtauerint, dirripuerintq; Italiam: vltra id tempus non promiſſa, & preces, ſed imperia, comminationeſque erunt.

Maius periculum ex Gallorum aduentu in Italiam imminere Reipublicae.

Quid ab Melchiore Taruiſiano prudentiſſimo Senatore in re ſimili admonita fuerit.

Fides Gallorum tandiu duratura donec Italiā viribus Italiae vaſtauerint.

Proſpiciendum, cauendumque Senatui eſſe, ne ſuſpicione periculi, maliue alicuius in damna ipſa incurrant. Gentium, Nationum, Imperiorumque omnium, duo haec Imperia, Hiſpanum, & Gallicum eſſe maximè immiſta Gentibus, Regibus, Principibuſue alijs, ob foedera ſemper aliqua, negotiationeſque mutuas.

*Omnis gens ſemper dãnauit ingenia violentiamq; nationis Gall.cæ.*

Ecquam nominari poſſe gentem, dominatoremue gentis, aut Principem, qui Gallis hiſce amicitia, & ſocietate, negotioue aliquo ſemel forte coniunctus, non ſenſerit, & damnauerit ingenia, violentiamque Nationis huius, ſemper depromentis noui aliquid, quo, ſocietas inita laedatur, abrumpatur? Diuerſa, & meliora omnia, & conſtantiora cum Hiſpano: quippe notis iam cum ea Gente, Imperioque difficultatibus pariter, & remedijs, inter quae pergere quis poſſit, ſocietatis; & amicitiae iter damno periculiſque vacuum.

*Res nouas regni, ſi iuuenibus placent.*

Res nouas non niſi ijs poſſe placere, quos aura aetatis agitet, iuueniſeque & leue eſſe hoc: depingere animo, & vana cogitatione ſibi nouos Imperij fines, omiſſa veterum finium cura: implicari vltro labiryntis, ambagibuſque difficultatum, quae neceſſario ſequuturae eſſent. Ne prouidas quidem ſanaſque mentes poſſe ſpeculando peragere deſtinata, obuiam ire malis, & remedia antecapere.

*Alta Reipublicae pax in multos annos turbaretur.*

Certiſſimum verò malum eſſe, quòd alta Reipublicae pax, & quies turbaretur in multos annos. Si ſua poſtulata, conditioneſque oblatas accipi

nunc

nunc Gallus videat: nihil fore, quod non arte, & authoritate eadem; se in hac Republica moturum, impetraturumque speret. Neque enim verecundia, & cautio Genti erit, incredibilia quamvis, & iniqua petendi, siue tentandi, si prosperè caderet res, exitusque foret ille, quem & sperent Galli, & sperare alios velint. Victores protinus eos hanc de Republica, Senatuque Veneto sententiam haud immeritò laturos, atque facturos huiusmodi iudicium. Non fore fidam erga se per bidui spacium, constantemque Rempublicam, quae fidem & constantiam saeculi vnius erga alios repentè nulla de causa mutauerit, abiecceritque. Ideo ituros ad remedia, arcesque, ceu pignora occupaturos, vt frena, & iuga Reipublicae imponant.

Qualis sit ingenij Gallorum.

Quae sint futuri Galli.

Considerabantur in Senatu, dicebanturque haec à primoribus Patrum, quorum aetas, atque authoritas contradicendi verecundiam caeteris inijcere posset: Dixerat etiam aliquis huiusmodi sententiam: eum qui de foedere hoc ineundo ageret, pro Reipublicae hoste esse habendum, quoniam res eiusmodi futura esset, quae, & praesentia commoda interciperet, & futura emolumenta prohiberet, ac succideret denique Reipublicae neruos. Propter Gallum vnius Prouinciae Regem, alienari, hostemque fieri Hispanum, intra cuius Regna oritur Sol, & cadit. Tolli commercia Reipublicae per omnes Mundi plagas, & quacumque id Imperium patet: in hostilia

Pro Reipublicae hoste habendum esse qui de foedere hoc ineundo ageret.

Rationes huius afferuntur.

hoſtilia arma incidendum, ſi negotiari foris, & non manere domi deſides volent. Praeſidium quoque firmiſſimum aduerſus adeo propinquam vim furoreſque Mahometanos eripi ſibi Catholici Regis amicitiam, qua tecti, & muniti partem Maieſtatis, potentiaeque eius obtinere poſſint.

Reſpõſio Senatus Veneti, ad poſtulata Gallorum.

Stat ſententia, repudiandum eſſe foedus, ita vt collecta in ſeſe Reſpublica certaminis alieni ſpectatrix ſederet: attentique ad finium tantummodo ſuorum tutelam, curas, & certamina alia penes authores relinquerent, caperentque ex rerum euentis etiam ipſi conſilium. Ea ſententia tutiſſima viſa Senatui: neque verbis vltra opus fuit. Legationi, quae ſuper hoc negotio ex Gallia aderat, ſolita Senatus, & Reipublicae illius arte reſponſum datum eſt, cum maieſtate ſimul, & humanitate quadam, & cum egregia ſignificatione obſequij erga Regem, regnumq; illud, niſi quod res ipſa praeciſè negabatur. Inerant exquiſitiſſima verborum officia reſponſo huic.

Permagni facere Patres tanti Regis amicitiam: mirificè eſſe laetatos, quòd ipſorum quoq; Reſpublica permagni ab Rege aeſtimaretur. Daturos operam, vt, habito ſibi honore magis, magiſque quotidie digni reperirentur, neque defuturos vnquam illi rei, qua demereri gratiam, animumque Regis poſſent. Praeter officia haec, honoreſque verborum, cre-

do ego, munera quoque data esse legatis, & blandimenta alia, prout munifica prouidentia Senatus illius talia opportunè adhibere, & dispensare consueuit: comitasque haec, & munificentia Senatus dedit Gallis animos renouandae, instaurandaeque actionis: saepiusque repetendo, & amplificando eadem, profecere in tantum, vt Respublica, neque abnuendo, neque accipiendo conditiones foederis, tertium quiddam, sequeretur. Namque, quod agere, ac moliri ipsos, inutile, atq; indecorum foret, id alijs persuadere coeperunt. Eiusque noui occulti consilij via erat haec, atque secretò cum legatis ità colloquebantur. Consideraret Rex agendae rei magnitudinem, difficultates, & pericula, & damna, quae aliàs etiam inter tentamenta & conatus eosdem repentè extitissent. Nollet in pericula & damna eadem rursus conijci Rempublicam, quae adeò benemereri semper etiam in posterum vellet. Esse Rempublicam hanc in Turcarum penè faucibus: esse vndique ferè cinctam finibus, armisque Catholicis. Si quid improuidè offensum fortè in parte aliqua esset, non partis tantummodò, momentiue illius, sed summae totius fore offensionem. Non terra, non mari promptum ex Gallia subsidium, propterea quod mediterranea regione, Ligurum, & Mediolanensis Prouinciae fines ad Alpes vsque Germanicas continuo tractu excurrerent, clauderentque iter, maritima

Munia, & alia blandimenta legatis dantur.

Munificentia Senatus Veneti dat Gallis animos renouandae actionis.

Tertium quiddã peperit.

Quid fuerit.

Respublica Venetorum vndique cincta finibus armisque Catholicis.

Maritima res maximè instructa, & valida apud Hispanos.

maritima verò res, tantò instructior, validiorque apud Hispanos sit. Proinde exordium operis inde esse ducendum, vt finitimi Principes, initio rerum, consiliorumque omnium in societatem assumantur.

Hasce verborum ambages iterata saepius postulata Gallorum elicuere: eratque responsum hoc in speciem quidem priore largius, re autem ipsa restrictum magis adhuc, atque perplexum. Quo accepto, Galli cum foederatis suis auertêre consilia, artesque omnes in Sabaudiae Ducem, in Parmensem, Mutinensemq; Principes, in Genuensem, & Lucensem quoque Respublicas, captando simul omnes, vt aliqui eorum irretiti conditionibus, & capti manerent. Ita Veneti nimbum, procellamque omnem auerterant in campos alienos, transitumque tempestatis ex tuto contemplaturi erant, intereà dum potentissimi duo, & maximi totius Europae Reges inter se dimicarent. Vix quidem credibile erat, posse vllo modo persuaderi Populis, Principibusue istis, vt ab Catholico Rege ad alterum hunc desciscerent, cùm societas, & amicitia prior radices iam in animis altas egisset, cùmque vtilitates & commoda inde percepta semper, atque percipienda illi aestimare possent. Non tamen confidentia Gallica deterrita est. Cogitabant, improuidos, inopinatosq; casus saepe valere ad ea mouenda, & conuellenda loco, quae immobilia, & fixa

Veneti summa Prudentia qua nimbum procellamque omnem auertit in campos alienos.

Incredibile, videbatur posse persuaderi Principibus vt ab Catholico Rege descisceret.

Haud desperat Gallica confidentia Cur.

teneret

teneret ratio immobilis atque aeterna ipſa. Satiari mortales etiam pace & otio, dulcediniſque tantae quoddam eſſe taedium. Principum atque Rerumpublicarum mutari conſilia, & animos, prout homines ipſi mutentur, alijque alijs perpetua humanae vitae commutatione ſuccedant. Non eoſdem eſſe ſubiectorum dominantiumque ſenſus. Quippe domeſticas fortunas, & rem familiarem curae illis, votumque vnicum, ſub tranquillitatis, & otij clypeo ſe ſe, ſuaque conſeruandi: fortunas autem, & vota Principum, in eo, vt criſta, galeaque conſpicui, gloriaque & ambitione tumentes adſpiciantur. Regere exercitus, augere tributa, vertere ſi poſſint, & commutare Solis vtramque domum, has gratiſſimas diuitias eſſe illis, & qualibet quiete turbas amabiliores.

Diſpares ſunt ſubiectorũ, ac Dominantiũ ſenſus.

Quae Principibus arrideant.

Inuadendae Italiae, atque Prouinciam aggrediendi Mediolanenſem prima Gallis conſilia fuere haec, ſimulque de praeparando Alpium tranſitu cogitabatur, haud ſanè difficillima re, ſed neque ita facili, vt non ſollicitudine, curaque ſua indigeret. Non enim potuiſſe naturam inſuperabiles eas, exercitus huc inde ſaepe tranſmiſſi teſtantur, & quotieſcumq; voluere Galli, tranſiere, ſicuti clades etiam, vel acceptae, vel illatae monumento ſunt. Vulgus tamen ad fingenda incredibilia pronum, interiecta Prouincijs moenia, ceu muros credidit eſſe Alpes. Ideò fauces, quae ad Pi-

Inuadendae Italiae prima Galliç conſilia fuere.

Alpium tranſitus iam vulgatus.

 narolum

Fauces, quae ad Pinarolum sunt vt haberent Galli solliciti erant.

narolum sunt, claustraque in Italiam patefacta sibi haec, vt haberent, tenerentque Galli magnopere soliciti erant, atq; negotio huic fraudem quandam, & in ipsa pace penè vim adhibuere in hunc modum.

Quibus artibus id assecuti.

Quae Gallis dicta fuerit lex in Ratisbonensi pace.

Hanc confundere cū Monzonij pactis astuuntur.

Erat in Ratisbonensi pace, habitoque ad Chirascum conuentu dicta Gallis lex, vt omnem educerent ex Italia exercitum, praesidia, loca, arces, quascumque tenuissent, libera relinquerent, eamq; legem, & conditionem ipsi acceptam cum Monzonij postea pactis confundere, ac turbare tentauerunt. Sed obstitit Antonius Vera Regius Catholici legatus, qui apud Sabaudum hoc tempore erat. Is namq; docebat, & multa in conuentibus, colloquijsq; priuatis contentione, defendebat, non posse super eiusmodi renouari quicquam, cùm propriè Caesaris res ageretur, essentque defuncti, quibus arbitrium, & authoritatem agendi totam ille permisisset. Ita coacti in angustum, atque inter ancipitia deprehensi, nec volebant restituere Pinarolum, & simul volebant. Ac nollent quidem restituere vllo pacto, quia expeditissimum illud exercitibus iter, viaque opportuna patescebat; Restituendi autem vinculum, & inuitamentum, illecebraque maxima erat, quòd ea restitutione, Montemferratum destinatam in posterum sibi sedem armorum adipiscebantur. Duxque Niuerni, popularis & amicus ipsorum, Mantuae Dux fiebat. Simul

Comes della Rocha obstat Legatus apud Sabaudiæ Ducem.

Nolunt ac volunt Galli restituere Pinarolum. Cur.

Caesaris

Caesaris arma cupiebant, exercitumque deduci, & omitti praesidia, quae Germanicis exercitibus iter praeberent. Ob ea, restitutionis inuisae sibi diem etiam vltro antecapere statuerunt. Suberat spes, quandocumq; vellent, arcem nihilominus eam esse recepturos, & fieri quamprimum ea, quae demonstraui, cupiebant: Ita dissipant repente famam, venire, & iam iamque adesse, qui Caesaris nomine reciperent arcem. Faciendum vtrumq; die eodem, vt, & praesidium inde ipsi deducerent: & Mantuam intrarent, resq; tumultuosè admodum, & perturbatè agebatur.

*Gallorum versutia.*

*Diem etiam vltro antecapiunt restitutionis Pinaroli.*

In eo tumultu finxerant parari sibi ludibrium, fraudemque illam, vt, cùm à Pinarolo ipsi discessissent, pacta conuenta ex diuerso facere nollent Caesar, & Rex Catholicus, atq; ita haberent cum dedecore Galli damnum, meritòque irriderentur. Petunt à Sabaudiae Duce, vt fidem suam obligare velit: traditurum ipsum in Galliae Regis potestatem cuncta ad Pinarolum, nisi Caesaris, Hispanorumque fides in tradenda Mantua, & Monferrato, Copijsque Germanorum ex Italia deducendis, absque vlla exceptione constitisset. Magnopere cupiebat Sabaudus depellere suis finibus externa omnia arma, ac de Caesaris fide minimè dubitans, obstrinxit suam in id fidem: non recusaturum esse de tradendo rursus Pinarolo, nisi Mantua ex composito restituta foret. Id

*Galli fingunt se timere ne post traditum Pinarolum haud Caesar, & Cath. legiones deducat ex Italia.*

*Fidem suam obligare Sabaudiae Ducem, impellunt quibus conditionibus.*

vbi tenuere Galli, dicere coeperunt: fide adhuc & pignore maiore esse opus, vt Germanicae copiae trans Alpes, ficuti esset inter pacta, traducerentur: ac de ea re ipsum etiam fideiubere postulabant, obsidesque petebant, Cardinalem, Thomamque fratres Ducis, qui mitterentur in Galliam ad Regem, futuri ibi pignora conditionum ab Hispanis, & à Caesare obseruandarum. Si fideiubere ita Sabaudus, & obsides dare recuset, paratam in vicino vim, exercitumque ostendunt, quo subigi protinus, compellique possit, atque statim est ea denuntiatione subactus. Et cuncta quidem, quae facienda esse ille promiserat, quaeue ab Catholica parte fieri debuerunt, cum fide facta erant: Austriacaeq; copiae vigesimo die post traditas arces, & praesidia deducta, transgressae vniuersae Alpes in Germania constiterunt. Caeterum, perindè quasi nihil horum actum esset: Toratius, & Seruientius, duo legati Galliae Regis, arbitrique dati ad negotia componenda haec, & transigenda, institerunt à Sabaudo petere, vti Pinarolum tradere ne cunctaretur, propterea quod scilicet Dux Feriae Mediolani Gubernator militares copias, vltra condictum, earumque partem ex Germania retineret. Id non verè dici Catholicus legatus aiebat, ferebatque conditionem: Si amplius vno milite foret in Catholico exercitu, vltra numerum eum qui esse deberet, eos milites illicò fore dimittendos:

Obsides loco Galli Card. Thomamque fratrem Ducis petunt.

Cũ fide sunt quae ab Catholico fieri debebant.

Austriacae copiae vigesimo die post traditas arces in Germania constiterunt.

Legati Gallorum repetunt ab Sabaudo Pinarolum sub falso praetextu

eiusq;

eiuſque rei cognitionem Caſtracanio Nuncio Apoſtolico permittebat. Sed arbitri Galli, ne mendacij palam arguerentur, recuſauere iudicium: neque iam magnopere curae illis, quid recti, & veri, quidue ſecus.

Negat Comes della Rocha eius rei Cognitionem Nuncio Apoſtolico permittit.

Habebant enim obſides fratres, vt dixi Ducis, ex quorum capite pondus, atque authoritatem ſumpturi eſſent ad omnia, quae petere deinceps, & nouare cogitabant. Deſierant tamen apertè iam atque ex directo petere Pinarolum. Arces nominauere octo, de quibus duae ſibi traderentur: neque duas, ſed tantummodo vnam habere, & impetrare volebant, augebaturque de induſtria numerus, vt condonando poſtea, & remittendo aliquid, Ducis animum in ipſa iniuria beneficio deuincerent, ita, vt facilitatem, moderationemque Regis in accipienda vna pro duabus arce, remunerari viciſſim ipſe deberet facilitate, & comitate alia, tradendae ſcilicet arcis, quam occulta animi ſui deſtinatione electam, ſepoſitamque haberent. Pinarolum erat, quò recidere ac deſinere illuc ars, & petitio tota deberet. Honeſtiſſimus verò ad omnia titulus oſtendebatur, defenſio Sabaudiae Ducis, prouinciarumque eius, quam Rex Chriſtianiſſimus iuſtam, legitimamque ſuſtineret, ob matrimonij neceſſitudinem, vicinitatemque terrarum. Simul aiebant, profitebanturque legati, defenſorem, ac liberatorem Italiae velle eſſe ſuum Regem, cui aditum & portam in Italiae terras iſtam claudi

Recuſant Galli obſidibus freti.

Quantis artibus vſi fuerint Galli.

Defenſio Sabaudiae Ducis Prouinciarumque eius honeſtiſſimus titulus ab Gallis oſtenditur, quo clauſtra Italiae illis traderet.

claudi minimè oporteret.

Conſideraret Dux, habere ſe in matrimonio ſororem Regis, vinculumque illud charitatis mutuum eſſe, & mutuis obligare pignoribus animos. Si coepta proſpere caderent: ſciret tantò maiora in rerum exitu ſe accepturum, quantò plus ſimplicitatis, ac beneuolentiae in rerum etiam principio ſignificauiſſet. Subnectebatque legatus idem per imaginem ſpeciemq; cohortationis, minas penè quaſdam. Negare Regi paululum iſtud nihil aliud eſſe, quàm permittere omnia in arbitrium, poteſtatemque eius. Nec virium habere ſatis, vt Gallico Imperio reſiſtat: nec ſperare poſſe auxilia ab Hiſpanis, quorum arma Flandriae rebelles diſtinerent. Caeſarem ſatis habere negotij aduerſus Guſtauum Suetiae Regem, atque aduerſus penè coniuratam in eius damna Germaniam. Italiae Principes fauere conſilijs, ac petitioni Regis, & quaſi petere vnà cum ipſo, vti patefiat hoc in Italiam iter ad pacem atq; felicitatem ibi Gallico Marte conſtituendam. & pulſis inde Hiſpanis, diuiſaque Prouincia Mediolanenſi, partes vnicuique aſſignandas, quod glorioſiſſimum, & humano generi gratiſſimum opus ſit iam penè confectũ, cùm, hinc Holandi detinendo arma illa affligant ex longinquo Prouinciam, hinc Suecus, debellata iam ferè Germania victor appropinquet. Si fortè credat Dux, vires fore ſibi, quibus defendat ab Galliae Rege partẽ Imperij ſui eam,

quam

*In varias partes diſtrahit Sabaudiae Ducem Gallorum Legatus.*

*Occurrit omnibus quae poſſet cõgitare Sabaud. Dux.*

*Diuiſa Prouincia Mediolanẽſi partes vnicuique aſſignandas eſſe promittit Gallus.*

*Certam victoriã pollicetur tot hoſtibus implicito Catholico Rege.*

quam habeat in Subalpinis, haud certè defensurum esse Sabaudiam, apertam scilicet, adeo, & opportunam, vt pedem eo Rex iratus, & vicinus, quandocumque volet, inferre possit. Et posse recordari ipsum, quàm facile aliàs non Sabaudia modò cesserit Regi eidem, sed in Subalpinos quoque inde penetratum sit armis ijsdem, quae nunc in vicino parata esse videat, ancipiti Regis animo, siue pro amico, & affine Duce, siue in hostem eundem, atque inimicum. Haec haud procul ab terriculamentis, & solita comminationum arte iecerat Orator: flexerat inde rursus ad promissa ingentia, montesque aureos, & nouae fortunae fastigium, quò posset Dux peruenire, si vellet. En illud iam tandem venisse tempus petendae vltionis ex Ligure, Rempublicamque delendi hanc. Venisse tempus transferendi inde pecuniarum aceruos, & opes, quas damnosissimo quaestu corraserit ab Regibus ipsis, & corradere porrò quotidie pergat. Tantaeque rei occasionem, sine vlla impensa, sine cura propemodum vlla delabi ei diuinitus in sinum. Velle Regem suppeditare pecuniam omnem è thesauris suis in stipendia praesidiorum, exercitusque traijciendos, absque vlla terrarum noxa, per quas ituri erunt, si forte per ipsius fines iter bello dilectum erit. Praeter incrementa fortunae, & latè proferendos Imperij fines, gloriae quoque incitamenta ostendebantur.

Ab terriculamentis, & solita comminationum arte haud abstinet Orator Gallus.

Flectit ad promissa ingentia, montes aureos pollicetur.

Delendi Liguris nunc esse tempus gratulatur Orator.

Quo magis accepta sint, sine impensa Ducis, ex aerario Gallorum Regis confectuiũ Prouinciã totam. promittit Orator

Famae ac gloriae futurae Duci Sab. lenocinium subdit.

tur. Pro liberatore Italiae, pro auctore publicae securitatis iturum in saecula nomen ipsius; Principesque Italicos agendae rei socios penè adoraturos id nomen. Daret libenter id, quod negare non posset absque iactura, vel discrimine summae totius, absque offensione Regis, foederatorumque caeterorum, qui clementer, atque amabiliter hortarentur, peterentque id, quod sumere suo iure statim possent. Agnosceret, rectèq; aestimaret beneuolentiam erga se hanc, animumque Regis, & in tanto Imperio coniunctam cum maiestate humanitatem, quanta non alibi fortasse reperiretur. Cùm occultissimè haec agerentur: participesque rerum, & conscij pauci non solita modò regijs ministris ad tegenda secreta arte, & fide, sed sollicitudine etiam maiore aestuarent: manauere tamen, & excepta indicia sunt paribus artificijs eorum, qui odorati ista vicissim, atq; vestigijs omnibus indagare debebant.

Quamvis occultissimè haec agerentur, manarunt.

Catholici Regis apud Sabaudiae Ducem, sicut antea demonstraui, legatus hoc tempore erat Antonius Vera, quem Rochae Comitem, ferè suppressa priore appellatione, communis fama nuncupabat: idque Viro cognomentum inter acta semper manet. Is obseruando, & notando, quàm circumspectè, & cautè, quam frequenter etiam, & prolixè nonnulli inter se colloquerentur: & cum Nuncio praesertim Apostolico, quàm crebrae

Antonius Vera Comes della Rocha legatus apud Sab.

nocturnae

nocturnae introductiones, quotidianique susurri essent: suspicari primò aliquid coepit: deinde magis, magisque timere: simul, peruigil attentusque esse ad negotij fumos, & quandam veluti sua sponte spirantem auram ab halitu congressuum istorum, colloquijsque inusitatis. Multa dexteritate Vir, magnoque ingenio, & insinuandi se se in animos, atque introspiciendi quamuis occulta, & abdita mirus artifex facilè peruenit ad cubilia arcani ipsius, eòque adduxit rem, vti Dux aperiret vltro ei, quemadmodum, & de qua re ipse tentaretur Id tamen serius aliquantò, quàm oportuerat, factum est: & remedia, quae potuerant adhiberi, malum ipsum anteuertit, atque praecurrit. Legatus postea quam cuncta compererat, tempore captato, Ducem in haec verba est allocutus.

*Alta eius sagacitas qua ad cubilia arcani totius peruenit.*

*Quibus argumentis.*

" Credo ego, Celsitudinem Vestram, pro " summa sua prudentia, & pro magnitudine in- " genij, quo praedita est, intelligere, ac videre, " quàm vana, & fallax, quàm etiam importuna, " atque imperiosa petitio Gallorum sit: auda- " ciaeque tantum, vel insaniae fuisse aliquando " mortalium vllorum animis ventura saecula " non credent. Mihi quoque negotium hodie " incredibile videretur, nisi faceret apud animum " meum huic portento fidem authoritas eorum, " à quibus accepi, ordine cuncta & cognoui. Et " Celsitudo Vestra nimirum non solum agnoscit,

*A magnitudine ingenij & Prudentia Ducis Sab. & importuna Gallorũ petitione orditur Hispanus Orator.*

*Quò magis inuisa postulata Gallorũ reddat, portenta appellat.*

» ſed damnat etiam, atque irridet, ſiue abomi-
» natur impudentiſſimi poſtulati ſtoliditatem.
» Neque in hoc negotio, ſuadendi, vel diſſua-
» dendi locus erat, niſi vellem vtcumque ego
» arripere occaſionem oblatam declarandae meae
» pietatis, fideliſſimaeque ſeruitutis erga Sere-
» niſſimam hanc Domum, pro ea neceſſitudine,
» & conſanguinitate, quae Domui huic, cum
» Rege meo intercedit: dicamque & ſuadebo
» ea, quae Celſitudinis Veſtrae miniſter quilibet
» intimus dicere, ac ſuadere deberet. Petunt
» Galli, vt ſuos exercitus ipſa tranſmittat in Ita-
» liam, praebeatque aditum, & patefaciat vltro
» portam irruptioni, qua, & occupare fines,
» arceſque ipſius, & Catholicum Regem ex
» Italiae finibus depellere ſe velle dictitant. Non
» rectè dixi, petunt: iubent imò, & praeſcri-
» bunt, atque in eo ſtatim obediri ſibi aequum
» cenſent. Id cùm faciant tempore hoc, quo
» nondum loca illa occupauere praeſidijs: po-
» teſt Celſitudo Veſtra conſiderare, quidnam
» acturi ſint, cùm inſeſſa ſuo milite, & occupata
» loca aliqua habebunt; cùm inquam Celſitudini
» Veſtrae quidem, accepto intra ſinum hoſte,
» diminutum Imperium erit, ipſis verò auctum
» ita, atque amplificatum. Ad iſta, neſcio, vio-
» lenta magis, an abſurda, ſumunt obtentui
» pacem Italiae, & ſecuritatem; eaque ſpecioſa
» vocabula iactantur. Verè autem occupare
» ipſi, & inquietare Italiam volunt: atque in id
ipſum,

eiuſdem mentis ſupponit eſſe Ducem Ideoq; ſup. re pacaneā eſſe orationem, niſi ad teſtandam ſeruitutem ſuam erga Sereniſſimam Domū, tam cōiunctā Catholico Regi, hoc ſui muneris eſſet.

Poſtulata Gallorum.

Quo modo petant Galli.

Pax Italiae & ſecuritas, ſpecioſa vocabula Gallorū.

„ ipſum, ſerere odia, & ſuſpiciones, figere ali-
„ cubi pedem inuadere proxima finium tentant.
„ Homines ſimplices, qui fallaci hoc titulo deci-
„ piuntur, conſiderare debebant, ſicuti diuerſa
„ ſint Prouinciarum ingenia, ita etiam ſtudijs eas,
„ conſilijſque diſſidere: atque ab eo, quod Gallia
„ nunc profitetur, penitus abhorrere inſtrumenta
„ ipſa, quae in id ſumit. Vult Italia tantum
„ modo conſeruare, ac tueri ſuum Statum.
„ Vult Gallia proferre, & augere fines Impe-
„ rij: ac ſi votis inanibus fortuna, hominesſ-
„ que annuant, Europae totius Imperium, non
„ tam ſpe, quàm furore elati concupiuerunt,
„ Hoſtes Italiae aeterni, cùm nullum in ea terra
„ receptum, aditumuè haberent, adſpirauere ſem-
„ per illuc, atque Prouinciam ſemper eam ſpecta-
„ uere, quam & dirriperent vt alienam, & veluti
„ ſuam obtinerent. Vbi admiſſi ſemel, receptique
„ erunt, quis ſperet ab iniuria, & violentia tempe-
„ raturos? Separati, atque excluſi hinc velut na-
„ turae ipſius lege olim, prohiberi non potuere,
„ quo minus peruaderent vniuerſam latè Prouin-
„ ciam, & in Capitolium vſque peruenirent.
„ Nunc, cùm praeſidia, & arces, amicitias gratiam-
„ que hominum hîc quaerant veriſimile fit, tran-
„ ſitum, atque iter meditari, ac praeparare ſibi re-
„ gione eadem, qua intrauere olim. Si nihil aliud,
„ tempus certè ipſum, & praeſens conditio rerum
„ perfidiam & inſaniam arguere Gallorum poſſet.
„ De pacanda, atque in optimum ſtatum addu-

Italiae finis diuerſus ac Galliae.

Europae totius Imperium Galli concupiſcunt.

Galli Italiae hoſtes aeterno.

Quod conſilium ſit Gallorum ſi ſemel admittantur.

De pacanda Italia cogitant Galli quãdo res Austriaca per Germaniã pessimè conflictatur.

" cenda Italia nunc agunt, tituloque hoc vtuntur,
" cùm habetur florentissima per Italiam pax: &
" vltro fatentur, se se ad opus hoc ciuile, salutare,
" règium, opportunitatem elegisse hanc, dum res
" Austriaca per Germaniam, & Flandriam pessimè
" conflictaretur, & clades in parte Vtraque maxi-
" mas accepisset. Nunquam Italia quieta fuit,
" nunquam coepit affluere opibus, nisi postquam
" Maiestas, & opulentia Hispana intrauerat, ma-
" ximusque Regum Prouinciae partem receperat
" in ditionem, Imperiumque suum. Tunc enim
" verò conticuere tyranni, iniustique dominatus,
" repressi, & sub iugum acti, praesentia tantae
" Maiestatis, induêre aequitatem. Multi prae-
" potentes desiere artem, & omisere licentiam
" opprimendi minores, quos superbiae proce-
" rum aequat haec Maiestas, & sub huius tutela
" securi aduersus vim, opesque potentiorum,
" atque inuiolati conquiescunt. Sustulit Maies-
" tas eadem latrocinia, pyratas, irruptionesque
" barbarorum, & munito classibus mari, com-
" mercia vicina, & longinqua firmauit, per quae,
" non commoda omnia solum, sed & delitiae
" inuectae. Coepitque Italia sub Rege hoc In-
" dicas quoque fruges & opes, non habere, &
" gustare tantùm, sed etiam distrahere, ac ven-
" dere alijs, quarum tantummodò famam antea
" nouerat. Sed neque litteris, studijsue libera-
" libus, ante Imperium hoc, fuerat in Italia
" cultus, honosue tantus, quantum Catholica

Italia nunquam quieta fuit, nisi postquã Maiestas Hispana intrauit.

Singuli induere aequitatem ab ingressu Hispanorũ.

Sub tutela Hispaniarum Regis securi aduersus vim opesque potẽtiorũ conquiescimus.

Pyratas & irruptiones Barbarorũ sustulit eadem Maiestas.

Sub hoc Rege Indicas quoque fruges coepit Italia distrahere.

mu-

„ munificentia, & magnitudo haec adiecit. Pietas, & Religio, quod caput est, facta per Monarcham, Regemque hunc, veluti proprium Italiae bonum, propriumuè decus. Auctae & illustratae titulis honorum familiae nobiles: & magna priuatim emolumenta constituta familijs. Publica res facta florentior: & Principes ipsi, veluti spiritum hinc roburque sumpserunt: cunctaeque per Prouinciam dominationes felicius iam, & ferè beatius agunt. Respublica Genuensium habet hodie quicquid fere auri, & argenti, quicquiduè gemmarum Indiae Regi huic mittunt: ipsaque facta quodammodo India est. Veneti non alio magis praesidio muniti aduersus imminentem ei Reipublicae Turcam, inter negotia quaestuosa splendorem, in magno Imperio securitatem tenent: & grati animi ergò in propitiam, & amicam sibi Maiestatem, multos nobiles Hispanos Venetae nobilitatis praerogatiua donauere. Hetruriae Duci donata per Carolum Caesarem Prouincia Senarum, vnde Magni cognomentum, & fastigium ei quoque pene Regium venit. Manet Reipublicae Lucensi sua libertas. Placentia restituta Farnesio, Mantuanus absolutus nullas contumaciae poenas dedit, nisi vt principatu redonaretur. Et inclytus, atque gloriosissimus Celsitudinis Vestrae pater, ab Regis nostri ferè manu recepit omnia, quae Rex Gallus ei ademerat. Demum omnes hi simul liberati

Pietas & Religio facta per Monarcham Hispanum proprium Italiae bonum.

Multae familiae illustratae titulis.

Respublica Genuensium fermè India est. Cur.

Veneti non alio magis praesidio aduersus imminentem Turcam quam Hispano Rege muniuntur.

Eorū gratus animus erga Proceres Hispanos.

Hetruriae Dux Prouincia Senarū donatus.

Reipublicae Lucensi libertas conseruata ab Rege Hisp.

Ab eodem Placentia restituta Farnesio.

Sabaud. Dux ab manu Regis omnia recepit, quae Gallus ademerat.

sumptibus

ſumptibus immenſis, onereque armorum, ſublatis aemulationibus, ſuſpicionibuſque mutuis, quae adultae, & inueteratae turbabant Italiae ſtatum: incendiaque odiorum ſaeuiebant. Hiſce reſtinctis, & compoſitis mirificè omnibus, dici poterat non ſolùm conſeruatam Italiam, ſed etiam excultam, atque ornatam, & felicitate donatam ab Rege Catholico eſſe.

*Per conceſſionem magis oratio acuitur contra Gallos.*

Eant nunc obſtinati, ſempiterni, hereditarij, manifeſti hoſtes Prouinciae huius: eant Galli, & ſuccinti furijs, orco ſtimulante, portam occludant paci, & quieti, ſtudijſque ciuilibus, & commercijs, ac ſecuritati, & felicitati, quae poſt primi hominis culpam reſidere inter mortales neſcit. Pandantur ab rabie, & furore eodem portae bello, tragicis exemplis, ſpectaculiſque horrendis, excidio dominationum, ſolitudini, ac direptioni fortunarum, voracitati, atque eluuioni barbarorum, victorijs denique, & triumphis exercituum, qui contra Catholicam Religionem armantur: & fiat tot malorum, tantique dedecoris author Sereniſſimus Sabaudiae Dux, atque de Republica Chriſtiana ſemper tam benemerita Celſitudo. Quae ſcilicet ipſa primum experimentum inſani foederis erit, prima ſentiet hoſtem & ſibi diminutum Imperium prima lamentabitur. Haec ſumma Gallicae petitionis eſt: hi ſunt conſeruatores Italiae Galli; qui diem intra vnum volunt intercipere, & occupare ea, quae cen-

*Ab triſtibus euentibus amplificat.*

*Inuidiam tantorum malorum in Sereniſſimam Sabaud. Domũ exaggerat.*

*Prima haec Domus erit in clade.*

tum

» tum annorum ſpatio Catholica arma receperunt,
» vt poſſeſſoribus ab ſtirpe legitimis reſtituerent:
» ſiue reſtituenda conſeruarent. Reputent Prin-
» cipes: qualia paſſuri fuerint, ſi toto hoc aeuo
» conſeruatores iſti omnia haec tenuiſſent. Pol-
» licentur Celſitudini Veſtrae praemia ampla,
» nouos Imperij fines, & promptam inde vltio-
» nem in eos, à quibus violata eſt. Mirum ſanè
» hoc: ſpem & negotia tanta peragere velle
» promiſſis: ſed promittenti Gallo nullus vn-
» quam ita crediturus eſt, vt ideo ex iuſta ſua,
» & legitima poſſeſſione decedat. Neque alijs
» dabit natio iſta quicquam ex ea fortuna, quam
» ſibi deſpondet: neque reſtituent loca, & arces,
» quas ſibi interim dari fiduciarias petunt. Nam
» ſi locorum, arciumque petendarum ea cauſa
» eſt, vt munimentis, praeſidijſque iſtis illicò in-
» ſiſtentes, ad alia per Italiam praeſidia, & muni-
» menta obtinenda gradum faciant: poſtquam
» haec etiam aſſequuti erunt, volent priora illa
» retinere, ne hiſce, quae deinceps habebunt portà,
» & occupata deijciantur. Quia Pinarolum, &
» Suſam ſemel iam ab ſe dicunt fuiſſe reſtitutam
» cum haberent, ne ideo ſpes ſit iterum eſſe
» reſtituturos. Non enim reſtitutio illa, ſed com-
» mutatio quaedam & pactum, ſiue neceſſitas fuit
» in quam ſe ſe coniecere ob ſpem rei emolumen-
» tique maioris, vt ſcilicet egreſſi inde pari cum
» Niuernio Duce paſſu, & gradu porrigerent
» pedem ad optata illa tantoperè ſibi Mantuam

nempè,

Diem intra vnum ſoeculi opus intercipere conantur Galli.

Magna & immenſa negotia promiſſis volunt peragere Galli.

Quot ſit Gallorũ ingenium.

Quare loca, & arces petãt Galli.

» nempe, & Montemferratum, quae in poteſtate
» Caeſaris, & Catholici Regis erant: Sicuti tunc
» egredi inde, & abire coacti fuerunt: ita volunt
» hodie cogere Celſitudinem veſtram, vt cedat
» ipſa, & loca ſibi illa, arceſq; permittat. Si per-
» miſſae, traditaeq; erunt arces, & loca duo haec:
» protinus ad inuadenda octo illa accingentur;
» quae principio petierunt. Furor, ſimplicitaſq;
» eſt, credere, connubia, charitatemque ſangui-
» nis, neceſſitudineſuè priuatas vllas poſſe locum
» habere vllum, ſiue facere momenti quicquam,
» vbi ratio Status, atque per honeſtum id no-
» men inuecta in mores, animoſque dominan-
» tium licentia rerum omnium; dominetur ipſa,
» agatque arbitratu ſuo cuncta, & ferat, & of-
» fundat menti caliginem, ne recti, prauique
» diſcrimen, & dehoneſtamenta famae videre
» poſſit. Affinitates, & vincula quamuis arcta
» humanae ſocietatis, ſomnia priuatorum ſunt:
» in ſumma fortuna cariſſimum, honeſtiſſimumq;
» id, quod maximè expediat. Sororis Regis
» filius erat Celſitudinis Veſtrae parens, ſed quo-
» niam ille deceſſit, conſulat Celſitudo Veſtra
» Reginam matrem, & fratrem Aurelianenſem.
» Et quicquid in Regia praeſertim illa valeat,
» conſociatus, non hominum conſenſu, ſed na-
» turae lege ſanguis. Inde ſtatuere poterit, quid
» de Arcium reſtitutione ſperare debeat ab Rege,
» cuius ſororem in matrimonio habet, ſtatuere
» poterit, quam rectè, quam tutò commendetur,

atq;

Quare à Sabaudo Pinarolium & Suſam petant Galli.

Connubia charitaſque Sanguinis, vbi ratio Status interſit nullum momentum facit.

Per honeſtum id nomé rationis ſtatus fuit inuecta in animos dominantium licentia rerum omnium.

Affinitates & vincula ſomnia Priuatorum ſunt.

In ſumma fortuna quid ſit chariſſimum.

Ab Regina matre & Aurelianenſe Duce edíſcere poteſt Sab. quid conſilij ſibi ſit capiendum.

» atque committatur huiuſmodi pignoribus Im-
» perium, Imperijuè particula aliqua. Recolat
» etiam memoria, & attenta meditatione per-
» pendat nobile conſilium, quod Niuernij Dux
» Galliae Regibus perpetuò reſpiciendum eſſe
» dixerat in Oratione quam ad Henricum III.
» habuit aduerſus eorum ſententiam, qui reſti-
» tuendum eſſe Pinarolum cenſebant, eiuſque
» poſtea conſilij & praecepti, ceù legis, & diſci-
» plinae cuiuſdam religioſiſſimè Gallia memor, &
» cuſtos fuit. Italiae Principum, ſi qui voluntati
» Gallorum obſecundantes Celſitudinem Veſtram
» in eoſdem impellere ſcopulos conantur, ad
» quos ipſi adhaeſerunt, eos neceſſe eſt, aut
» laborare inſania, qualis foret alicuius, qui non
» recuſet vtroque caſsus lumine conſpici, ac
» videre, dummodo aduerſarius alterum ſibi
» oculum excuſſerit, perdiderituè: aut magno
» aliquo malo eſſe oppreſſos, cui remedia quae-
» rant ex alienis malis. Quod ſumma fortuna,
» & Imperij conditio, qualis Celſitudini Veſtrae
» obtigit, facile inueniat aemulos, facilè ſollici-
» tudines, & curas mouere aliorum poſſit: id
» ſanè tam certum, notumque eſt, quàm etiam
» illud vulgare, quod ſequitur vmbra corpus.
» Non quiſquis alteri conſilium dare aggreditur,
» opus amicitiae hoc beneuolentia, animoque
» ſyncero ſuſcepit. Poteſt conſilium idem vtile
» fortaſſe eſſe quibuſdam alijs, Celſitudini Veſtrae
» non item, nec Italiae rebus, nec Religioni:

Nobile conſilium Niuerni Ducis ad Galliae Reges quale eſſet.

Summa fortuna facile inuenit aemulos, & curas mouet aliorum.

Disparitas eiuſdem conſilij haud ſemel.

» Catholicae, quo demum referri cuncta opor-
» teret. Non erit Celſitudini Veſtrae cum tota
» Italia dimicandum, qui fortaſſe metus, &
» terror ei proponitur: non aduerſus ipſam
» coniurauere dominatus iſti omnes; & illi
» ipſi, quos coniuratio comprehendit, atque
» illigauit, fortaſſe rerum exitum è feneſtra, &
» ſpecula contemplari volent. Fortaſſe tranſibit,
» haud ſine publica irriſione procella haec, &
» nimbus atrox iſte, quem oſtentant. Fortaſſe
» etiam nulli iactantius venditant hodie ſe ſe,
» plauduntque Gallis, quam qui, diſcrimine in
» ipſo poſtea, vel timidè, vel circumſpectè acturi
» erunt, adſpernaturiue ſocietatem. Galli porrò
» ipſi quandoquidem cum Celſitudine Veſtra
» beneuolè adeo, liberaliterque agunt, quid ita
» tentant, voluntque ſtatim ingredi domum
» ipſius, ad vincla, neceſſitateſque inijciendas, &
» non potius in limine conſiſtunt, parem ab ea
» beneuolentiam fidemque, prompta vbi opus
» erit, cuncta expectantes? omni verborum arte
» nituntur, vt alta, ingentia ſperare Celſitudinem
» Veſtram cogant & ne ſpes vana ſit praeſentia
» etiam emolumenta proponunt, vim pecuniae
» ſcilicet in ſtipendia militum, arceſque tuendas,
» vt nulla ſua impenſa, praeſidia per ſubalpinos
» opportuna ſuſtentare poſſit. Haec mihi fabula
» Diomedis, & Glauci videtur. Celſitudinis
» Veſtrae ſubiecti ſentient immanes iſtas liberali-
tates, & lugebunt. Nam, aut Gallus erit hoc

*Occurit metibus Sab. Ducis.*

*Coniuratorum qualis futurus ſit habitus animorū.*

*Galli vincla ac neceſſitates Sab. inijcere primùm incipiunt.*

*Gallorū artificia per quae ſe ſe inſinuant Sabaudo Duci.*

*Fabula Diomedis & Glauci.*

" bello victor: & victoriam ſequetur perpetua
" obſidio terrae huius, quam victricia illa arma, à
" fronte, à tergo, à lateribus tenebunt quaſi car-
" cere incluſam: aut vincetur idem: indeque fiet,
" vt ſit haec ipſa terra Theatrum, in quo Mars
" cruentus ſpectacula omnia exhibebit furoris,
" inſanieque ſuae. In conflictu duorum poten-
" tiſſimorum totius Europae Regum, hanc maxi-
" mè terram peſſumdari, & gemere, & manare
" ſanguine totam oportebit, dum, pars afflicta
" quidem, nouo hinc conatu reſurgere, atque
" rurſus experiri volet altera verò pars, vel reſiſ-
" tere conatibus extremis, vel extrema victoriae
" peragere, magnumque diem imponere bellis
" cum eo hoſte omnibus, aut gloria, aut neceſſi-
" tate ſtimulante cogetur. Quid grauius triſtiuſuè
" poteſt Celſitudo Veſtra timere, ſeu exſpectare
" ob minas, denunciationeſque Gallorum, quam
" quod pati ſtatim cogitur, Imperium nempe
" Gentis, & ſeruitutem poenè ſuam, & arces oc-
" cupatas? Quae veneficia tandem, quaeue incan-
" tamenta poterunt ſpiritus repreſſiſſe generoſos,
" vt ad ea, quae iniuſtè adeo, & abſurdè petuntur,
" neganda deſit animus. Poterit Gallus petere
" aliena: & Celſitudini Veſtrae defendere ac reti-
" nere ſua non licitum erit? Statum, & domum,
" Penateſque ſuos vltrò concedet Genti, quae
" armata irruerat alias in domum Penateſque
" eoſdem, cogeratque hoſtiliter. Regit iuſtitia
" bellum. Hanc victoria ſequitur. Hac Duce

Ab effectibus luctuoſis qui ſequentur amplificat Orator.

Dilemmate arguit Ducem.

Sabaudia & Pedemons fiet Theatrum belli.

Rationes afferuntur.

Arguit infirmitatem Ducis dum ſpiritus eius generoſos laudat.

Iuſtitia regit bellum.

Beneficia ab Catholico in Sabaudum collata recenset.

» Rex meus eiecit è Celsitudinis Vestrae finibus
» Gallos, cùm occupassent iam, ibique regnare
» coepissent. Hac eadem Duce propulsabit eij-
» cietque Gentem rursus, antequam occupet ac
» regnare incipiat. Domum hanc, & subiectas
» Domui Prouincias, quomodo se ipsum, & sua
» suosque tueri paratus erit. Sed Celsitudinem
» quoq; Vestram robore ac virtute, & generosita-
» te sua paratam esse oportet, ne cedat minis
» postulatisque Gallorum, ita vt, etiam si amit-
» tendum Imperium esset dignitas nominis tamen
» & huius antiquissimae Domus fama sarta tecta
» conseruetur, neque patiatur detrimenti quic-
» quam. Hanc enim pretiosiorem Imperio ipso
» famam, & dignitatem, interminando; & peri-
» cla, cladesque denuntiando, quantum in ipsis
» fuit, violauere Galli, quorum hanc ipsam iniu-
» riam propulsari, & vindicari, ius fasque erat,
» etiamsi nihil vltra iniuriarum, damnique infer-
» rent. Ego nunc ita censeo: posse ac debere
» Celsitudinem Vestram petere à Gallis, vt qua-
» les petunt ab ipsa arces, tales ei tradant, sinant-
» que ipsam conseruare ac tueri quas hereditarias
» habet: talique in primis pignore obligare sibi
» eius animum, ac deuincire incipiant. Arcem
» locumue vnum si ipsa tradidit illicò omnia, vel
» in periculum certe coniecit. Id adeò denun-
» tiant, & opes ac potentia Regis huius, & artes,
» quibus infirmare ac debilitare finitimos conatur,
» vt scilicet obnoxia sibi mox omnia & opportu-

Inflamat atque accendit Sabau. Ducem.

Dignitas nominis omnino conseruanda.

Pretiosior ipso Imperio fama.

Quae sit sententia Hispani Oratoris.

Quanti momenti futurum, si Sab. vnā tantū arcem tradiderit Gallo.

Ex quibus hoc hauriat.

na

„ na habeat, haud dilaturus quin opprimat etiam
„ amicos, vbi primum occaſio data erit. Gnaruſ-
„ que arcani huius, imminentem hanc ex Gallia
„ tempeſtatem proſpiciens Celſitudinis Veſtrae
„ ſapientiſſimus Auus compoſuerat ipſe ſibi tale
„ prouerbium, vt crebrò diceret: praeſidia domus
„ Imperijque ſui certiſſima, & proxima eſſe Ca-
„ tholici Regis amicitiam: longinqua autem &
„ incerta Gallos, licet proximi intimique forent.
„ Horum quippe arma in Italiam inuecta lu-
„ gubres ac funeſtos Ludouici Sfortiae caſus, &
„ foeda atrocia illa exempla iam oblitterata re-
„ nouarant. Haec ſicut à me dicta ſunt, dicunt
„ ſentiuntq; cuncti Celſitudinis Veſtrae ſubiecti,
„ miniſtrique fideles. Congruit ad ſententiam
„ orationemque hanc ratio ipſa, & cura digni-
„ tatis, & quicquid Celſitudini Veſtrae vtile ho-
„ neſtumque eſt. Congruit ſuperbia ipſa peten-
„ tium, ipſique petentes congruunt hoſtes Italiae,
„ nimirum iurati & ſempiterni. Congruit huc,
„ ſententiamque confirmat cauſa petitionis ficta
„ & fallax. Demum, etiam ſi taceremus nos,
„ atque in hoc rerum motu, velut elingues &
„ muti quieſceremus; poterant noſtro loco per-
„ orare, petitio inuadendae Prouinciae huius,
„ pax Italiae cui inuidetur, Italia, cui per frau-
„ dem hanc Galli imminent.

Opprimet etiã amicos Galli ſi ſe ſe occaſio dabit.

Quale eſſet prouerbium Sapientiſſimi Aui Sab. Ducis.

Lugubres ac funeſti Ludouici Sfortiae caſus.

Cum Oratore Hiſpano conſentiunt etiam ſubiecti Sab. Ducis.

Peroratio Hiſpani Oratoris.

Ab Hiſpano Legato dicta haec potuerant ſanè continere Sabaudum, vt admittere Gallos, & praeſidia eorum vlla accipere ſuperſe-

deret:

deret ſicuti etiam Dux Feriae, qui Mediolani hoc tempore cum imperio erat, vehementiſſimè ab eo, Regis nomine contenderat petieratque. Ceterùm, res longè diuerſa ſequuta eſt: ſatiſque apparuit, ſpecie tantummodo quadam & arte, non autem commonefaciendi vel conſultandi cauſa, Hiſpanis miniſtris eum vltro indicaſſe & aperuiſſe quid ageretur. Quippe multis nominibus obnoxius iam addictuſque Gallis erat: nec poterat fere negare quod petebant. Dederat obſides Regi Cardinalem Thomamque fratres. Videbat arma Regni eius in vicino. Res tunc Auſtriaca per Germaniam grauiſſimè conflictabatur. Solicitabatur ipſe ſtimulis aliorum quoque foederatorum. Et fidei partem demum iam eis fortaſſe obligarat. Ob haec, properè, inconſultè, raptim omnia apud eum aguntur. Temporeq; eodem, & expoſcebat Catholica auxilia Sabaudus aduerſus minitantem inſtantemque Gallum: & turmae cohorteſque Gallicae ad Pinarolum ex compoſito ducebantur: ac praeſidium ibi, non pacatè modò, ſed etiam comiter atque hilarè acceptum, tradita protinus arce, quae porta in ſubalpinos, atque inde in totam Italiam dici poteſt. Cauſam huius ſubitae conceſſionis apud Hiſpanos hanc afferebat, quod ſpatia temporum condicta Galli turbauiſſent, diemq; quam vltro praefinierant ipſi minime ſeruaſſent. Inſuper, non data ſibi eſſe decem & octo millia peditum

*Neceſſitates Sab. Ducis in accipiēdo praeſidio Gallorum.*

*Cardinalem Thomamq; fratres obſides dat Gallis. Res Auſtriaca per Germaniam conflictata.*

*Raptim omnia apud Sabaudiae Ducem aguntur.*

*Galli Pinarolum praeſidio occupant concedente Duce.*

*Cauſam iſtius conceſſionis quā affert Sabaudius.*

peditum, equites mille quingentos, & pecuniae subsidia, quae petijsset. Posteaquam in hunc modum intrauere Galli, Dux infesta multa statim & odiosa sub nouo hospite patiebatur: senseratque iugum, quod ipse subire voluisset. Suberat forte dies, quo die solennia Corporis Christi, anniuersario Ecclesiae ritu celebrantur. Ea data occasione, agere Galli hoc & efflagitare à Duce coeperunt, vt inter gradus, & discrimina dignitatis, quae pompae caeremonijs interlucere deberent, primi loci praerogatiuam assignare sui Regis Legatis vellent. Id primo abnuere Sabaudus, multumque precari, ne se in tam ancipitis iudicij discrimen conijcere vellent. Dein, vbi acrius instabant, atque immiscebant suo more precibus minas, recusare non potuit, quin id quoque daret quibus aditum in suos fines, arcemque dedisset. Ita Catholici Regis iura manifestè violabantur: fastigiumque nominis, & Imperij ius in tanta celebritate conspici infra Gallicum nomen, deijcique oportebat. Id ita futurum, Episcopus Intimiliensis, & Veruuae Comes duo intimi Consiliarij Ducis Legato Hispano significauere: expectaueratque ille tacitus aliquandiu quorsum euasura ea res esset. Vbi dies aderat, & nihil ex composito caeremoniae illius ordine mutabatur, ingressus ad Ducem, testato tradidit ei litteras huiusmodi scriptum habentes. Quod Celsitudo Vestra inter solennia

Sabaud. Dux infesta multa & odiosa sub nouo Hospite patitur.

Primi loci dignitatem in publica pompa conantur asserere suo Regi Galli.

Sabaud. concedit Legato Gallorum primi loci dignitatem.

Hoc Episcopus Intimiliensis, & Veruuae Comes Legato Hispano significant.

Denuntiatio Catholici Legati aduersus Gallũ Sabaudumq; simul.

nia proximae celebritatis ſtatuit in primo dignitatis gradu collocare, ſpectandoſque exhibere Galliae Regis Legatos, id Antonius Vera Catholici Regis Legatus hodie denuntiat fore iniquum atque iniurioſum: ipſamque huius rei conſultationem, quo primum die ac momento ſuſcepta eſt, iniuriam fuiſſe maximam aduerſus nomen Maieſtatemque Catholici Regis, & crimen fuiſſe capitale, cui nulla ſatiſfactio par inueniri poſſit. Maieſtas namque haec illa eſt, quae dominationes & imperia omnia antecellit, non magnitudine tantùm Imperij, ſed, quod longè auguſtiſſimum eſt, defenſione ac tutela Catholicae Religionis, quam abſque vlla rerum ſuarum cura ſynceram conſtantemque tutelam gerit. Denuntio Legatus idem, liberè que dico: praeterquam quod iniuſtè fiat hoc erga mei Regis Maieſtatem, etiam, haud gratè fieri erga beneficia Maieſtatis eiuſdem adeò recentia & nota omnibus, vt Celſitudini Veſtrae praeſertim ante oculos obuerſari debeant, in quam collata fuere. Taliaque reputans ac videns beneficia Celſitudinis Veſtrae Parens, nunquam ad iniuriam huiuſmodi prolapſus fuerat, ne tunc quidem, cum Galliae Regi coniunctiſſimus, ab Rege autem Catholico alienior eſſet. Proindè, iterum, ſaepiuſq; dico: iniuſtum atque irritum fore habendumque eſſe quicquid in hoc negotio actum erit aduerſus Catholici Regis hanc Maieſtatem cui

Maximè Iniuria aduerſus nomen Maieſtatemq; Catholici Regis.

Magnitudo Hiſpaniarum Regis.

Quod ſit peculiare Catholici Regis.

Parens Sabaud. Ducis nunquam ad iniuriã huiuſmodi prolapſus.

cui nihil in rebus humanis aequari poteſt, & aequatio quaelibet iniuria manifeſta ſemper erit. Repetetque Rex meus primo quoque tempore poenas actionum iſtarum: & nobilia exempla ſtatuet ius faſque ſeruandi in poſterum. Ego verò protinus egrediar ex Aula Vrbeq; iſta, in qua nihil reliquum eſt, quod vltra expectare poſſim: in qua id actum eſt, vt per iacturam gratiae tanti Regis, vana imago ſecuritatis emeretur. Haec vti teſtatò dicta denuntiataque ſint, ſcribam publicum hic in vicino ſtantem adduxi mecum: ſcribaque meus intimus adeſt, qui teſtimonium hac de re perhibebit. Haec ſcripta tradidit Duci Legatus: & ſicuti ſcripta tradiderat, etiam in os ipſe pronuntiauit. Voluerat Dux ſatisfacere Legato, animumque ſibi reconciliare eius; non tantum modo verbis, ſed etiam re ipſa reuocando atq; reſcindendo quicquid Galli extorſiſſent. Sed obſtitit muliebre fraenum, ſoror nempe Regis vxor ipſius. Ardens foemina haec, & plena Gallorum aula coëgit ſemel placita retineri. Egreditur deinde ſtatim aula ſimul & Vrbe Legatus; non ſolita tantum deductione, comitatuque repudiato, ſed repudiata etiam & ſpreta ingentis pretij gemma, quod ei donum ab Duce miſſum fuit. Neque Legatus ex eo tempore vllus ab Catholico Rege mittitur ad Sabaudum. Caeterum quantoperè afflixerat rerum Italiae ſtatum, exterrueratque animos

Nihil in rebus humanis aequare poteſt, Maieſtatem Catholici Regis.

Sabaudiæ Ducem poenituerat facti, correxiſſet, niſi vxor Regis ſoror obſtitiſſet.

Aula & vrbe egreditur Hiſpanus legatus.

Ingentis pretij gemmam ab Duce ei donu miſſam repudiat.

aditus hic & prima per Sabaudiae Ducem in Italiam introductio Gallorum: tantoperè Gallos ipſos ad omnia ſperanda deinceps atque tentanda confirmauit. Conſiderabant, nihil iam imperuium eſſe magnitudini ac famae ſui nominis eſſe, ſibi tantum, vel gratiae, vel auctoritatis; vt apud Principem antiquiſſimae originis, caput & normam atque exemplar caeterorum Italiae principum, verbo penè ac nutu peregiſſent id, quod graui, & diuturno bello peragi poſſe vix fides. Inuictum Galliae Regem Ludouicum XIII. perfeciſſe vno diè id, quod per tot ſaecula Chriſtianiſſimi alij Reges Maioreſque ſui, totis connixi viribus fruſtra tentarint. Haec aliaque haud immeritò gloriantes extendere negotiationem ſpeſque ſuas è ſubalpinis in Montemferratum, ex Monteferrato Placentiam extenderunt atq; plaudente ſucceſſibus fama & fauore noua cupientium, eò peruenere, vt Ducem quoq; Odoardum Farneſiũ ab Rege Catholico alienarent adiungerentq; ſibi: quae res ſimillima portenti habita eſt, donec Dux ipſe, repetita, quam exſuerat gratia, arcanum vltro patefecit. Nunc mirabantur obſtupeſcebantque omnes: quid ita, Domus per vincula ſanguinis etiam adnexa Regi Catholico repente deſciuiſſet ab Imperio, ſub cuius tutela ſic floruiſſet, vt nullius alterius fortunam cum ſua commutatam eſſe vellet. Augebatur admiratio ob recentem Rainutij Ducis

Gallorum gloria, ſpeſq; ingens ob adiunctum ſibi Sabaudiae Ducem.

Summa Gallorum felicitas, quae.

Etiam Duce Odoardum Farneſium ſibi adiungunt, idque mirum. Parmenſis Domus annexa Catholico per vincula ſanguinis.

Quæ parerent admirationem.

Parmenſis domus floruit ſub tutela Catholici.

Ducis memoriam, qui fidem erga Hiſpanum ad extremum vſque coluiſſet, ac perinde inſtituiſſe filium, mandataque ſuprema haec ei reliquiſſe credebatur. Non autem, nunc primùm adiecerant Galli Farneſio animos; eum vti abducerent ab nomine Imperioque Catholico, traherentque in ſuas partes: ſed antiqua cura haec, & meditatio Genti fuit. Ac Feriae Dux Mediolani Gubernator, ſuſpicatus primò aliquid, deindè certior factus miſſo nobili Hiſpano Conſaluo Oliuera, monuerat iuuenem, nota eſſe Regi quae cum Gallis ipſe ageret, quaeue Galli cum eo conſilia & meditamenta conſociata haberent proinde meminiſſet officij, & pericula imminentia cōſideraret. Simul, repraeſentauerat ei beneuolentiam munificentiamq; Regis, & quanta inde, non ſperare ſolum, ſed accipere ſtatim poſſet Reſponderatque Farneſius: ſe quidem fuiſſe de foedere appellatum, atque ſolicitatum, ſed nolle diſcedere à maiorum inſtituto, qui Catholici Imperij magnitudinem & opes, ſubſidia certiſſima ſuae Domus ſemper eſſe exiſtimauiſſent. Retulerat Oliuera reſponſum ab Principe hoc: neque ſuberat aſtus: & animus verè iuueni is fuit. Sed Galli, poſteaquam clauſum ita ſibi obfirmatumque Parmenſem vident, vertunt illicò ad conſiliarios eius intimoſque amicos, qui poſt Cardinalis Farneſij mortem, non ſtatum modò rerum, ſed animum quoque Principis regebant. Hi tales

Summa conſtantia Rainutij Ducis vſque ad extremum.

Suprema mandata eiuſdem Ducis ad filium Odoardum.

Cura vetus Gallis abducendi ab Catholico Parmenſem Principem.

Farneſius ab Feriae Duce admonitus negat de Gallico foedere.

Quae reſponderit Farneſius legato Feriae Ducis.

Magnitudo & opes Catholici Regis certiſſima Farneſiae Domus ſubſidia.

Infractus adhuc Farneſius.

Galli ad conſiliarios vertunt.

Galli per Farneſianos miniſtros rem peragunt.

 erant,

erant, quales esse eos Galli ipsi concupiuerunt. Hos igitur opportunè aggressi, alium quibusdam in praesentia donis, & spe in posterum maiore, quam dona ipsa erant, alium tantummodo promissis, alium annua pensione oblata simul & decreta emerunt. Valuit apud quosdam propensio fauorque insitus in Gallicum nomen, alienatio odiumq; in Hispanos. Et aliqui, sui Principis etiam odio, atq; euertendarũ rerum dulcedine mouebantur. Fuere, qui mutato Italiae Statu partem sibi quoque dominatus, & imperia aliqua despondérent. In commune omnes, suo quisque hamo captati impleti sensibus ijsdem, quibus impleri atque ardescere principem vtile futurum coniurationi erat, in congressibus cum eo colloquijsque quotidianis, huiusmodi sermones serere coeperunt. Veteres Farnesios, iam inde ab atauo & auo ipsius, fortunas vitamq; prodegisse, vt Carolo Caesari Domuique Austriacae inseruirent. Egregia hinc praemia gratiamque relatam. Petrum Aloysium crudelissimè interiectum pedibus à fenestra suspensis ostentui pependisse. Ademptam Duci Octauio Placentiam, Ducem Alexandrum parum ab eo abfuisse, vt perfidiae crimine infamaretur. Victori Flandriae huic, triumphatori rebellium Prouinciarũ, ereptam ex parte maiore dotem, quam Margarita Austriaca mater ipsius, penatibus intulisset. Rainutium quoque dominantis nunc Odoardi patrem in discrimine fuisse,

Diuersi Consiliariorum affectus.

Farnesiani memorant Hispanorum iniurias simul, atque Principem,

tene-

teneretne possessa maioribus, an iuditio calumniaque maiorum inde excideret. Sed vetera, siue iam exoleta haec. Recentissimum verò illud, quod heres ipse tantarum iniuriarum Odoardus, oblitterata vltro omnium memoria, voluerit nihilominus vestigijs insistere maiorum suorum cruentis scilicet adhuc atque funestis, & misso in Regiam homine, qui studium & voluntatem eiusmodi suam Regi simul & Comiti Duci significaret, frustra responsum inde expectarit, haud dubiè spreta apud Hispanos generositate, qua sanguinem in eodem obsequio profundere destinarat. Huic superbiae Regis, velut ex composito respondere ministros. Captas in flumine Pado naues, quae frumentum ex ipsius agris innoxiè trasuehebant. Procuratores hominesque eius apud Vrbem Mediolanum, nec honestè sicuti deceat, nec amicè tractari. In regno Neapolitano iura quae obtinuerat, propemodum intercepta esse. Baronem cognomento Rabattam voluisse Principem illigare chirographo conditionibusue quibusdam, quas vbi accepisset, fortunas suas omnes in Germaniae bella pro Caesare conijcere & perdere cogeretur. Id verò tam graue onus quia subire recusauerit, expaueritque tantae necessitatis triste vinculum: exarsisse indignatione Hispanos, nec placari fere potuisse. Pari Regentem Villanum importunitate id egisse, vt ipsum Parmensemq; nobilitatem vniuersam in Flandriam abdu-

Praeter veteres offensiones nouas quoque demonstrant.

Hispanus spernit generositaté Farnesij.

Capiuntur ab Catholicis in flumine Pado naues Farnesij.

Procuratores & homines Farnesij, Mediolani nec honestè nec amicè tractati.

Baratta & Villanus superbè in Farnesium egisse dicuntur.

Villanus inter alia petijt ab Odoardo vt sex millia peditum in Flandria aleret suo aere.

abduceret, obsidum ibi loco futuros cum Principe omnes: Exegisse simul, vt sex millia peditum aleret ibi suo aere. Quorum vtrumque quia impeditius difficiliusque esse responderetur, auditam Villani vocem, qua cladem, iras, excidiumque denuntiaret.

Villani vox audita quae clades iras excidiumque denuntiat Farnesio.

Haec mista falsa veris, aut maiora vero stimulatores authoresque Galli dictauerant hominibus, qui rectores & magistri iuuentae Principis, authoritatem ipsam in iura familiaris amicitiae paulatim adducere potuerunt, neque dominationis & imperij tantùm, sed etiam vitae interioris arcana cum istis ille communicabat.

Hic voce vtuntur Rectores adolescentiae Farnesij ad eum stimulandum.

Farnesiani Ministri quales apud Principem suum.

Non dominationis tantum & imperij arcana, sed etiam vitae interioris commun[i]cat Farnesius.

Et multa cum eo consuetudine atque vsu nouerant etiam ipsi sua sponte sensus inclinationemque iuuenis, in primisque colloquendi semper aditum, & nullo circumscriptam horarum discrimine facultatem habebant. Per seria, per iocos, nunc incusare factum elationemque Hispanam: nunc irridere peregrinos quoque ministros imitatores fastus ac superbiae eius, veluti Rebattam atque Villanum Sed longè creberrima querelis conuicijsue materies erant capita quae posui: & consultationum etiam aliarum horas hae querelae occupabant, ab calliditatis inueteratae consiliaris opportunè iniectea, à Farnesio exceptae feruore iuuenili: iamque haud dubiè, pro vt per creditores suos, quaesierant studuerantque Galli, inclinabat. Nam, qui faces animo flagranti admouerent, iactarentq; talia,

Captant vbique tempora momenta ministri ad subuertendum Farnesium.

Rebattae atque Villani fastum per iocum imitantur ministri.

Clauso aditu arcebant, ne alij accederent ad Principem.

talia, & augerent interpretamentis quoque ſuis. ac ficto fortaſſe dolore, indignationeque ſimulata, prompti quidem & aſſidui, non modo conſiliorum deliberationumue temporibus, ſed circa menſam etiam lectulumque erant. Qui verò confutare illa, ſiuè lenire, & clementius interpretari, imò & in Gallos ipſos retorquere potuiſſent, clauſo per miniſtros eoſdem ac negato aditu, nulli admittebantur. Abſumpſerat, ſuſtuleratque Petrum Aloyſium ſuus furor, & Gallica verè amicitia, coniurandique cum ea gente dulcedo, ſicuti notum eſt, & vana eadem & pernicioſa Duci: Octauiuſque filius, damnata in luctu vaecordia moribuſque patris, contulit in Auſtriacam ſe ſe fidem: & feliciſſima deindè Domus fuit. Nunquam Hiſpania dehoneſtarat Ducis Alexandri famam. Potius autem defendunt ita contenduntque proceres Gentis, & memoriam extare aiunt: cum, ob amiſſas in Flandria totidem ferè Vrbes ancipiti ſemper & communi marte, quot etiam magnus ille bellator virtute fortunaque ſua recepiſſet, ab alijs vocaretur in inuidiam, criminique daretur ei Britannicae expeditionis clades, & amiſſa damno irreparabili claſſis: clementia & amabilitate, & magnitudine Catholici Regis, aulaeque totius, Viri famam eſſe ſuſtentatam, omniaque in eum edita ſigna charitatis Nullam verò fraudem eſſe doti factam aiunt: & Vrbem Aquilam, quae poſt Margaritae mortem repetita ſit in Regni

Circa menſam, & lectulum perpetui miniſtri eadē inculcant.

Iniuriae memoratae confutantur. Quae cladis Aloyſij cauſa.

Hiſpania nunquā dehoneſtauit Ducis Alexandri famam.

Omnia ſigna charitatis eduntur ab Hiſpano in Alexandrum.

Nulla fraus doti Auſtriacae facta.

corpus

corpus priſtinamque poſſeſſionem, non fuiſſe dotale negotium, ſed temporis cauſa principi traditam, vt in noui matrimonij offenſionibus receptaculum id opportunumque ſeceſſum ipſa haberet. Bonam cum Duce Rainutio gratiam: nominique ac memoriae eius honorem hodie in Catholica Regia meritò haberi. Vrbem Nouariam, quae oppignerata fuiſſet, perſoluta pecunia, ex condicto receptam; neque iniuriae quicquam inde Parmenſi illatum. Diſſimulata quae vindicari potuiſſent, Palauicinas nempe terras, & Vallem Tari, & tot innoxia fortaſſe capita, quae luerint ſuſpicionem titulumue coniurationis, atque ſub eo titulo tot euerſas nobiles domos: quae ſingula potentiſſimum in vicino Regem offendere, commouere, armare potuiſſent, niſi intimus Regi haberetur is, ad quem iſta pertinebant. Onuſtas tritico naues in Padi alueo, quae per Regios miniſtros captae interceptae dicantur: itemque Neapolitanas controuerſias inania eſſe, relinquenda iudicijs & foro, congerique ſic iſta tantummodo, vt numerus offenſionum creſcat atque aggrauetur res. Offerenti operam ſuam Odoardo dilatum in praeſentia reſponſum ob cauſas arcanas: poſtea Regijs litteris vltro eſſe compellatum atque inuitatum. Rebattam ex Germania veniſſe Caeſaris miſſu ad expoſcendam Italiae principum opem inualeſcente quotidie magis, & Catholicae Religioni finem minitante ſueco.

Vrbs Nouaria quae oppignerata fuiſſet perſoluta pecunia ex condicto recepta.

Palauicinae terrae, & Vallis Tari & tot innoxia forte capita diſſimulata ab Hiſpano.

Offerenti operam ſuam Odoardo dilatum in praeſentia reſponſū ob cauſas arcanas.

Regijs litteris vltrò compellatus Farneſius.

Rebatta ex Germania venit ad expoſcendam Italiae Principum opem.

Non

Non verisimile esse quod voluerit iste offendere atque irritare quos rogabat. Nec potuisse Hispanos irasci quia Farnesius non dederit subsidia petita in id bellum. At Regentis Villani culpa in eo, si mandata egressus iecerat dixeratue temerè aliquid. Mandatum autem hoc fuisse ei, vt orae maritimae in Flandria praefecturam Principi offerret: pro quo munere sex millia peditum daret ipse vicissim in duos annos illic alenda suo sumptu. Ad famam de Farnesij defectione increbrescentem Hispani fautoresue Hispanorum inter se, & cum alijs talia colloquebantur, siue admoniti, quibusnam ex aduerso dictis, Gallici homines Ducis eius animum, aut mouissent iam, aut mouere conarentur: siue suspicati vltro id quod erat. Et credo ego, serius aliquantò quàm oportuisset, viam denique inuentam, aditumque patefactum quo apud praeoccupatas iam aures, non modò sibi obiecta diluerent, sed etiam foedera omnia Gallorum amicitiasq; criminarentur, ita, vt possent iuuenem ab incunda cum eis coniuratione deterrere, nisi coniurasset iam percussissetque foedus. Quid vnquam vtilitatis ac beneficij retulisse Farnesios ex Gallia? Quid inde accessisse Pontifici Paulo, nisi aerumnosae vitae finem, cùm desperatus senex, per Gallica promissa in res nouas inductus, ob non missa auxilia moerore extabuisset? Sic Horatium, sic Octauium quoque destitutos: Etiam eius familiae Cardinalem spe

Villani solius culpa si mādata fuerit egressus.

Praefecturā orae maritimae in Flandria offerret ab Rege Villanus Odoardo.

Sero Hispani studeut ab incunda cum Gallis coniuratione Odoardū deterrere.

Damnosa semper Farnesij domui Gallorum amicitia.

Pontifex Paulus moerore extabuit.

Gallica deceptum aes alienum contraxisse, quod cum dissoluere non posset, dignitatemque tueri, vertisse ab Vrbe Roma repente solum, maiore verecundia Regni illius, quam sua. Haec domestica documenta habere Farnesium; haec posse considerare priuatim. Illa verò publica esse, notissima omnibus, & spectata famae communi, testata maximis generis humani cladibus, & laceratione prouinciarum: quod quacunque incesserint, tetenderintue Galli, egerint pecudum fere ritu, sine lege, sine numine, sine humanitate; quodque principio semper blandi & faciles; vbi terras hominesue fecere suae potestatis, saeuitiam, vastitatem, cladem, dira omnia ferant secum, & depromant. Vera haec, siue mutuis odijs aucta vulgabant aiebantque Hispani irritati maioribus ab aduersa parte conuicijs, & stimulante dolore, quod in tanto discrimine rerum alienaretur ab suo Rege Princeps, qui florentissimam atque munitissimam Italiae partem teneret, quemue Catholicarum partium inter haec arma veluti antesignanum sperare potuissent. An serò accepisset ista Parmensis, siue accepta neglexisset, ambiguum fuit. Foedus certè cum Galliae Rege initum: adfuitque sanciendo & firmando foederi huic commodùm rediens ab Roma Crycquius: qui cum in id ipsum missus expectatusque venisset, tanto honore acceptus est, quantò ferè Rex ipse acciperetur. Cum prosperè in hunc modum

*Cardinalis spe Gallica deceptus ingens aes aliencũ contraxit.*

*Quacunque incesserint Galli vbique vastitatẽ & acerbitatem reliquere.*

*Haec Hispani vulgant. Cur,*

*Crycquius sanciendo & firmando foederi adfuit.*

*Quanto honore fuerit acceptus Crycquius ab Parmensi Principe.*

dum cuncta succederent, haud dubia spes proceribus ducibusque Gallorum erat, bellum eadem felicitate gesturos, qua patefecissent bello iter, ingressi per subalpinos, in vmbilicum Italiae ferè progressi, nusquam stricto gladio adhuc, & veluti pandente sinum ipsis Regina terrarum. Iam in potestate iam ferè sub iugo Sabaudus, nec foedere solùm, sed necessitate etiam illigatus ob arcem, quae finitimi Regis aulam cum ipsius penè Domo continuare videretur. Par vinculum & necessitas quasi maior iniecta Parmensi ob violatam defectione Maiestatem Regis, qui vnus tueri ipsum & inuiolabilem praestare potuisset. Mantua dominatusque alter in manu Ducis, qui semigallus, atque semitalus, plus amaret patriam illam, in qua natus, quam hanc vbi collocatus atque restitutus foret: & collocasse ac restituisse Gallos ipsos populares ciuesque suos in maiorum sede, aut ipse meminisse deberet, aut iidem exprobrare possent. Rempublicam Senatumque Venetum, illud tanti momenti nomen impenetrabile minis, insuperabile artibus, exercitui inaccessum, si minus proprio, aliorum certè terrore subacturos sperabant, vt victis domitisque caeteris, in tanta Christianissimi Regis victoria quiescerent saltem ipsi, & silerent. Has notas amicitias atque necessitudines, haec subsidia manifesta, spesque diuulgatas habuere Galli: & occultiora sperauere quaedam, vel

Per subalpinos in vmbilicum Italiae progressi Galli nusquam stricto gladio.

Sabaudus non foedere solum sed necessitate Gallis illigatus.

Par vinculum & necessitas iniecta Parmensi.

Mantua in manu Ducis semigalli.

Senatū Venetum illud tanti momenti nomen aliorum certe terrore subacturum sperant Galli.

Consilia belli ita disposita habuere Galli.

periculosa nobis nunc, vel incerta dictu. Incessus autem & itinera consiliaque belli disposita habuere in hunc modum. Tota sicut initio demonstraui consiliorum armorumque moles

Tota Consiliorũ armorumq; moles spectabat Mediolanum.

Vrbem in primis hanc prouinciamque Mediolanum spectabat: qua capta Prouincia & Vrbe, facilior hinc ad maiora illa transitus foret, Imperij nempe excidium, & operi huic annexa alia deinceps. Interim, & distineri ita copias exercitusque Catholicos, ne Caesari & Imperio adesse possent, neue subsidij quicquam hinc aduersus coniuncta illa per Germaniam arma mitteretur. Ab subalpinis & Monteferrato, aggredi Nouariam & Alexandriam extrema Prouinciae finium, quà finibus alienis Prouincia haec miscetur: ab Vulturena Valle claustrisq; Rhaetorum descendere in Orobios, corripere Nouocomum, ac pergere inde & appropinquare Metropoli, pro vt fortuna, & Mars, & virtus daret: ex Mantuano confinio, Parmenseque & Placentino, Cremonam & Laudem Pompeiam irrumpere destinabant. Caetera per Venetorum, Genuensiumue fines inuasuri fuerunt haud ambigua rerum publicarum illarum dissimulatione vbi cedere cuncta Gallico Marti vidissent. Non per interualla & spiramenta temporum, sed vno statim tenore impetuq; & subita vna irruptione agenda omnia haec fuerunt, vt venire, & venisse iam, statimque adesse Gallos fama eadem nuntiaret. Turbauit paulisper

Nouariã, & Alexandriam aggredi designant.

Ab Vulturena Valle descendere in orobios corripere Nouocomũ cogitant.

Ex Mantuano, & Placentino agro Laudem Pompeiã irrumpere destinant Galli.

Vno statim tenore ac impetu agēda haec omnia erant.

lisper hunc ordinem rerum impetumque tardauit subitus Regis Suetiae casus, & ignobili fortasse dextra fortuitoque ictu stratum repentè humi id caput, nisi si potius ictus & dextera illa Numinis fuit. Scilicet, capite hoc amisso, noua foederatis in Germaniam auxilia mittere necesse habebant, vt ea, quae Rex ille penè victor occuparat, defendi ac retineri possent. Sed interea dum auerterant se se Galli in Germanica negotia afflicta casu morteque Regis, & dum elapsam illam è manibus quasi victoriam reuocare conantur, haud vnquam omissa Italicae expeditionis cura, cuncta prouidè solerterque apparabant, vt paulisper in tempore cessatum illud, ordine mox, vique & dispositu maiore suppleretur. Consilijs & arcana rerum omnium in quamque partem dispensatione, rem gerebant, quae velut omissa videri posset.

*Quid turbauerit hunc ordinem rerum impetumque Gallorum.*

Munire Pinarolum in subalpinis: ad Casalem augere praesidium: in Parmensem agrum mittere equitum peditumque copias, quae solutis ordinibus per nostrae prouinciae fines etiam ducebantur. Sumpserantque obtentui ad id amicorum suorum foederatorumque defensionem, quibus imminere pericula aiebant. Vulgauerant illam quoque famam de Cardinale Infante, quod ad euertendos Italiae Principes, & cuncta in Catholicum Imperium asserenda venisset. Infanti ipsi data opera aperuere iter in Germaniam, vt abeunte cum suis copijs Principe illo, minus

*Pinarolum muniunt.*

*Casalis Praesidiũ augent.*

*In Parmensem agrum equitum peditumque copias mittunt quo Consilio.*

*Quae de Cardinale Infante vulgant Galli.*

*Cur Infanti data opera aperuere iter in Germaniã.*

minus deinde negotij in capienda Vrbe prouinciaque haberent, ſi non defenſor propugnatorque ille adeſſet. Inita cum Rhaetis, & firmata iam pacta diſſimulauere: agebantque multa lentè ac diſſimulanter, ne Sereniſſimus Infans prouiſu periculi ſubſiſteret, copiaſque maiores pararet atque obijceret. Maximum verò emolumentum & gloria Galliae Regis, gratiaque apud ſuos, & ſumma prudentiae laus, quod militarium onerum moleſtia Regnum interea liberarat, diuidendo ita per Italiam copias tamquam in hyberna, quae deinde copiae ad capiendam Prouinciam conſurrecturae erant.

Multa lentè ac diſſimulanter agunt Galli ne Sereniſſimus Infans, ſubſiſteret prouiſu periculi.

# EPITOMA
## LIBRI SEPTIMI

LVculenta Insubriae descriptio, situs, ac Positiones arcium, & caetera munimenta Prouinciae. Serenissimi Card. Infantis discessus in Belgium, & purpuratus Albornotius suffectus administrationi recensentur. Parmensis Princeps consiliarijs victus in Gallicas partes concedit. In Mediolanensem Prouinciam irrumpit, & eodem tempore Sabaud. Dux, & Chrycquius Valentiam nequicquam obsident. Soluit obsidionem Coloma Arcis Med. & castrorum Praefectus. Alcalae Dux Albornotio succedit, huic Leganesius. Bremum à Gallis captum ac munitum. Vultureni motus, & Leucenses egregiè ab immota Prouincialium fide repressi. Ingens Mediolani pauor, & Comitis Barptolomaei Aresij Praesidis in maxima rerum perturbatione summa Prouidentia. LX. Decurionum infinita solicitudo ac labor. Quid egerint cum Guzmano Nobilitatae demum Syluae ac nemora hostili cruore ad Tornauentum & acti in fugam hostes, Gratiae caelestibus, Guzmano, ac Triuultio ab ijsdem Decurionibus redditae hoc libro referuntur.

# IOSEPHI RIPAMONTII
## CANONICI SCALENSIS
### CHRONISTÆ VRBIS MEDIOLANI
# HISTORIÆ PATRIÆ
## LIBER SEPTIMVS.

---

*Insubriæ descriptio.*

MEdiolanensis Prouinciae terminos & situm, & munera naturae collata in eam terram, quaeue ibi varietate temporum & bellorum casibus, laeta siue tristia euenerunt, tradidere scriptores alij. Repetamque ego pauca & praecipua de his, non in artis ingenijue comparationem, sed, quò clarius subiecta oculis sint consilia & itinera huius Gallicae irruptionis, qua incessere hostes, qua repulsi sunt, quaue etiam intrauere post centesimum fere annum ab eo tempore, quo Carolus Caesar, & Rex Franciscus duo maximi gentium aetatumque omnium Reges inter se de terrae huius imperio dimicarant. Continet Prouincia nomen finesque Insubrum, & origo nominis ex pago, vnde antiquitus etiam venerant irruperantque Galli, tunc scilicet, cùm patria vocabula terris alienis indidere, quas occupauerunt. Habet ab Oriente Sole Larij

*Quò clarius subiecta oculis sint consilia & itinera Gallicae irruptionis, Prouinciam describit.*

*Post centesimum annum rursus de huius Imperio Galli dimicarunt.*

*Origo nominis Insubriæ.*

*Positio Insubriae & fines.*

Lacus Larius.

Lacus partem, & flumen Abduam, Bergomatumque fines. Quà vergit in meridiem, contermina Genuensium finibus est; alluiturque Pado, Ticinus ab occidente, magna mole rapidas vndas vehit; eaque regione, Subalpina terra vicinum assignat Sabaudiae Ducem, Septentrionalia Rhaeti Heluetijque attingunt. Haec in vniuersum confinia regionis, praetereaque vicinitates aliae sunt partium singularum, prout, tenor ipse casuum & rerum, historia deinceps procedente, monstrabit. Namque in Orientem Principes propinquant Mantuanus, & Parmensis, & Mutinensis, vt fortuna, & opibus, sic & pacis bellorumue causis, & conditione animorum erga imperium hoc inter se diuersi. Prouincia, partim opportuna & aperta hosti exercitibusque transmittendis, propter expatiantes latè campos, partim clausa & septa est, montium, fluminum, arciumque obiectu, quae inexsuperabilia munimenta facilè quilibet diceret, nisi bellicae artes, & audaciae mortalium spernere iampridem atque eludere haec naturae pariter & artis opera assuessent. Vrbes, & aequiparanda vrbibus municipia siue Oppida subiecta complura numerantur. E quibus, Laus Pompeia colonia antiqua Romanorum, vicina Metropoli est, ausa diu olim exercere cum hac domina inimicitias, dirutaque in poenam, & odio Mediolanensium instaurata ab Aenobarbo. Habet haec inclytae fertilitatis agrum, qui Ab-

Padus Flu.

Ticinus Flu.

Mantuanus, Parmensisq; ac Mutinensis Principes propinquant.

Prouincia partim opportuna host. propter expatiantes campos.

Partim clausa montium fluminumque obiectu. Audaciae mortalium eludunt naturae, & artis opera.

Laus Pompeia colonia antiqua Romanorum.

Eius clades, quia cum Metropoli pugnare est ausa.

duae ripam attingit. Venetorum vrbem Cremam ab vna parte ex proximo adſpectat. Ab altero latere, trans Padum longius ſita Placentia obijcitur ei, nunc amicum, nuper hoſtile nomen, tunc ſcilicet, cùm Gallia Farneſium implicaſſet foedere, quod poſtea foedus ille reliquit. Papia, Laudenſi coloniae par olim contumacia, nunc obſequio, pari fere etiam interuallo diſtat ab Metropoli: atque, vt illa Abduae, ſic ipſa Ticino appoſita eſt, vnde & antiquum Nobile nomen indidere Latini. Fuerat diu Regum ſedes, retinetque adhuc arcis mole priſtinae magnitudinis faciem, ac ſubiecta tuetur arua, quae Mediolanenſe horreum nuncupata ſemper fuere. Ea Lumellina eſt, nobilis eadem ob vina, ſed multò magis ob arces paſſim ad loca opportuna excitatas: eſtque Valentia in hoc Ticinenſi tractu iuxta Padum, illa ſcilicet, vnde Galli, magnum capiendae Prouinciae opus incipiendum eſſe cenſuerunt gloria ingenti, ſi ſucceſſiſſet, nec minore verecundia, poſteaquam, fruſtra id incoeptum fuit. Alexandria porrò & Nouaria, illa Genuenſibus, haec vicina Sabaudo, antiquitus etiam Inſubricarum Vrbium haud vltimae fuerant: ſed nouiſſimè ob pericula factae validiores. Vigleuanum arce Regali quondam firmauere Duces, libenter illic commorari ſoliti propter nemora plena ferarum, & natas venationi ſyluas, valleſque Ticini. Comum, arctis faucibus, & lacu lario ad

Fertilitas agro huius vrbis.

Poſitio & ſitus Laudis Pompeiae.

Papia, Laudenſi colonia par olim contumacia.

Papiae ſitus Origo nominis Ticini.

Regum diu ſedes Ticinum.

Arua Ticinenſia Mediolanēſe horreū nuncupantur.

Laumel. laus. Valentia & eius Poſitio.

Ab Valentia nequicquam Foederati coepere.

Alexandria, & Nouaria.

Vigleuanum, & eius amoenitas Ducum Mediolani delitium ob venationem.

inſtar

Comũ Alpiũ Rhęticarum præsidio natura firmauit. Bobium, & Derthona.

instar aequoris, Alpiumque Rhaeticarum praesidio natura firmauit. Bobium & Derthona, vt spatio, sic munimento minores sunt. Cremona, post Metropolim, & magnitudine sua,

Cremona post Metropolim facilè Prouinciae huius Princeps.

& robore virorum, facilè Princeps Prouinciae huius habita est: auxeratque famam, posteaquam, de ea Vitellius & Otho dimicauere, & posteaquam huius vicinae cladibus vastatam sibi patriam Nobilis ob carmina Mantuanus lugere apud gentes & secula omnia coepit, fletque noto versu adhuc. Haec sic proposita raptim, & in conspectum data facies Prouinciae

Inclaruit ab pugna Vitellij, & Othonis. Mantuanus Patriã luget ob vicinitatem Cremonae.

est. Caeterum, vt dixi, munimenta, quae natura dedit, quaeue manu ponuntur, alibi magis, alibi minus pollent. Montemferratum

Munimenta, quae natura dedit, quaeue manu ponuntur, alibi magis alibi minus pollent.

Alexandrinus ager attingit, quàue Nouariae fines in terram, quae subalpina dicitur, vergunt, sunt omnia campi. Septemtrionalia haec ab Heluetijs & Rhaetis montoso tractu disterminantur. Tractus Alexandrini frontem, quà finibus Genuensium, agroque Placentino & Parmensi contermina est, Tanarus tegit, flumen patiens nauium, & haud ignobile fama.

Diuisio totius Prouinciae.

Tanarus F patiẽs nauium.

Sed nobilior violentiorque Padus, veluti septum est naturale Ticinensium, Laudensiumque terris, & Cremonensis agri parti. Et mirum sanè, quantum illustrium fortiumque vndarum dispensauerit natura per Prouinciam, siue vt arceret inde hostes, siue, vt tantummodo irrigaret, siue demum, vt transitus atque itinera clau-

Padus nobilior violentiorque.

Mirum quantum natura illustrium vndarum dispensauerit per Prouinciam, quo consilio.

claudenda monstraret. Alluit Sessia Nouariensem agrum: isque amnis torrenti similior quàm flumini statis temporibus certisque locis nudat vada, & siccato propemodum gurgite transitum praebet. Effunditur ab Verbano Lacu, quem iam memoraui Ticinus, celebrata etiam apud antiquos eluuie aquarum in modum continuae arcis quacunque transit, donec infra sui nominis Vrbem ad tertium fere milliare, Padi vndis addidit suas: ingressuque hoc, non tantummodo auget, sed nobilitat quoque Eridanum. Et nobilitate nominis aemulus Ticino, quem item memoraui Abdua ab Lario egressus, emensusque ab septemtrione Prouinciae partem, munit hanc, inferturque demum etiam ipse Pado, quò latius crescat rex ille fluminum inter fabulas haud falsò nuncupatus. Et Regia flumina quidem haec. Illa verò minora nomine, sed magnitudine aluei passim ac difficultate transitus haud inutilia Prouinciae claustris, Ollius, & Belbus, & Bormia, Scriuiaque, & Stafora, & Coiron, & Ogunia, & Olona, aliaque complura, quae omnia recensuisse longum fuerit. Atq; alienae fere originis hi amnes intermeant Prouinciae partes, siue distinguunt; velut effusa ab Isaeo Lacu aqua Olij Cremonensem agrum ab agro Venetorum, in quo Lacus ipse Belbus & Bormia per Alexandrinos fines nunc maiore nunc minore impetu pergunt iter, egressi aliunde, alioque praeparantes.

Sessia Alluit Nouariensem agrum. Ingenium huius fluminis.

Ortus fluminis Ticini.

Abdua ab lario egreditur. Eius cursus.

Ollius, Belbus, Bormia, Scriuia, Stafora, Coiron, Ogunia, Olona. Minora flumina sed non inutilia Prouinciae claustra.

Flumina quae Insubriā irrigant & eorum cursus.

Aqua Olij ab Isaeo Lacu effunditur.

Belbus & Bormia.

Scriuia & Stafora.

Tardubius & Ogunia.

Scriuiam,& Staforam,atque Coironem Dérthonenses terrae,prout accepere transmittunt. Sunt Terdubius & Ogunia Nouariensium,partemque Laumellinae rigant,sicuti Mediolanensem agrum Olona & Lamber, qui siccatur passim, & ab se ipso destitutus squallet. Sed, ne arces quidem & castella facilè recensuerim, quas nobilitauere clades aut victoriae olim, quasue cura recens posuit praesidia aduersus hostem, tum apposita ripis, tum recedentia inde, prout pericula & artes casusque bellorum monstrauere. Ad praesentis instituti causas, haec praecipuè pertinuere quae memorabo. Hannonum & Felicianum, Arasusque, & Redebos opposita castella Subalpinis & Montiferrato: Sandoualumque insuper, & iam nominata Valentia, & Torratij casu, nobis illustre, Gallis lugubre Fontanetum: sed & illustrius ab recenti Catholica victoria & Gallica deditione Bremum, qua recepta arce, Philippaeus, non de hostibus modò, sed de spe etiam eorum, consilijsque triumphauit. Angleria, & Arona, & Vitalliana antiquitus etiam frustra tentatae Gallis arces, Littora Verbani proluuiemque illam Mari simillimam tuentur. Leucum, & Mussum, & conditoris nomen hodie ferens,Fontana moles,Triciumq; & Carauagium, & Cassanum, ab altera parte, praesidio sunt, imminentque in Abduam, & in parentem Abduae Larium, qui maris etiam ipse specie, longe lateque restagnat. Haec fuere

Olona & Lamber, qui siccatur passim.

Hannonum & Felicianum Arasusque, & Redebos opposita castella subalpinis sunt. Sandoualum.

Valentia.

Fontanetum Gallis lugubre Torratij casu.

Bremum illustrius ab recenti Catholica victoria.

Angleria, Arona. Vitalliana littora Verbani tuentur.

Leucum, Mussum, Fontana moles, Tricium, Carauagium Cassanum.

propu-

propugnacula, quae ſemper ſpectauere hoſtes noſtrique pari cura, quotieſcunque de Prouinciae Imperio, ac de Metropoli ipſa dimicatum. Ac nouiſſime, hoc Gallico bello, ſicut à Bremo Crycquius, ita Rhotomagenſis ab leuco, ille Padi, hic Abduae victor, ſi deſtinata ſucceſſiſſent, irrumpere, & Vrbem Mediolanum, vel capere impetu repentino, vel in capiendi ſpem, quamuis diuturna obſidione premere cogitauerunt.

> Haec fuere propugnacula, quae ſemper ſpectauere hoſtes.

> Conſilia Crycquij & Rhotomagenſis.

Vrbs Mediolanum in plano ſita excipit puriſſimi ſolis radios: quodque rarum alibi, nec ab irriguo ſolo contaminatur illic, inficiturque vaporibus Coelum: nec Coeli ſalubritas ea eſt, quae munera telluris negata compenſet. Ita, Coelo ſyderibuſque fauentibus, & reſpondente vbere agro, neque in alimenta, neque in delicias vitae mortalium quicquam deeſt: nec longior alibi feliciorue durat vita, ſi intemperantia aduerſus haec ipſa munera naturae abſit. Euehitur largè frumentum in Heluetios & Rhaetos, aliaſue cinctas patrij ſoli anguſtijs gentes: & aut vinculo hoc in foedera trahuntur, obliganturque fidei pignoribus, ne fauces, in quibus ipſos natura collocauit, hoſti prodant: aut facultates & compendia euectionum, pro magnis meritis diuidere & dare praemiorum loco Rex conſueuit. Tanta foecunditas agro Mediolanenſi, exuberantque illic adeò feliciter fruges. Euehendi porrò inuehendique facilitatem praeſtant Ticinus & Abdua, de

> Mediolani Poſitio.

> Situs pulchritudo & ſalubritas.

> Non alibi longior feliciorue durat vita, ſi intemperantia abſit.

> Heluetijs ac Rhaetis frumentū diſpenſat. Quo conſilio.

> Quae praeſtent facilitatem euehendi inuehendique.

quibus memoraui. Totam agri Mediolanensis latitudinem amplexi hi amnes confluunt diuerso itinere in Padum, qui Mare Hadriaticum intrans admouet quodammodo Oceanum Vrbi, & Vrbem ipsam Gades vsque defert, quà terrarum Orbem antiquitas finiuit. Nam quicquid petendum ab Mari est, pelagoue tradendum, infert atque exportat nauigabilis fossa, amni ab vtroque circumducta moenibus, atque, hinc Abduae, hinc Ticini vndis amplexa Metropolim. Ipsa in medio sita, viris, armis, ingenijsque potens, non finitimorum tantummodo populorum domina, sed alienorum quoque nutrix, hoc ipso magnitudinem sui nominis auget.

Ticinus, & Abdua diuerso itinere confluunt in Padum.

Hic mare Adriaticum intrat.

Admouet quodã modo Oceanum vrbi.

Nauigabilis fossa infert atque exportat quicquid petendũ ab Mari est, pelagoque tradendum.

Metropolis in medio sita.

Eius laus.

Discesserat Vrbe Serenis. Card. Infans, ingentisque moeroris plena Metropolis, ac veluti facies in victa Vrbe fuit. Habuit non Vrbis modo sed totius Insubriae lacrymas, rara summi Principis modestia, candor in florentissima iuuenta, ad eum modum vt Ferdinandum abeuntem, alterum Germanicum Hispaniarum boni ac mali iuxta deflerent. Veterem stipendijs militem eduxerat, cui Leganesium inclytae virtutis virum praefecerat. Sed claram eius ad Norlinghen victoriam, qua foederati strati iacuere, & Catholicus orbis ab ingenti metu respirauit, separato volumine exequemur. Quietae interea res Insubricae erant, sed insidiosa tranquillitas ea erat, & quibus altior intellectus, futuram ex propinquo tempestatem haud leuibus

1634.

Moestitia vrbis sub discessu Serenissimi Infantis.

Veteres legiones educit.

Leganesius copiarum Imperator.

bus ex inditijs ominabantur. Continuerat in offitio Infans finitimos Principes siue ob metum, siue alia ob arcana Imperij, quae in tempore deinde resserarunt. Vetus malum, &ab orbe condito inceptum, vsque ad praesentes propagatum, duraturum vsque ad illum seculorum ambitum, quo cuncta mortalia diuino incendio deflagrabunt, scilicet alieni cupiditas. Ita sibi quisq; ex finitimis Imperij Insubrici portionem aliquam quasi despondisse viderentur cepere veterano deducto ac ferme inermi Prouincia paulatim Catholici Maiestatem abijcere, illos insanos motus ac fluctus cientes, queis tot per annos, & nondum finis, pulcherrima orbis Prouincia Insubria turbatur, magnis acceptis & illatis cladibus. Insita principum animis augendae potentiae libidine infringi ac violari sanguinis & amicitiae iura: & propter spem glebae fortasse vnius, quae Catholico Imperio auulsa accedere ipsis posset, fas omne contemni. Sed haud defuere, qui, in tanta imminente rerum perturbatione philosophantes, dicerent, nulla mortalium culpa, sed occulta lege fati fieri hoc, vt subinde inquietaretur humanum genus. Recurrere semper quasdam temporum bellorumque vices: & qualia olim mala, Prouincias, & Regna, Regesque pessumdedissent, talia nunc etiam oriri insurgereque rursus. Vt corporum, ita dominationum esse commutationes: & pro vt, quieta, vel secus, ingenia Principum eue-

*Quanti momenti praesentia Card. Infantis.*

*Alieni cupiditas origo omnium malorum.*

*Insita Principum animis augendae potentiae libido.*

*Violantur iura sanguinis, & amicitiae cum de augendo Imperio disceptatur.*

*Nulla mortalium culpa sed occulta lege fati inquietantur res humanae.*

*Recurrunt eaedem temporum ac bellorum vices.*

*Vt corporum ita Imperiorum esse commutationes.*

nere: ita pacem populis aerumnasue dari, cuiusmodi nunc ordo calamitatum, & series funesta necteretur. Alij contra, credidere, minas apparatusque esse inanes, & ventosum hunc sine vlla procella tumorem breui transiturum. Signa ex eo, quòd, aduersus tantos conatus & tentamenta Gallorum, nulla per Italiam Catholica arma, nihil noui praesidij pararetur. Tanquam in media securitate & pace, remissa & soluta esse omnia apud Hispanos: idque vel ad negligentiam incuriositatemq; ministrorum; vel ad virium & potentiae fiduciam referebant. Re autem vera, fiducia fuit ex eo, quod inter amica & pacata tunc omnia, nihil hostile expectaretur. Vt verò, iam hostis, iam bellum appropinquabat, apparebatque manifestè inferri vim: perseueratum nihilominus in dissimulatione & quiete eadem aliquandiu est: & secuta interpretatio conueniens magnitudini nominiq; Imperij huius: siue verum id, siue fautores Hispanorum ita vulgauere famam. Quippe dictum, creditumque est: permitti Gallis licentiae tantum, quò iustius, & maiore apud omnes approbatione, maiore etiam fauore Numinis, postea vindicaretur. Etiam dixere prudentes: videntem atque considerantem Regem plena per Italiam omnia suspicionum, prospexisse & cauisse vltro, ne multiplicando exercitus, atq; augendo praesidia, veluti praeberet alimenta igni quem Galli excitare conabantur, quemue

*Quid alij in hisce motibus senserint.*

*Nulla per Italiam Catholica arma. Soluta omnia apud Hispanos.*

*Diuersa iudicia mortalium.*

*Quies ac moderatio Hispanorum.*

*Cur Gallis tantũ licentiae permitteretur.*

*Regis Catholici Prouidentia.*

excita-

excitauerant iam iniecto Principibus metu, tamquam in Italiae totius Imperium Hispanus immineret. Haud ſanè ignarus erat Rex eius ſiniſtrae opinionis multa magnaque arte proſeminatae per Gallos: ideoque Prouinciam in tali tempore munire & armare ſuperſedit, cum ad negligentiae penè culpam nuda tunc inermiſque reperiretur, deducto nimirum è praeſidijs quoque ſtatiuis milite, & miſſo ad Germanici belli ſubſidia neceſſitateſque ingruentes. Ac teſtificando magis etiam magiſque Rex idem, quàm aliena ſibi mens ab eiuſmodi conſilijs, & cogitatione inuadendae Italiae eſſet, deſtinato ac proficiſcente in Germaniam Sereniſſimo Infante fratre, iuſſerat praeſidere Vrbi Mediolano Cardinalem Ægidium Albornotium, mite placidumque regimen, vnde, nihil minus, quam motus & conſilia ſiue tentamenta armorum expectari poſſent. Namque, in eo Viro, praeter Apoſtolicae purpurae manſuetudinem nomenque ſacrae dignitatis, etiam contraria & aliena caetera omnia fuere ab turbandis commouendiſque rebus. Animus inclinatione ac ſponte naturae deditus otio & quieti: ſapientiae ſtudia: deuexa iam aetas: meditatio vitae alterius: ac ſi deportandum tamen laudis & famae aliquid ex Prouincia eſſet, famam & gloriam vtique illam adamarat, vt, poſt diuturna incommoda & aerumnas, quas praeterita bella inuexiſſent, otium ipſe peperiſſe ac reliquiſſe Ciuitati,

Rex Catholicus omnium erat conſcius.

Deducto ex Praeſidijs ac ſtatiuis milite eo magis ſyncera Catholici mens indicatur. Mittitur miles ad Germanici belli ſubſidia.

Cardinalis Ægidius Albornotius Mediolani Gubernator.

Albornotij Dotes.

Quae eſſet mens Albornotij.

Ciuitati, Ciuiumque fortunas constituisse diceretur. Galli, nacti in hunc modum apta sibi omnia, quietem alienam fecere suam occasionem, prudenterque vsi opportunitate, quam, Gubernatoris ingenium, & cauta consilia Regis praebebant, haud cunctati sunt, quin Prouinciae toti circumfunderentur. Caput rerum erat abscindere Vrbi Germanica auxilia, atque venturis inde copijs intercludere iter. Eius negotij causa, facti ipsi auxiliares Rhaetorum, qui Vulturenae Catholicos insectabantur, atque ab ijs adiuti vicissim, occupata Valle, ad Clauennae Ripam mense Februario descenderunt, quae finitima Prouinciae terris est. Ibi confestim muniere operibus & praesidio locum, haud obliti scilicet, quanta mole antea connixi, defendente Comite Serbellono, capere saxa illa non potuissent. Missus erat nunc in eam expeditionem Rhotomagi Dux Hugonota, perduellis olim sui Regis, & cum eo bellare ausus: ac reconciliata iam gratia, vetera malefacta nouis meritis oblitterare conabatur. Tria millia peditum, equites quadringentos initio habuit, quem postea numerum Bernenses, Rhaetique & Turitani auxere, vt pedites, ad decem millia, equites mille sub signis essent. Atque iusti iam exercitus dux, magna celeritate coepit loca, castella, arces, quae capiendae ac muniendae erant, vt ne quid subsidij descendere ex Germania in Italiam posset, vtque Italia simul ipsa

Galli quietē alienam fecere suam occasionem.

Vtuntur opportunitate Gubernatoris ingenij.

Abscindere vrbi Germanica auxilia caput rerum erat apud Gallos

Auxiliares Rhaetorum fiunt.

Occupāt Vallem, ad Clauennae Ripam descendunt.

Rhotomagi Dux Hugonota mittitur in eam expeditionē eius fortuna.

Quas copias initio expeditionis habuerit Rhotomagi Dux.

Primi conatus Gallici Ducis.

ab mutua illinc ope dirimeretur. Adiuuit in eo vim prouidentiamque Ducis etiam imperuia montium altitudo, confragosae ac diruptae cautes, & veluti claustra passim insuperabilia, quae natura obiecit, ac vidisse & considerasse,& tantummodò elegisse munimenta illa satis erat. Ex montibus verò claustrisque illis, vbi quodammodo sublata signa sunt, & concinuere tubae, statim ad id veluti classicum, dispositi exercitus è latebris exiliere, non solùm, qui Prouinciam inuadere hanc, sed etiam, qui Flandriae rebellibus ex ante condicto adiungi debuerunt. Apud foederatum, sicut antea demonstraui, Parmae Ducem, missae in id ex Gallia copiae constiterant, aliaeque subinde ab eo armabantur, adnitente Iuuene, vt militariter erudiret assuefaceretque signa sequi, & seruare ordines, & fere ac tractare tela opifices etiam atque sellularios, qui nunquam ista vidissent. In id habebat militiae magistros Galliae ipsius proceres ductoresque copiarum, inueterati vsus, qui peritia armorum & nominis authoritate valerent ad Principem quoq; erudiendum. Referam incredibile fortasse dictu, sed praeterquamquod fama vulgatum, etiam mihi narratum ab ijs, qui ipsi nouae rei spectatores fuere. Tantus Principi amor, & tanta spes, per fauorem opesque Gallorum augendi fortunam, rerumque nouandarum incesserat, vt in ipsorum quoque linguam & mores, & habitum, ac pere-

Quid iuuerit vim Prouidentiamq; Ducis.

Vbi concinuere Tubae exiliunt è latebris dispositi exercitus dispari consilio.

Copiae ex Gallia ad foederatú Parmensem Ducem missae.

Instruuntur ab Parmensi tyrones.

Militiae magistri & copiarum Ductores Galli.

Parmensis Princeps omnino degenerauerat in Gallicos mores.

grina

grina omnia vel dulcedine, vel necessitate quadã etiam adulandi degenerauisset. Illud longè tristissimũ fuit, quod planè barbarica etiam exempla libidinum Placentiae praesertim edidere Galli in matronas puellasque nobiles: quibus impudicè contrectatis, exarsere proximi, ferroque obuiam itum: infecta caedibus ciuitas, & mortes vtrinque secutae, tam eorum scilicet, qui dehonestamenta illa familijs intulerant, quam eorum etiam, qui dolorem, & ignominiam punire voluerunt. Itaque ad arma Populus, nisi Princeps, sapientia & prouisu supra aetatem remedia malo inuenisset: nec nisi cateruatim postea Galli per Vrbem incedere audebant. Cardinalis Prouinciae Gubernator, conditus in studiorum suorum altitudinem, atq; in meditamenta, sicuti constitit, nunc senectae suae, necessitatisq; communis, nunc recreandae ex diuturna iactatione Ciuitatis otijque firmandi quiescebat. Is vbi adesse repente bellum, & amicum ac fidum semper antea Regi Ducem subitò induisse hostilia senserat, haud segniter ad remedia motus est: excogitauitque omnia & fecit quae, vel acerrimus quilibet promptissimusque bellator in tali discrimine, facere, instituere, excogitare potuisset. Sed non tam militares artes, quam etiam politici prouisus in hoc rerum articulo requirebantur, qui abundè viro adfuerunt. Ad hosce insurgentis belli terrores, principio rerum actionumque omnium, dimissis properè legatis,

*Barbarica exempla libidinũ Placentiae edidere Galli.*

*Infecta caedibus Placentia vrbs.*

*Princeps Parmensis supra aetatem remedia malo inuenit.*

*Quid ageret tunc temporis Cardinalis Albornotius.*

*Excitatur ad defectionẽ Parmensis Principis.*

*Excogitat omnia quae promptissimus bellator facere potest.*

*Et militares, & politicae artes haud defuere Albornotio.*

legatis, ſtuduit demonſtrare Principibus dominationibuſque per Italiam vniuerſis, quam ſyncera Regi ſuo mens eſſet, quàm contenta illa Maieſtas Imperij ſui conditione & ſtatu, quam etiam beneuola, & amica ipſis, & ſtudioſa augendi commoda & fortunas, vtilitateſque amicorum. Scire, ac recordari poſſe ipſos, ſi quid vnquam ab Rege hoc, & ab Catholico Imperio temerè iniuſteque fieri vidiſſent, audiuiſſentue eſſe factum. Summum Imperium, opeſque ſummas Hiſpano Regi ſemper fuiſſe pacem tranquillitatemque publicam, & terrae praeſertim Italiae felicitatem ſtatumque optimum. Nunc ad omnia conturbanda & commouenda inſurgere Gallos. Arſuram bello Italiam. Quorum id culpa fieret, Deum eſſe teſtem, mox fore vindicem. Haec ſignificata Principibus dominationibuſque Italicis: ſcriptaeque litterae ad Regem, in quo ſtatu res eſſet, & quaenam repentè procella oriretur. Simul miſſae ad Grauedonam aliquot Hiſpanorum peditum cohortes, & turmae equitum, quae oppoſitae Gallis, Larium Lacum & vltima Prouinciae tuerentur aduerſus Rhòtomagi Ducem, de quo haud ambigi poterat, quin primo quoque tempore noui aliquid facturus tentaturuſue eſſet. Et redierat hoc ipſo tempore Mediolanum ex Flandria Serbellonus peritiſſimus Rhaetiae totius, montiumque & ingeniorum illorum, iam indè ab eo tempore,

Legatos ad Principes Italiae dimittit.

Regis Catholici mentem aperit.

Summum Imperium ac opes ſūmas Catholici fuiſſe ſemper Pacem ac felicitatē Italiae.

Ad omnia conturbanda inſurgunt Galli.

Scribit ad Regem Albornotius in quo ſtatu res eſſet.

Ad Grauedonam Hiſpanorum cohortes aliquot mittit.

Comes Ioan. Serbellonus ex Flandria per eos dies redierat.

quo Catholica arma, gubernante Prouinciam Feriae Duce intrauere illuc: valdeque aduentu eius conturbatum esse Rhotomagensem ferebant. Caeterùm, occupatio Vallis in hunc modum facta per Gallos, atque interpositus hic, Italiam inter & Germaniam vtramque hostis, tanti momenti negotium erat, quanti foret etiam illud, si, aut in parte vtraque aut certè in altera earum, detrimenti aliquid acciperetur, quod in alterius damna redundaret. Itaque Caesar, extenta statim in partem hanc solicitudine & cura, maturauit copias mittere ad fauces illas, si quo pacto fieri posset, liberandas, ita vt auxiliares exercitus, sicuti semper antea, transmitti vicissim accipique possent. Et copiae quidem istae summa vi & celeritate viae intrauerè feliciter, portasque tenuere, quas occuparant insederantque Galli: sed statim relinquere easdem, & abire inde coactae fuerunt ob inopiam egestatemque commeatuum, haud ambiguo circa id Heluetiorum astu, qui quaestus suos, & compendia longè maiora prospiciebant, si clausa Vulturena Austriacis foret. Nam carius multò, & conditione semper meliore transitus faucesque suas vendituri ita erant: ac pecuniae summas exposcere coeperant iam, ipsis locorum angustijs, & quolibet naturali situ difficiliores. Ita, res erat in summum adducta discrimen, cum Galli quidem, & claustra haberent haec, & ab Subalpinis, ac Mon-

Conturbatur aduentu eius Rhotomagensis.

Occupatio Vallis quanti momenti negotium esset.

Solicitudo Caesaris ob hos motus.

Mittit copias ad liberandas illas fauces.

Inopia egestasq; commeatuum vt fecit Caesaris conatibus.

Heluetiorum Astus.

Clausa Vulturena Austriacis magnū compendiū Helueticis faciebat.

Monteferrato, Parmaque & Placentia irrumpere possent. Prouincia verò, nihil alicundè auxilij posset expectare, praeterquam ex Germania, vnde clausum iter obsessumque ab hoste erat. Cecideratque ad irritum etiam noua tentata spes, faucium angustiarumq; liberandarum; quas Galli obtinebant. Namque, cùm statutum ita condictumque fuisset, vt à tergo Bernamontius, à fronte Serbellonus eodem die adorirentur hostes, deijcereque loco conarentur: non potuit in tempore adesse Serbellonus: vnde postea iurgium, & ferè inimicitiae inter Duces, testificante per libellos etiam ac profitente Bernamontio, quod elusus destitutusque fuisset: Serbellono autem contra excusante, quòd non habuisset ad diem copias, quas habiturum se crediderat, neque voluisset ideo rem dare temerè in discrimen. Destitutio casusque hic tradiderat Gallis regionem eam planè in manum, obnoxiaq; illic omnia pedibus & arbitrio ipsorum subiecerat: & sumpserant inde robur: maiores etiam ad caetera animos, veluti quibus super virtutem roburque insitum, etiam fortuita adessent, fortunaeque fauor potentissima in bellis res tantoperè indulgeret. At huius Gallicae fortunae moderator artifexq; Richlaeus, posteaquam Italiae Regnum, ab huiusmodi principijs, & manu sua defluere suo Regi in sinum vidit, vel certè videre se credidit, solicitus erat, vt vna cum fortuna famam, quoque in potes-

Angustiae Prouinciae Mediolanensis.

Nequicquam Catholici conantur fauces angustiasq; liberare Vallis.

Bernamontius à tergo, à fronte Serbellonus adoriri hostes statuunt. Serbellonus in tempore non adest.

Mutuò se expurgant Bernamontius, & Serbellonus.

Casus hic tradit Gallis regionem in manum.

Magis inflantur Galli ab tanta fortunae indulgentia.

Richlaeus gloriabundus fortunam & famam pari affectu concupiscit.



tate

tate haberet, qua stare bella non immeritò dictum antiquitus est. Ipse sapientia & magnitudine animi supra etiam antiquos, stare insuper Regna Regesque praesidio & munimento hoc videbat. Nam ad liberandam Italiam veteri Hispanorum iugo, trito Gallorum titulo expeditiones suscipiendas esse fama disperserat. In idque consensisse omnes Italiae Principes, & secula aurea reditura Insubriae ab Galliae opibus in ore hominum erat, queis priuatae res maximè angustae, in futuro concussu longè altissimas spes iecerant, vt sibi facilè adulatur id mortalium genus. Primus Parmensis Princeps ab Placentia mouit, nulloque hoste occurrente rara felicitate Pontecurronem assecutus, Chrycquium ad Tanarum flumen praeter Bassignanam obuium habuit, Inde consociatis copijs vna cum Sabaudo Duce triumuiri Valentiam petiuere. Valentia apposita Pado, inter praecipua Insubriae munimenta, ab ipsa Foederatorum obsidione spectatur. Prima Subalpinis occurrit, & haec claustra primum infringenda sunt, qui vlteriora Prouinciae Mediolanensis ab illa parte tentare volunt. Oppidum haud satis amplum. Quaternas portas habet, vna ad Alexandriam Vrbem, altera ad Bassignanam, tertia Casalem ducit, postrema Padum ipsum respicit, ab oriente Pado alluitur, Padumq; ipsum pro munimento habet, caetera immota Prouincialium fides tuetur. Martinus Gallianus

cum

Ab fama stant bella.

Tritus Gallorum titulus.

Quid sibi desponderet Nauarinum genus.

Parmēsis Princeps ab Placentia mouit.

Trium Viri Principes Valentiam obsident.

Valentiae situs.

Padus munimentum Valentiae.

Portas quatuor habet Valentia.

cum quingentis Praesidiarijs oppidum obtine-bat, cum Chrycquius Gallorum in Italia Impe-rator, Sabaudus Dux, & Princeps Parmensis consociatis copijs, Valentiae obsidium instituere. Albornozius vbi vidit Valentiam ab Foedera-torum armis peti, quò sibi ad res magnas geren-das aperiretur iter, quanta potuit solicitudine ac diligentia munire arcem, nouis & copijs in-troductis, & commeatibus, hostium consilia prae-uertere maturabat. Eò celeritate maxima Co-loma cum valida peditatus & equitatus manu aduolarat, munimentaque circumspiciens, quae sibi Praesidiarij circumdederant, haud suffectu-rum peditatum sensit ad ea tantum tuenda, quae foris erant excitata. Itaque pedite omni, quem secum adduxerat in arce relicto, cum octingen-tis equitibus egressus Frascarolum concessit. Eo consilio, vt tandiù ibi moraretur donec alij ma-nipuli peditum, qui ex varijs Insubriae praesi-dijs deducebantur venirent. Ea manu sperabat suppetias, & commeatus liberè in oppidum toto obsidionis tempore introducere. Cum affuere Sabaudi copiae, quarum Praefectorum cura erat vt ab laeua fluentae Padi, quà obsessi pon-tem habebant, haud auxilia in arcem inferreren-tur. Coloma sibi metuens, si diutius in Frasca-rolo ageret nullis peditum vallatus praesidijs, equitatum etiam grauiter periclitaturum ratus ad Cairi plebem ab Frascarolo millibus v. tan-tum passuum pergit. Ibi pontem ad Valentiam

Martinus Gallianus Praesidij Praefectus.

Curae Albornotij ab obsidione hostium.

Coloma Praefectus castrorum celeritate maxima Valentiã aduolat.

Partem copiarum Valentiae reliquit

Quale esset Consilium Colomae.

Hostes consilio occurrunt.

Coloma stationẽ mutat. Idq; agit summa Prouidentia.

ab profluentae gurgitibus raptum cognoſcit, hoſteſque opportunitate víos, forcipe qui pontem muniebat potitos, minimoque negotio futurum, vt Foederati ab omni cura vacui, ſtationem illam vt malè tutam inuaderent: dum adhuc res eſſet integra recederet, locumque alium deligeret ad ſubita hoſtium propulſanda. Trottus & Agilera praemiſſi ad alios ſitus cognoſcendos. Sed clari militari prudentia viri huic conſilio obſtitere. Torrecuſa, Oliuerius Petrus de Haro, & Federicus germanicae legionis Tribunus pertinere ad famam dignitatemq; Catholicarum copiarum in initio motuum, qua vna fermè bella ſtant, ſi eo tempore recederent, multo pedite & equite iam affluente, quos Albornozius, cum vt iuſti exercitus ſpeciem faceret ſubmittebat tum vt tutò ſuppetias laboraturae arci ferre poſſet. In hanc ſententiam itum. Interea Catholicus equitatus omnem regionem, quae ad hoſtem pertinebat percurrere, quò eum pabulatione ac frumentatione prohiberet, ſeque Foederati intra munitiones continerent. Itaque crebro leuia equeſtria certamina fiebant. Per eos dies Aluarus Quinonenſis, & Vaſquius Coronadus, víque ad hoſtium caſtra peruenere, ex quibus paulò antè Marchio Villa oppugnaturus Sartiranae arcem, cum nonnullis equitum, ac peditum turmis, ac campeſtri tormento diſceſſerat. Et ab hoſte, Hiſpano equitatu conſpecto, ſtatim ad arma conclamatum

Trottus, & Agilera praemiſſi ad ſitus cognoſcendos.

Torrecuſa Oliuerius clari militari prudētiā viri quid ſuaderent.

Catholicus equitatus percurrit regionem.

Aluarus Quinonenſis, & Vaſquius Coronadus vſq; ad hoſtium caſtra peruenere.

Villam ab oppugnatione Sartiranae retrahunt.

tum eſt. Villaque omittens in praeſentia Sartiranae conſilium, in caſtra feſtinabundus reuenit. Interea Ticini agebat Albornozius purpuratus, quò Valentianam rem ex propinquo certius cognoſceret, litteriſque acceptis ab Marchione Celatenſe, hic eximiae virtutis eques, & Marchio Philippus Spinula, non minus opulentiae, quam bellicae virtutis Ambroſij Patris heres, voluntarij prima obſidione Valentiam intrauerant, ab inopia rei nummariae haud diurnum aes procedere praeſidiarijs, Guarnerio Guaſco, ac Comiti Galeazio Trotto ſignati auri ingentem vim ab Quaeſtoribus numerari iubet, paremque pecuniae ſummam Petro Iſimbaldo plebis Cairi Marchioni, quod aurum duo pedites Hiſpani geſto Magiſtratu clari, peritiſſimi regionis, incolume per medios hoſtes ſingulari felicitate in Valentiam intulerunt. Re nummaria prouiſa, quae ſemper inter praecipua bellorum habita eſt, angebant ingentis ſpiritus virum Albornozium curae illae, quo pacto Valentiae, quam fermè corona cinxerant hoſtes regia auxilia ſubmitterentur. Itaque Adurni Senatu bellico appellato, hoſtium vires, & conſilia, noſtras copias, itinera, ſumma cum cura inquirendo imperatorium munus exequebatur. Variae ſententiae militari laude inſignium bellatorum erant. Aragonius eò inclinabat, ab Laumellina, ab ſtatione plebis Cairi nocturno itinere, ſecundum flumen magna celeritate pergere,

Ticini agebat Albornotius tempore obſidionis.

Marchio Celatēſis, & Marchio Philippus Spinula voluntarij prima obſidione Valentiam intrauere.

Charitas rei nummariae in Valentia.

Guarnerio Guaſco & Com. Trotto ac Petro Iſimbaldo. March. magnam ſignati auri vim Quaeſtores numerant.

Incolumae auſ[illegible] per intermiſſa munimenta penetrauit ad obſeſſos.

Quid angeret Albornotium.

Adurni ab Albornotio Senatus bellicus habetur.

Variae p[illegible] exercitus ſententiae.

gere, quò inalbeſcente caelo ad ſitum, quem ipſe iam antea cognouerat occupandum, ab forcipe parum diſtantem, qui obſeſſorum pontem muniebat, ſed ab hoſtibus vti diximus inſeſſum. Addebat Aragonius haud difficili negotio poſſe in arcem ab ea parte, quà forcipes inclinabat milites, omniſque generis commeatus intromitti. Idque mira celeritate exequendum eſſe, ne ſi hoſtis conſilium penetraret, ſitum ipſe occupare praeuerteret, & deploratis auxilijs obſeſſi intercluderentur.

Garaius Aragonij confutat ſententiam.

Garaius nocturnum iter, non mutatis caſtris, non antecapto loco ac munito ſi triſtia ſuccederent receptui opportuno, periculoſum plenum opus aleae diſſerebat. Quod ſi incruento gladio auxilia in arcem etiam immitterentur, & fortuna felici auſui ab ſua libidine, votiſue reſponderet, quod tamen quam anceps eſſet, virùm militari pudentia claris ſe meditationi relinquere, Foederatis vbiq;cum validis ac numeroſis copijs ſuperfuſis, aut eodem in loco ſubeundam eſſe tempeſtatem, aut per ſeptem millium paſſuum ſpatium in receptu continentē dimicationem eſſe ſuſtinendam. Regis per ea tempora copias nec eleuare velle, nec commendare, ſcilicet fermè tyrones cum veteranis, numeroſas cum exiguis copijs eſſe concurrendas. Caeterum illius ſe ſe ſententiae, vt binis ſaltem caſtris ad Valentiam iretur, plauſtra & iumenta ſarcinaria, multiplici commeatu onuſta

Quibus fundamētis Garaius nitere-tur.

Garaij ſententia accepta qualis fuit.

ponè

ponè exercitum ſequerentur, locus inprimis deligeretur, ac rectè, & ordine munitus ad martis incerta, tùm commeatus, & impedimenta tueretur, tùm ſiquid aduerſi accidiſſet, tutiſſimum receptum daret conſternatis. Burgiquefranci pagum aiebat maximè expeditioni opportunum vetus militiae Tribunus aiebat. In hanc ſententiam itum. Die inſequenti ab Cairi plebe caſtra promota, ad Gratianum coenobium ſtatiua habita, hinc rectà ad Burgumfrancum, celere volaticum agmen inſtructum, quod eius Praefectus Torrecuſa curaret. Aragonius & Garaius quaternis equitum turmis praecederent, ſi fortè ſitum aliquem opportuniorem reperirent, quo munito ad caetera deinceps exequenda vterentur, ſecus ad Burgumfrancum pergerent ire. Sed iam hoſtis omnia tenebat, ſitumque illum, quem Aragonius fuerat contemplatus iam Galli inſederant, Garaius alterum ſeligit, qui ab dextra Fraſcaroli pagum ſpectabat, ab laeua flumen, in fronte profundam ſemitam, ab latere praealtis ripis amnem habebat. Coloma, ſitu, opportunitate, & alijs militari prudentia expenſis, eò copias moueri imperauit. Coeterum in eo ſumma rerum erat, ſi per octo dies Fraſcaroli alendi equitatus copia fuiſſet. Etenim ſi hoſtes tranſmiſſo flumine ad inuadendos Catholicos accurriſſent, haud tam exiguis copijs id poſſe tentari, quin maior & florentior copiarum pars in expeditionem

Ad Cairi plebem promouetur caſtra.

Ordo totius inceſſus;

Situs, quem elegit Garaius cuius ingenij eſſet.

In quo ſumma rerum erat.

Ratio huius,

educeretur, ſicque obſeſſis refrigentibus acceſſibus ab obſidentium paucitate quies aliqua neceſſariò daretur, hocque fermè erat laboranti arci ſuppetias ferre, quia cum militis inopia praecipuè laboraret, externa etenim munimenta pleroſq; militum occupabant, ac multi propterea, vti fit ab laboribus & vigilijs varijs morbis tentari coeperant, ita magna in parte perpetuo illo metu ſoluti, ſe Praeſidiarij recreaſſent. Addebat Foederatis ab ea parte, quà erupturi eſſent, haud contemnendam equitum manum dimicantibus ſuis praeſidio educendã eſſe. Conſilium inde militari prouidentia adaugebat, neſcire qua ratione tantum equitatus, ac peditatus alere in tam anguſtis commeatibus ac pabuli praeſertim inopia Foederati valerent. E contra Hiſpanis omnia laeta ac ſecunda diuinabat, munitiſſimo in loco, equitatu in armis expedito, fermè per otium facultatem daturum hoſtes in arcem milites, commeatuſue intromittendi. Munirent porrò ſitum, equitatum in armis haberent, nec mora non die ac nocte intermiſſo opere expectatione citius intra duos dies foſſis perductis & aggere excitato, extra tormenti iactum, facili aquatione, coniunctae equitatui vallatis in caſtris Hiſpanae copiae apparuere. Medium fermè diei erat, curabantq; corpora Catholicae copiae, cum hoſtem inſtructum appropinquare alij ſuper alium nuncij attulere. Confeſtim Aluaro Quinonenſi equitatus Prae-

*Militis inopia praecipuè obſeſſi laborabant.*

*Conſilium militari prudentia ab Garaio adductũ.*

*Omnia laeta Hiſpanis Garaius porticetur.*

*Mira celeritas Catholici exercitus in illo ſitu muniẽdo.*

*Hoſtes ad munimenta repente pergunt ire.*

feᵭo

fecto cum nonnullis alijs fistulatorum turmis, obuiam hosti misso, qui primum hostile agmen leuibus certaminibus distineret, donec hostis consilium, quà inuasurus esset cognoscerent. Frascarolum rectà pergebat ire, sed hoc iam ante optimo peditatu, & equitatu Coloma Imperator munierat, expeditumque prouisó periculo insuper agmen, quod Torrecusa curabat, eo confestim miserat. Praeuenitque celeritate Torrecusa hostem, & ad loci praesidium fermè equitatus robore relicto, ipse cum duabus fistulatorum manibus obuiam venienti Gallo factus, ita glandium procella obruit, vt pedem referre è vestigio fuerit coactus, Iamque eò, ardore pugnae processerat Torrecusa, vt iam deficiente tormentario puluere, fortes alioqui milites circumuenirentur, abundabant enim multitudine Foederati, ni Garaius in tempore recentes fessis submittendo, pugnans ipse & animans ita sustinuit certamen, vt iam appropinquante nostrarum legionum robore, timore correptae hostiles phalanges retrò retulerint pedem. Coloma interim concilio habito, haud cunctandum ratus, quin septingenti pedites in Valentiam ab altera Padi ripa intromitterentur, antequam hostes traiecto flumine primas stationes repeterent. Decumbebat fortè per eos dies Ticini Gambacurta vir bello egregius & Neapolitani equitatus Magister. Itaque Comiti Sorano, & Comiti Maximiliano Stampae

*Quinonensis Aluarus obuiam mittitur hosti.*

*Frascarolum Coloma rectè munierat.*

*Frascarolum petebant hostes.*

*Torrecusa cogit hostem referre pedem.*

*In summo discrimine Torrecusa & eius copiae.*

*Garaius in tempore succurrit magni militis laus.*

*Coloma septingentos pedites in Valentiam introducit.*

*Comes Sorensis, & Com. Stampa delecti ad expeditionem.*

*Ordo incessus.*

*Valentiam attonitis mira u'o hostibus imperterritae copiae ingrediuntur.*

*Nebula etiam diuinitus sparsa fauet expeditioni.*

*Valentiae plausū tantus Imperator Coloma audiuit.*

*Marchio Celatensis inter ipsam obsidionis solutionē ab laboribus decessit.*
*Eius laus.*

*Multi, & clari viri nobilitati ab hac obsidione.*
*Insignem Valentiam Foederati reddidere.*

regionis peritissimo, purpuratus Albornozius imperat, vt septingentos pedites ab praesidio Alexandriae selectos, Hispanos partim, & Italos ad Valentiam in trepide deducant. Primum agmen Stampa ducebat, reliquum totius expeditionis Praefectus Sora curabat. Numenque haud dubiè affuit tam forti incoepto, per medios hostes, ac stationes impauidae copiae, necquicquam ingemiscentibus foederatis sub oculis eorum Valentiam ingressae, illius adipiscendae spem, quam fermè deuorauerant, aeternùm cum singulari nota amiserunt. Pedites sequuti omnis generis multiplices commeatus, Coloma cum vniuersis copijs ad Valentiam pergit miro silentio, nebulaq; adiutus, quae diuinitus sparsa incedētes texit ne ab hostibus viderentur. Ponte Pado coniuncto, hostium stationibus obtruncatis, & claustris disiectis, cum ingenti gloria obsidione soluta, Valentiae plausum ab conseruata Insubria tantus Imperator audiuit, & ventura secula dicent. Hocque illi fermè supremum virtutis inter mortales opus fuit. Marchionis Celatensis eximij iuuenis intempestiua mors obsidionem nobilitauit, ab multis laboribus ac vigilijs vti fit, dum gloria & nobilitas stimulant, laetali morbo implicitus Valentiae in ipsa obsidionis solutione decessit. Caeterum multi & clari viri Marchio Spinula, Comes Abdua alij Hispani & Itali ordinum ductores suam egregiè fidem Catholico Regi praestitere. Foederati

alij

alij aliò dilapsi celebre Valentiae nomen, parua alioqui munimenta si molem ac nobilitatem obsidentium spectes, quae Chrycquium, Sabaudū, & Parmensem Principes eluserant, redidere. Albornozius ab felici nuntio Ticini in maiori Aede Victoriali carmine decantato Dijs debitas gratias ac vota religiosè persoluit. Inde Mediolanum veniens tradita Prouincia Requesenio, laetus admodum ad Vrbem pergit Purpuratus. Cum in Prouinciae Mediolanensis administratione Cardinali Albornotio Dux Alcalae successisset, nec dubia consilia Gallorum haberentur, Mandauerat inter caetera arcana successionis eius Francisco Melae Catholicus Rex, vt si quid ab illo hoste moueretur, traderet noui Imperij diploma Guzmano Marchioni de Leganes, qui facilè primus inter Hispanos hac tempestate bellator existimabatur, eoque Prouinciam obtinente, munimenti satis aduersus imminentia paratum fore, constans per Aulam fama erat. Namque Dux Alcalae Requesenius sicuti ad artes, & tempora pacis ob ingenij mansuetudinem, & actam inter Philosophos aetatem vnicus, ita segnior ad bella habebatur, & siue attulerat id ex Regia mandatum, siue mutatis ibi consilijs, noua inde mandata superuenere, certè congruit vt ijsdem diebus, & irrumperent Galli in Prouinciae fines, & ipse profectionem in Germaniam pararet, futurus ibi pro Catholica parte arbiter faciendae pacis inter Reges, cuius nego-

Albornotij plausus Ticini ab eodem gratiae caelestibus redditae sunt.

Requesenius succedit Albornotio.

Quid mandauerat inter arcana successionis Rex Francisco Melae.

Fama Leganesij per ea tempora.

Ducis Alcalae ingenium.

Profectionem in Germaniā parat Dux Alcala, & Hostes irrumpūt.

tij causa, Coloniam Agrippinam partium ipsarum consensu conuentus indictus erat vt plena rerum omnium potestate legati adessent, statuerentque Et Alcala quidem intra paucos dies vix monstratus Vrbi, vix Vrbe inspecta, transitu magis, quam mora, perfunctus munere viceq; imperitantis ingrediebatur suum illud titulo specieque magnificum, re ipsa non vanum & inane modo, sed infaustum quoque sibi legationis obeundae iter, quo neq; actum est in rerum summa quicquam, & clarissimus vir vtilissimus Imperio amissus. Guzmanus autem ad primos motus irruptionesque Gallorum, tradito sibi per Melam Regio diplomate successionis, exercitum in eos mouet. Posuerant in Laumellensi agro castra, faciendoque excursiones & tributa exigendo, vectigalem sibi agrum eum fecerant, simul & Castellum Pado flumini opportune imminens occupauere Bremum, atque aedificauere ibi Arcem & pagum fere ipsum in munimenta conuerterunt. Trium exercituum manibus, cum Parmenses, & Sabaudij, Gallique certarent ne laboris, & obsequij gloria penes alios esset, facile stetit opus. Aedemque vetustissimae Religionis, & Monasterium adiunctum ea fabrica deiecit: expulsis insuper Monacis, qui Monasterium, aedemque tuebantur. In qua eiectione Galli vtebantur hoc titulo, quod Regi Catholico subiecti, partiumque Catholicarum homines illi essent. Mouerant Galli in

Alcala vix monstratus Vrbi.

Alcala moritur.

Mela tradit successionis diploma Guzmano.

Excursiones hostium.

Bremū occupant.

Ob munitionem Bremi sacram Aedem monasterium destruunt hostes.

in parte vna fecerantque haec, ex altera vero Sabaudae copiae in Derthonensem agrum ex Monteferrato Villa Duce mittebantur in Derthonensem agrum, ad Oppidum illud si data esset fortuna capiendum. Quod vbi Guzmano compertum, ab Mortaria (subsliterat namq; ibi) cum idonea peditum, equitumque manu egreditur, & munito stationibus opportunis Scriuia flumine, quà transeundum hosti erat, prohibuit transitu manum eam, Vrbemque defendit, & conseruauit intactum populationibus agrum, vndè sibi victoriam hostes, & victoriae praemia latrocinium, praedamque destinarant. Anni 1635. exitus hic erat. Februario insequente, Sabaudius & Crycquius traiecta Sessia flumine Nouariensem agrum incursauere, Vespolatum & Palestrum nomina locis sunt, quae loca capere primo impetu, ac dirripere voluerunt. Aduersus eos item eductis prospere copijs repressit excursionem Guzmanus tanto militum ardore, & tanta arte Ducis, vt euerterentur in fugam, ipseque Crycquius non aliter, quàm pernicitate equi saluus euaserit. Aduersus Parmae Ducem, qui traijcere spe eadem volebat, obiecit subitario opere aggerem, quà scriuia amnis praebere iter poterat: exclususque ita ille retrò vnde venerat abijt. Auxilia quae mittebat ex Germania Caesar, non nisi per Heluetiorum fines descendere poterant. Hoc gerendis rebus impedimentum, atque mora haec interuenerat;

Sabaudiae copiae in Derthonensem agrum mittuntur Villa Duce.

Munit Guz. stationibus opportunis Scriuiam Fl.

Conseruat intactum populationibus agrum.

Sabaud & Chrich. Nouariensem agrum incursant.

Reprimit excursionem Guz. magna arte Ducis.

Chrichuius beneficio equi euadit.

Obijcit Guz. aggerem Parmensi Duci.

cui tollendae Guzmanus, miſſo in Heluetios Comite Antonio Billia) impetrauit vt cum bona pace copias eas per fines ſuos tranſire paterentur. Et adfuere Ducibus Haſſio, & Eſtenſe, quorum virtus & fama nominis robur famamq; legionum augebat. Etiam ab Neapoli mille delecti equites mittebantur Belli quotidie moles creſcebat. Capiendae Prouinciae ſummam foederati ita inſtituerant, fecerantque partes in hunc modum. Inuaderet Dux Parmae laudenſem agrum ex finitima Placentiae regione eumq; & terrorem exortus repentè inde Metropoli admoueret. Excurſiones ab Mantuano Cremonam verſus fierent, irrueret atque ſuperfunderetur Briantiae ſimul, & Licinifori terris ab Nouocomo Rhotomagenſis Dux. Alia per Nouariae fines irruptio tentaretur. Diuiſerant has inter ſe vices, & tempore eodem iaciebant inter Neapolitanos ſemina rebellionis, ne qua inde rebus alienis ſubſidia mittere, ProRegi vacaret. Conuentus ille pacis inter Reges, conditionumque agitandarum cauſa indictus ad Coloniam, vana adhuc ſine exitu res erat, cui negotio neque pedes, vt aiunt, neq; caput neq; ſpes vlla in poſterum. Mortuus in itinere Alcala erat, Collega Melus cunctanter & lentè mouebatur. Quodque negotij eius peſſimum atque triſtiſſimum arbitri Gallici, qui ceu iam iamque ad futuri expectabantur, nuſquam comparuere. Tantoque magis anxius futuri, & circumſpectans

Comes Antonius Billia ab Heluetiis impetrat tranſitum Caeſarianis.

Eſtenſis & Haſſius copiarum Caeſ. ductores.

Conſilia hoſtium & diſpoſitio belli.

Conuentus apud Coloniam vanus, & ſine exitu Cur.

cumſpectans vicina pariter, ac longinqua Guzmanus, exercitus ſui partem Carolo Gatta, & Marchione Caracena Ducibus in Placentinos miſit ad Caſtella occupanda quibus inſeſſis excurſiones indè facile prohiberentur. Guardamelium & Rotofrenum & S. Ioannis arcem Gatta & Caracena coeperunt Fraenoque hoc impoſito ductor hoſtium agminis Villa cum excurrere in Mediolanenſis Prouinciae fines ab ea parte non poſſet, vertit ad Mutinae Ducem, qui quoniam in tutela & fide Catholici Regis erat, iuſto iure ob Caſtella illa Parmenſi adempta peti videbatur, tanquam ad compenſanda damna, vlciſcendaſue iras. Pars inde maxima belli transfertur illuc, dum contra foederatos adeſſe Mutinenſi, Guzmanus partem Catholicae Maieſtatis cenſet. Miſſae legiones duae, validaque inſuper fiſtulatorum equitum manus cum Vincentio Gonzaga & Ioanne Valquez Coronato. Laceſſiuere varijs locis hoſtes, qui cum aliquandiu poteſtatem pugnae non facerent, ad Lentiam flumen denique depraehenſi, caeſiq; & fuſi ſunt inſequentibus noſtris vſque ad Parmae moenia, quà ſepta Lazareti viſuntur. Nec fermè aliud ex ea Mutinenſi expeditione ductor agminis Villa praeter caedem ſuorum ignominiamq; fugae retulit. Vulnerati è noſtris Gonzaga, & Battouilla Areſiuſque dum ſternunt ipſi vulnerantue alios, cientque pugnam haud minus impetu corporum, quam adhorta-

Caracena & Gatta in Placentinos ab Guzmano mittuntur.

Quas arçes in Placentinis coeperit. Qu. consilio.

Villa in Mutinenses ducit.

Guz. mittit Gonzagā & Vasquium cum valida manu aduersus Villam.

Ad Lentiam Flumen caesi fugatiq; ductes sunt vsque ad Parmae moenia.

Gonzaga, Battouilla, Aresius vulnerati.

tione vocis quacumque intulere gradum, quam ictibus & telorum vi. Defensa in hunc modum Catholicis armis re Mutinensi Duces Hispani reduxere inde copias, dimissi Principe ab illo cum verborum etiam honore ad auctorem beneficij Guzmanum, cui molienti multa tunc, multaque etiam suspectanti pars ea virium in tempore restituta, & gerendo bello robur, & variè fluctuanti animo fiduciam addidit. Sed & hostium res aduersae incitabant, ne destinata differrent. Velut dato inter foederatos signo, ab vna parte Rotofrenum, illam tanti nominis & momenti arcem aggreditur Villa conatu quidem & violentia penè furentis, sed missis ab Guzmano properè subsidijs, repulsus inde nihilo meliorem euentum habuit, quam quos habuerat tuleratque prius. Id Villae tentamentum ab ea parte inane fuit. Ab altera vero tres Duces Sabaudus, Parmensis & Crycquius, illi quasi capita foederis, hic minister melioribus initijs, licet non meliore futuro successu rem gerere statuerant. Consilium eis, non vulgare, & saepè perniciosum illud prima quaeque inuadendi, ne quid ab tergo nociturum hostile relinqueretur, sed praesentius, expeditiusque aliud Metropolim aggrediendi ipsam, transigendique cuncta velut vno ictu. Consilio igitur hoc, transgressi ponte flumen, quà nunc expeditionibus, victorijsque nostris, hostium clade nobile Bremum ferè inexsuperabiliter tuetur ab ea parte

Hispani Duces reducunt copias.

Habitl ab Mutinésí honores Guz.

Roto frenum Villa aggreditur.

Villae tentamentum ab ea parte inane.

Foederati Metropolim primo impetu aggredi statuunt.

Transgrediuntur Flumé ab ea parte quà Bremum est.

parte Prouinciam. Id ipſum tamen egregio militari aſtu, multaque ad fallendos noſtros arte, tanquam non ſane caput, arcemque Prouinciae Mediolanum, ſed Oppida minora ſibi capienda deſtinaſſent, neque ad grande hoc opus, ſed ad leuia quaedam, & bello moras allatura veniſſent. Nunc Valentiae, quae Pado appoſita eſt, nunc Vigleuano minitanti: modo Nicaeam verſus infeſta ſigna conuertentes, modò infeſtiore per Laumellinam excurſu depopulati arua, horrea, villas, & quicquid amoenum, aut dite in agris, compleuerant omnia terrore, tanquam viribus interea totis ad capiendam prouinciam foederati iſti congregarentur, euagatioque illa non praedae, neque populationis, ſed altioris conſilij deſtinationiſque ſuprema eſſet, ſicuti & verè erat. Ad Gerolam, quod loco nomen, poſita caſtra habuerunt. Inde ad Ticinum vſque excurrebant longius auſuri ex euentu, quod Guzmano prouiſum; obuiamque egreſſus inſtitit ſimul & conſectari hoſtes, & firmare praeſidijs omnia, quae credibile foret velle eos inſidere, qui tutius Metropoli propinquarent, facerentque inde gradum. Munijtque ita Valentiam, & commiſſa ad Gerolam etiam pugna minimè dubium reliquit in hoſtium ciuiumq; animis, quin triſtia illis, nobis fauſta principia, ſimiles propediem exitus ſequerentur. Caneſianus Gallus erat haud illaudatae famae bellator inter ſuos exteroſque, ductor

Magna arte hoſtes diſſimulant Mediolani inuadendi conſilium.

Ad Gerolam caſtra habebant.

Ad Ticinum vſque excurrunt.

Guz. obuiam iuit.

Valentiam Guz. munit.

Ad Gerolam pugnatur.

equitum hoc ipſo metuendorum, quod Ducis eius vnica haec & dilecta manus habiti fuere. Caeſi ad ſeptuaginta. Duxque ipſe interfectus. Sed copiae ſubinde maiores adfluebant ad ſpem & gloriam agendae rei, in quam coniurarant, & referebantur cuncta illuc. Hoc igitur haud dubiè imminente impetu in Metropolim, conſilio in caſtris habito Guzmanus & Melus, caeterique exercitus Principes ita conſtituerunt. Muniendam illico diligentiſſimè vrbem, praeſidia in muris, vigilias ſtationeſque habendas, verſatileſque pontes ad portarum clauſtra adiungendos. quibus opportunè remiſſis, atque ſubductis, nec pateret ad ſubita irruptionum iter in vrbem, nec exitus inde neceſſarij prohiberentur. Harum rerum cauſa, Melus Mediolanum venit: iſque cum Publico Conſilio collocutus, adhortatuſque Decuriones ad Patriam optima ſpe defendendam cum recordatione maiorum ſuorum, & gloriae immortalis, qua ſemper aduerſus Gallos, Vrbs haec & Prouincia defenſa eſſet, pollicebatur ſimul nullam Regiae Potentiae partem huic defenſioni defuturam, ſicuti, & conuenire ſibi Maieſtas illa cenſeret ob fidem magnitudinemq; Vrbis. Nec mora Decuriones, & ſua ſponte intenti ad periculum imminens, & adhortationibus excitati iſtis nihil omiſere, quod agendum in tali tempore, prouidendumque eſſet. Habito per Vrbem delectu ſex millia peditum conſcripſere.

Pontes

Hoſtium caedes. Dux ipſe interfectus.

Timet Guz. Metropoli.

Quid in conſilio in caſtris habito Guz. & caeteri Principes exercitus deliberauerint.

Mela in publicum Med. conſilium venit, Quae ſuaderet.

Decuriones ingenti alacritate vrbis defenſionem ſuſcipiunt.

Pontes iniunxere Portis, exercendoq; militi viros idoneos ex tota nobilitate delegerant, vt quiq; belli artes vsu aliquo, vel praeceptis ac disciplina percalluissent. Regimen vniuersae rei, quod ad Vrbanum hunc delectum, decursusque militares, & custodiam Vrbis attineret, permissum Comiti Francisco Abduae, qui fuerat in Flandria Tribunus, & longè peritissimus rei militaris habebatur, tuleratque hanc ex Flandria famam, & Guzmanus ibi virum cognouerat. Iam Rhotomagi Dux Galliae Regis rebellis idem & emissarius, exulque idem & minister, facta ex Vulturenis per valles & montes irruptione, quà Prouinciae nostrae extrema, Venetorum finibus miscentur, siuè iunguntur, cuncta per totum iter, latrocinij magis, quam belli more depopulatus, Leucum vsque peruenerat. Antiquum id municipium est appositum Abduae flumini, frequens idem & nobile emporium omnibus circa populis, qui cis flumen immisti siuè finitimi Bergomatibus per dorsa montium, siuè per ima vallium degunt, quiue ab altera parte, digniora humano cultu loca, Briantaeum nempè tractum tenent, quae regio ferè veterum Orobiorum fuit, & passim in montium articulos assurgit, siuè latè expatiatur in campos, in vniuersum cella vinaria Vrbis Mediolani nuncupata est: idq; regioni nomen in annalibus manet. Per decliuia, per arrecta, & confragosa pleraq; descenderat in Leuci terras eo animo Gallus, vt

&

Sex millia peditũ in vrbe conscribuntur.

Pontes iniungunt Portis,

Regimen vniuersae rei Comiti Abduae permissũ.

Rhotomagensis ex Vulturenis irrumpit.

Cuncta latrocinij magis, quam belli more depopulatur.

Leucum peruenit. Eius loci situs & nobilitas.

Briãtaeus tractus Regio veterum Orobiorum fuit.

Descriptio Briãteae plagae.

Haec cella Vinaria Vrbis Mediolani appellata

Quo consilio Gallus descenderat in Leuci terras.

& municipium, & arcem, quae ibi munitiſſima, & antiqua eſt, occuparet, firmaretque praeſidio, & quaſi ſedem ſibi eam aduerſus belli fortuita receptaculumque pararet. Sed nondum ad moenia ſucceſſerat, cùm facilè animaduertit haud eſſe ità facile id opus: narrabantq; captiui quos ad cognoſcenda loca ducebat ſecum: prioribus quoque Gallorum copijs nequicquam ea munimenta tentata fuiſſe: irritum abſceſſiſſe inde Medicaeum cùm Duci ſuo rebellis, caeteras arces & circumiectae regionis caſtella firmiſſima, tùm impoſita rupibus, tùm extructa pagatim inuaſiſſet. Dicebantur exuli Duci haec. Et mox ipſe conſcenſo tumulo vnde in ſubiecta proſpectus municipij ſitum arciſque molem inſpexit, ac planè deſperarat. Deſperatio verò maior etiam inceſſit, poſteaquàm exſequenti indè cùm amicis quamnam in ea rerum difficultate viam conſilij exequeretur, & colluſtranti omnia oculis apparuere omnem vlteriorem ripam quo quo verſum porrecto agmine obtinentes armati. Venerant ad primam Gallici inceſſus famam, pars militariter ornati iuſtis armis, pars cum telis agreſtibus, vt cuique fors aliquid in manum dediſſet. Nec modò affluebant manipuli ſubinde plures, ac velut è ſyluis, agriſque natae nouae prioribus copiae aggregabantur: ſed ordo quoque militaris, & diſciplina creſcebat, ità vt caſtra paulatim fierent, qualia, vel ducum arte, vel militum numero, & robore, vel

Quae narrarent captiui Rhotomagenſi Duci.

Victoriem deſperat Rhotom. Dux conſcenſo tumulo cum ſitum arciſque molem inſpexit.

Quae deſperationem augerent.

Omnem vlteriorẽ Ripam obtinent armati.

Quae eſſent iſtae copiae. Quibus telis inſtructae.

Ordo militaris & diſciplina creſcebat.

deſcriptione

descriptione portarum, atque itinerum interuallis in vllo magno bello vnquam alias esse potuerunt Mirumque dictu in eo subito motu, ac repentino discrimine, veterana arma veteranus miles, ferrea quoque tegumenta corporum thoraces, & ocreae & galeae, & cristae, & quaecunque alia in bello ad vsum ornatumue aliquem parantur, muniebant ornabantque aciem, simul per aequa & plana dispositam, simul assurgentem in colles, sicuti excurrit attolliturque illud obiectum flumini iter, ad maritimi ferè litoris formam. Acies illa equorum delectu praesertim, & robore valida decoraque erat: cataphractique proceres aderant ad rem omni militari prouisu regendam, & miscenda suis corporibus certamina, mortemque, si res ità caderet, alacri animo oppetendam, haud aliter, quàm si ad solennes per diem festum epulas irent. Non autem, si qui fortassè externi haec legent, miratum esse quempiam oportebat, vnde rura apud & colles, tantus repentè militiae cultus, quomodò bellatores equi, virique bellatores, & tamquam ex armamento tàm multiplex armatura, & sueta militaribus Imperijs nobilitas, sueti ducendis ordinibus etiam agricolae extiterint in hac Briantaea regione, quae sic repentè armari potuerat in Gallum. Nam Briantiae regio bifariam diuisa est in superiorem, & inferiorem. Inferior pars ad tertium ab Oppido Modoetiae lapidem inchoatur cùm Modoetiam ipsam

Quāta disciplina ilitarum copiarū.

Instructae apparuere copiae.

Iuxta loci situm exquisitissimè dispositae.

Delectu praecipuè equorum & robore valida acies illa erat.

Cataphracti Proceres aderant ad rem omni militari prouisu regendam.

Horum Procerum summa alacritas.

Occurrit Historicus dubitanti lectori vnde rura, apud & colles tantus militiae cultus.

Diuisio Briantiae regionis in superiorem & inferiorem.

Quae sit inferior.

ipſam terminet decimus ab Vrbe Mediolanō lapis, eaque nihil ferè differt ab caeteris Mediolanenſis agri partibus. Eſt tota campeſtris, & communi cum alijs regionibus conditione poſſident illic arua nobiles ſiuè negotiatores proximi nobilibus: caetera ſeruientium agricolarum multitudo eſt: hique nihil ab caeterorum agreſtium habitu diuerſum traxere, niſi quòd Coeli ſolique generoſitate animantur, & corporum robore praeferunt originem. Origo deindè eſſe vera, & libera, ſimulque generoſa, & bellatrix eſſe populis incipit vbi veluti tumeſcere primò, dein aſſurgere tellus incoepit, tùm erigi altius, poſtremò collibus amoenis montibuſue conſumi, poſt quos Abdua decurrit. Haec Patria eſt antiquarum domorum, quae frugibus & ſtipe victitant ſua, ceu dedecora dominos neſciunt: memorant atauos, tituluſque nobilitatis ideò tantùm abeſt, quia opes augere non didicerunt; Ibi perpetuo ſobole ſcit robuſta, nec degener ad arma iuuentus, armorumque tyrocinium praebent inimicitiae, quarum materia nunquam deeſt ob certamina partium, & ſolita inter accolas odia cauſaſuè alias: praeſidijque ſui cauſa potentioribus aggregantur, & expetuntur vltrò gladiatores, & ſocij periculis. Ea veluti diſciplina militaris: ibi ponere inſidias, captare tempora: conſilia diſponere: ſeruare ordines: & alia tamquam in bello didicerunt. Sic inſtituere maiores perſeuerant iuuenes,

Virique

*Modoetia decimo ab Vrbe lapide.*

*Hæc pars tota campeſtris.*

*Diſcrimen agreſtium Briantiae regionis à caeteris Agricolis.*

*Vbi tumeſcere tellus incoepit, ibi ſunt magis generoſi Agreſtes.*

*Patria antiquarum domorum, quae frugibus & ſtipe uictitant ſua. Earum nobilitas.*

*Armorum tyrocinium praebent perpetuae inimicitiae.*

*Potentioribus Praeſidij ſui cauſa aggregantur.*

*Quae ſit ibi diſciplina militaris.*

*Sic inſtituunt maiores iuuenes.*

Virique & filios ipsi suos perindè erudiunt assuefaciuntque. Nec ferè vlla est illustrium horum agricolarum domus, in qua non & pugnandi artes, & instrumenta pugnarum fauorque procerum & clientela aliqua loco haereditatis sint. Proceres ipsi interfuere bellis externis, ductauere ordines, & praemia Regum ampla retulerunt, ac si quando domi aeuum agerent, per studia factionum inter se dimicando nusquam in otio fuere. Mistaeque primoribus istis familiae minores profectò fuerunt, quae sub Sfortiarum Imperio rem seruauere Mediolanensem, cùm scribant ità chronographi temporum eorum: accurrisse agrestes ex Briantiae monte, & obstitisse hosti, ac retrò compulisse eum, vndè & praemia hodie familijs manent. In hac igitur armorum quasi terra, minimè mirum fuit confici ità subitò potuisse exercitum, imponique subitarijs copijs peritos belli duces: qualia militum robora, qualemuè peritiam ducum, ne ex ante praeparato quidem fortasse vlla alias habuere bella. Conuenere vna ignium significatione proditoque è summis montibus fumo (ità statutum condictumque erat) ad octo millia armatorum cùm praefectis ducibusque suis, & in fluminis ripa, sicuti demonstraui, constitere. Dicitur inhorruisse tali adspectu ductor Gallici agminis exsul: cumque interrogatis ijs, qui proximi stabant, responsum accepisset: incolas hos esse montium, & ipsos ab sedibus suis penè moueri

Proceres interfuere bellis externis. Ductauere Ordines. Praemia Regum ampla retulere.

Hae familiae permixtae Primoribus sub Sfortiarũ Imperio seruauere Mediolanensem rem.

Ratio huius.

Haec Regio quasi armorum terra.

Conuenere vna ignium significatione proditoque summis montibus fumo. Octo millia armatorum erant.

Inhorruit tali adspectu Ductor Gallici agminis.

Consilium illicò capit conuertendi retro agmen.

Quid sperauerat Dux Gallorum, & ei promissum fuerat.

montes odio ac detestatione Gallorum, quassato, sicuti accepimus & auerso capite, consilium illicò coepit conuertendi retrò agmen & ea loca relinquendi. Crediderat sperauerat que, & promissum ità ei fuerat: montanos eos, ne moturos quidem ab suis tugurijs esse vestigium, nisi vel aufugerent, vel dederent se se simul, traiecto iam Ticino Crycquium implesse cuncta terrore, & occurrere sibi victorem, & porrigere dexteram ipsumque penè deportari debere popularium humeris in terras illas trans Abduam felices, ac penè beatas, quas animo depictas, oculisque subiectas haberet. Vt in contrarium versa cuncta vidit. abibat; moratusque paulisper, conscribi iussit, & authoritate publica obsignari tabellas scriptum ità habentes. Venisse ipsum cum exercitu & stetisse quo die, quaue hora & momento debuerit (notabatur & locus & dies) sed nihil eorum reperisse quae demonstrata fuissent. Abijt magis infesto quàm venerat agmine populabundus, spoliatis in itinere Monasterijs fugatisque Virginibus. Non tamen eius abscessu redierat securitas, nec ripam ideo omisere nostri: alere vltrò ipse metum volebat, discedens remeansque rursus, & postquam ex oculis abijsset, se se denuò ostentans, siuè vt fugae dedecus velaret, siue noui aliquid ex occasione tentaturus, siuè demùm vt suspensa sic apud nos omnia tenerentur, inquietareturque Ciuitas.

Quid conscribi iusserit & authoritate publica obsignari Rhotomag.

Magis infesto quà venerat, agmine abijt.

Rim anceps discessus.

Et

Et planè mira interim inquietatio variaeque ſolicitudinum formae Mediolani erant apud primores: ac pro ſe quiſque foeda & vulgata Gallicarum irruptionum exempla loquebantur. Vt ſcilicet egiſſent more barbarico ſemper: vt nulla vnquam in victorijs ſeruaſſent iura bellorum: vt demùm praecipuè ſacris illuſiſſent. LX. Decuriones publicum eſſe Mediolani conſilium alibi docuimus, deque iure ac poteſtate eorum, & de nobilitate ac magnitudine Ordinis ſatis demonſtràtum eſſe arbitror. Pro ſumma rerum hi quotidiè congregabantur, & tamquam in vltimo diſcrimine ius omne auxilij ſui expediebant, in quo quiſque ceſſaſſet, prodi ab eo publicam ſalutem exiſtimantes decretaq; eorum & in tali tempore ſolicitudines ac leges magnique prouiſus documenta & exempla in poſterum etiam verè eſſe poterunt Conſilio Senatuiuè cuilibet, quid agi, circumſpici, cauerique & prouideri oporteat tunc, cùm inſtat moenibus hoſtis, ingreſſuſue fines aduentat, excidiumque minatur. Timuerant ne duceret exul eiuſmodi exercitum, vt reſiſtendo parùm ſufficerent eae copiae, quae habito per Briantaeos delectu iàm conſcriptae haberentur, quiue milites in caſtra voluntarij ſubindè irent. Ob id egêre per legatos, & litteras cùm Gubernatore Prouinciae Guzmano, vt proprium ducem, propriaſque copias daret ad tuendam omnem eam oram quacunque traij-

Mira inquietatio variaeque ſolicitudinum formae Mediolani erant.

Varius Mediolani ſermo.

Foeda, & vulgata Gallicarum irruptionum exempla loquuntur.

LX. Decurionum publicum Mediolani conſilium.

Quotidiè pro ſumma rerum Decuriones congregabantur.

Ingens Decurionum Patriae, & Regni amor.

Boiſſimma Prouidentia, & Prudentia.

Quid praecipuè timerent Decuriones.

Quid per legatos & litteras agerent cum Gubernatore Guzmano.

cere posset hostis, Comitemque Serbellonum in id ipsi deposcebant. Mittitur illicò Serbellonus dato ad praesidium obtinendum regionis equite de turmis, quae ex Germania accitae commodùm aderant. Mox & à Principe Burlo duo millia peditum ex eodem Germanico exercitu mittebantur, qui quoniam Lario Lacu deuectus ingenti strepitu jam è nauibus exponebatur per pagos & municipia nostra diuidendus, petiere Decuriones ab Guzmano Gubernatore tria simul haec. Ne plus oneris imponeretur Vrbi prouinciaeque, quàm quantum conuentum iàm pactumque esset: in tecta solitaria concederet is miles: daretur è Decurionum numero, qui apparanda hospitia, militesque aequabiliter, & ordine collocandos curaret. Annuitque Gubernator: & destinauere Decuriones è suo corpore Comitem Alexandrum Vicecomitem, qui Ciuitatis nomine agenda ageret, & prouidenda prouideret; ità vt & hospitaliter omnia militi de more praeberentur, & contineretur ab iniurijs miles. Mouebatur interim & alia cura Gubernatori, vt ad tutelam securitatemque Vrbis & rerum armaretur delectu Ciuitas: ac de ea re cùm relatum in publico consilio esset, respondere Decuriones: posse delectum haberi ad eam formam, quae seruata superiore anno esset: descriptaque ordine omnia protulere. Mox litterae Magni Cancellarij in Consilio recitatae sunt, in quibus scriptum ità erat. Mentem

Comitem Serbellonum deposcunt Decuriones.

Annuit Guzmanus Decurionibus, quas copias miserit.

Quid petiuerint Decuriones ab Guzmano ad continendos in officio milites.

Comes Alexander Vicecomes Decurio ab Decurionibus delectus qui rem militarem curaret.

Alia cura mouetur Guzmanus. Quae esset.

Quae responderint Decuriones circa delectũ habendum in vrbe. Qua conditione.

hanc

hanc esse Catholici Regis, & Excellentissimi Gubernatoris, vt prouincia acerrimè defenderetur, neque daretur hosti locus ad glebam vnam in hac terra occupandam. Id adeò diuina ope, exercituumque virtute, nec non fide incolarum, & successisse feliciter adhuc, & sperari felicius in dies gloriosiusque casurum: Gallosque prò victoria & gloria, ignominiam & cladem relaturos domum. Germanorum copias partim descendisse iàm, partim aduentare, adfuturasque propediem eas, quae adessent, Ticinum, & Nouariam, & Leucum, atq; ad alia opportuna loca destinari, vt opportunis hisce locis aduersus omnes hostium conatus opposita e maneant: de caeteris, prout res tempusque monuerit fore consulendum. Nunc illam vrgere curam: vnde nam pecuniae vis, tùm ad persoluenda stipendia militibus, tùm ad necessaria multa comparanda confici haberique possit. Arma in primis & vestimenta deesse praebenda nouo exercitui, quem longo itinere fessum atque seminudum non armari solùm, sed tegi reficique oporteret: exhausto Regio aerario, spem omnem in fide & obsequio Ciuitatis esse reliquam. Ad caetera merita erga Regem multa magnaq; istud etiam accessurum, si triginta millia nummûm aureorum (tanta enim summa opus esse) conferre voluissent in necessarios hosce vsus. Inerat litteris huiusmodi postulatum. Sed & conditiones commodati proponebantur. Quatuor

Litterae magni Cancellarij in cōsilio recitantur. Earum exemplar.

30M nummûm aureorum ad caetera merita Ciuitatis erga Regē poscebat Guzmanus.

tuor millia pecuniae praesentis darentur, non enim pati dilationem, fessa corpora Germanorum, auidamue cupidinem exigui argenti, quòd promissum viritim, pronunciatumque esset. Ad reliqua viginti sex millia expedienda & apparanda fore spatij paulisper, totamque deindè summam atque emolumenta eius sortem nempe & vsuras, facta ex annuis oneribus deuictione Regem arbitrio Ciuitatis ipsius esse persolu- turum. Quatuor millia statim ab nummularijs sumpsere Decuriones: de caetera summa consultabant, quanam ratione ea quoque confici posset. Et qui Gubernatori renuntiarent facta haec ità statutaque esse, mittuntur in castra Marchio Ioannes Maria Vicecomes, & Comes Iacobus Mandellus ob promptum ingenium, decoramque faciem apti & assueti legationibus hisce, nec semel anteà nominati nobis. Hi responsa quidem obsequij publici, sed ei postulata Ciuitatis pertulere. Namque sicuti prompto cum obsequio Decuriones, de pecunia rem susceperant agendam, atque expediendam: ità in vrbano delectu militiaque constituenda concedi sibi nonnulla aequum censebant, ad id ne turbaretur otium & status Vrbis, ac disciplina Reipublicae, vtq; salua publica dignitas maneret, ac super eo negotio perscripta capita edidere; praefati in primis atq; professi non aliter fore rata, quàm si Gubernator approbauisset ea, fieretque ipse author. Capita autem fuere haec.

Sortem & vsuras summae facta ex annuis oneribus deuictione promittit Regem arbitrio Ciuitatis ipsius persolutu- rum.

Quatuor millia ab nummularijs è vestigio sumunt Decuriones.

De caetera summa consultant.

Marchio Io. Maria Vicecomes, & Comes Iacobus Mandellus mittũtur in castra ab Decurionibus.

Eorum Laus.

Nonnulla sibi cõcedi ab Guzmano aequum censent Decuriones in vrbano delectu ne turbaretur otium & status Vrbis.

Quae fuerint Praefati legati.

Vrbana

Vrbana militia, quae instituetur, erit ea conditione & iure, vt ad tutelam tantummodò Vrbis adhiberi debeat, manebitque tamdiù quamdiù Ciuitas volet. Imponet Ciuitas ipsa legionibus Tribunos: praefectique minores creabuntur à Tribunis. Imperium in Tribunos hosce praefectosue castrorum Gubernatori erit, nec vllius praetereà Imperio potestatiue subiecti Tribuni isti erunt. Si Ciuitati relinquetur onus armandi legiones: petit à Gubernatore Ciuitas, vt exactio aliqua capitum & ostiorum sibi concedatur, qua possit hoc sustinere onus: agendumq; cum Eminentissimo Archiepiscopo erit, vt Clerici quoque in partem oneris vocentur, quandoquidem causa communis est, agiturque etiam eorum incolumitas & salus. Militibus qui conscripti ità armatique erunt, immunitates & praerogatiuae nonnullae concedendae erunt, cuiusmodi nempè praerogatiuas atque immunitates publicum Consilium à Gubernatore postulabit. Exercitio militum ad hoc scilicet, vt sequi signa, seruare ordines, & alia praeliorum rudimenta tyrones addiscant, ea tempora diesque eligentur, ne abducatur ab opere plebs. Ac ne quis in Vrbe tumultus armorum contagione existat, extra Vrbis moenia tyrocinium id, militaresque decursus erunt. Dimensa panis ex Regia pecunia dabuntur huic vrbano militi, quandocunque contingat in expeditiones & praelia aliqua mitti eos. Omnia demùm, quae perti-

Quas conditiones exposcerent legati ab Decurionibus.

Ad tutelam tantummodò Vrbis vrbanus miles adhibeatur.

Ciuitas legionibus imponet Tribunos.

Tribuni creabunt minores Praefectos.

Si Ciuitati relinquitur onus armandi legiones, quae subsidia peteret

Exactio aliqua capitum & ostiorū sibi concederetur.

Clerici in partem oneris vocarentur Eminentissimo cōsulto Archiepiscopo.

Immunitates & praerogatiuae huiusmodi militibus

Exercitio militum ea tempora diesq; eligentur, ne abducatur ab opere Plebs.

Extra vrbis moenia Militares decursus sint.

Dimensa panis ex regia pecunia dabuntur huic vrbano militi. Quo in casu.

pertinebunt ad ſtatum & ordinem, diſciplinamque militiae deſcribet arbitratu ſuo, moderabiturque Ciuitas; niſi ſi quid ſecus Excellentiſs. Gubernatori viſum placitumque erit. Ediderant haec capita Decuriones. Gubernator neque probabat omnia, neque improbabat: atque conſiderata capitum horum ſerie, circumſcripſit & addidit, mutauitue nonnulla, ità ſcilicet, vt interpretari potius, quàm expungere, ac repudiare videretur. De numero militum ità definiuit. Sex millia vt minimum eſſent: aequabiliter è ſex regionibus Vrbis eligerentur: nam ità factitatum eſſe etiam olim, cum huiuſmodi tempora militiae incidiſſent: portaſque ſingulas tunc duces habuiſſe ſingulos, & Tribuni vocitati fuere: poſſe & hodie id ità ſeruari fierique: poſſe in ſingulas portas, regioneſue Vrbis nominari Viros, peritia belli, & natalium claritudine praecipuos: atque ex his deinde eligi ſingulos, qui ſuae regionis militiae praeeſſent. Militiae verò vniuerſae regimen melius fore penes vnum nominandum à Ciuitate quidem, Gubernatore verò eligendum, & alia deindè nonnulla huiuſmodi deſcripſerat ſubieceratque Gubernator veluti corollaria ſiue interpretamenta Relationi Decurionum. Sed dùm conſultantur diſponunturq; iſta, repentè affertur, Gallos ab altera parte, Duce Crycquio irrupſiſſe in Prouinciam, traiectoque Ticino, proxima, dein vlteriora vrere, excindere, depraedari, ad Vrbem haud dubiè ipſam

Omnia quae pertinebunt ad diſciplinam militiae huius, Ciuitas ſola moderabitur.

Quid ſenſerit Gubernator ad huiuſmodi poſtulata Ciuitatis.

Sex millia militũ vt minimũ eſſent.

E ſex Regionibus Vrbis eligerentur.

In ſingulas Portas regioneſue ſtationes fierent.

Peritia belli & natalium claritudine praecipue eligendi Duces.

Totius militiae regimen melius fore penes vnum nominandum à Ciuitate à Gubernatore eligendum.

Dum conſultantur diſponunturque iſta, Galli in Prouinciam irrũpunt traiecto Ticino.

Violentia Gallorum & rabies.

ipſam populationis ordine ſimul & impetu ſuo ferri id terribile agmen miſtum ex Gallis foederatiſque Gallorum Sabaudo & Parmenſe palam. aliiſque per occultum, ſicuti de eo aduerſus rem Mediolanenſem inito foedere, foederiſq; exitu poſteà exponam. Ad primos huius rei nuntios, ſtrepitumque repentinum, metus in Vrbe fuit qualis eſſe ſolet, cùm vltima inſtant: & non plebs modò prona ſemper ad deteriora credenda terroreſque augendos, ſed primores etiam conſternatione penè plebia moti turbatique ſunt. Nunquam ſalua vrbe tantum pauoris tumultuſque intra moenia Mediolani fuit. Multi ex Patribus, & Optimatibus in Magni Cancellarij domum conuenerant, neque ita facilè expediebant, quid tanto in tumultu eſſet faciendum. Adeo timor, & metus cum ſtupore ac miraculo torpidos defixerat. Aſſueuerant longae felicitati à Philippo Secundo partae, quae fermè ſeculum durauerat, cum Areſius Praeſidis Comitis Iulij filius negat conſilij rem eſſe tunc, audendum atque agendum non conſultandum ait in tanto malo eſſe, irent ſecum extemplo. Conſcenſo equo cum multis alijs proceribus ad ſedandos tumultus in vrbe, diſceſſit. Et iam globi iuuenum armatorum Areſio ſe adiungebant ad omnem fortunam pro Vrbis, & Patriae incolumitate, & Catholici Regis Domini noſtri Maieſtate ſubeundam. Frequentiora Metropolis loca circumequitans laeto ore

Ingens in Vrbe timor.

Non plebs modò ſed Proceres indecora conſternatione moti ſunt.

Procerum ac Principú Vrbis timor.

Expeditum Combare Areſij Conſilium.

Tumultus, & metus compoſit.

Circumequitat frequentiora Vrbis loca.

Cunctos ciues animat.

cunctos animans, discrimen rara cum prudentia eleuans, haud dubiè vrbis salus ea nocte fuit. Vt verè illud ab omnibus dicatur, eius sapientia & ingenio, & magnitudine animi nihil neque maius, neque sublimius apud Insubres repertum esse. Atque Catholica Maiestas, vel hoc vno tanti viri famam testata est, quod vix dum trigesimum annum egresso, Reipublicae penè summam, Rerum capitalium Praefecto, Quaestori dein, Senatori, mox Praesidi mandarat, atque per omnes gradus extulerat in locum fere Patris. Magnus Cancellarius venit in publici consilij Aulam, ostenditque Decurionibus, in quanto res discrimine esset: ac deinde cum ordine ipso, quaenam subsidia forent, inquirendo exsequebatur. Dixerat primò, opus esse quingentorum equitum numero, circumferri arma per campos Vrbi subiectos ad VIII. vsque decimumue lapidem quacunq; occursare signa aliqua hostium possent. Ad caetera, quae in tali discrimine ac tumultu prouidenda, siue agenda forent, ius authoritatemque supremam, & arbitrium omne Decuriones permisere Vicario Conseruatoribusque, vt ij scilicet sex è suo numero, totidem è reliqua nobilitate, militares viros eligerent, penes quos custodia & tutela Vrbis. Crescebat in singula momenta tumultus: nuncijque subindè noui aderant afferentes Gallici agminis itinera, direptiones, & incendia locorum, & agrestium fugam quacunque incessisset

Magnae Viri dotes.

Catholici iuditium de Aresio.

Summa ferme Reip. illi, iuueni mandat.

Magnus Cancell. in publici Cōsilij aulam venit.

Quae diceret ac persuaderet vt tanto discrimini occurreretur.

Ius authoritatemq; supremam permisere Decuriones Vicario, Cōseruatoribusq;

Crescit in singula momenta tumultus.

fiſſet hoſtis, ſiuè ſubſtitiſſet: In forum, ad Palatij ſcalas, in publici Conſilij Aulam nobiliſſimi quique tendebant ſi quis operae ſuae foret vſus enixè offerens haud alio vultu quàm ſi expoſcerent praemia & gloriae partem. Circumſteterat & propria caterua Vicarium: atque in omnes partes eum ad haec turbulenta negotia comitati per totum diem, hora noctis ſecunda deduxere in Aulam. Ibi miſſo viatore acciti magiſtri, ſeu capita Artificum qui plebem ferè vniuerſam per tabernas & vexilla deſcriptam continent: mandatumque his, vt homines ſuos mitterent ad excubias & ſtationes ternis in orbem horis circum moenia agendas. Ea ſubitaria fuit cuſtodia donec iuſti praeſidij ſpecies adornaretur. Ad III. Idus Iunias acta haec erant. Poſtero die manè congregati Conſeruatores elegere XII. Viros, qui cuſtodiae Vrbis praeſidere deberent, quibuſue eius negotij cauſa Imperium & ſumma poteſtas eſſet. Vt nunc quoque noſcantur, fuere Marchio Ioannes Maria Vicecomes, Comes Iacobus Mandellus, Odoardus Cruceius, Comes Ambroſius Rabia, Hieronymus Legnanus, Marchio Franciſcus Brippius, Comes Franciſcus Abdua, Auguſtinus Caimus, Vercellinus Maria Vicecomes, Chriſtophorus Carcanus, Antonius Rainoldus. Primi nobilium, aut certè de primis iſti erant, quibus id munus iniungi poſſet. Ad cuſtodiam & clauſtra portarum ſtatim adiecere animum. Alias firmauere cancellis

Ingens alacritas Procerum ac Decurionum in tanto diſcrimine & conſternatione Vrbis.

Vicarij per ea tempora ingens ſollicitudo.

Prouiſos militares Decurionum.

Iubentur ab Vicario excubiae, & ſtationes ternis in Orbem horis circum moenia.

Conſeruatores elegere XII. viros, qui cuſtodia Vrbis praeſidere deberent.

Nomina procerũ recenſentur, penes quos in Vrbe ſumma poteſtas fuit.

Ad clauſtra Portarum adiecere animum.

Quae munimenta fecere.

aggerumque obiectu: alias in aedificari obstruique iusserunt, quò facilior in caeteras cura esset. Eas, quae apertae relinquerentur tuendas, inter se diuiserunt. Ad facienda opera vicesque stationum obeundas vicatim edixerant quot adesse singulis diebus oporteret: in eos, qui detrectarent imperium, segniterue agerent, authoritate Principis indictae poenae erant: strenueq; ità & in muros vndique ibatur à Ciuibus, & noua munimenta excitabantur, quae mox in exitu stetere. Approperabantur enim etiam magnitudine periculi, & propiore in dies incessu Gallorum, qui occupato Fontaneto, & capta illic haud obscuri nominis arce, iam ad verbani Arcem Aronam infesti subibant, & depressis nauibus iunxerant ponte Ticinum, traiecerantque flumen vti dictum est, & victoriae cursum vnà cum agmine extendebant. De his rebus ad Gubernatorem scripsere Decuriones: & sicuti promptas ad omnia Reipub. opes, animosque ciuium ostenderant: ità exposcebant vt periculo tanto Vrbis adessent Regia arma, in quibus vnica salus. Scripserant haec, simulque exposuerant, & quas Vrbi custodias, quae munimenta portis addidissent, & qualia deinceps, etiam pararent. Rescriptum à Magno Cancellario est: fidelissimam semper Catholicae Maiestati fuisse Ciuitatem, neque in vlla vmquam offitij obsequijque parte cessauisse Mediolanenses. Id munificentissimo potentissimoque Regi cordi futurum, vt

Portae nonnullae obstructae, quo consilio.

Ad facienda opera vicesque stationũ edixere, quot adesse singulis diebus oporteret.

Detrectantibus Imperiũ authoritate Principis indictae poenae.

Noua munimenta vbique excitãtur.

Galli Fontanetũ occupant.

Ad Aronam infesti subeunt.

Iungunt ponte Ticinum.

Scribunt in castra ad Gubernatorem Decuriones. Earum litterarum exemplar.

Quid rescripserit Magnus Cancell. fidelissimae Vrbi.

vt intelligat Ciuitas perinde ac debeat, gratum sibi esse aestimarique suis momentis. Ad Gallum hostem quod attineat, ita per caeteras Imperij partes prospere cuncta succedant, vti pro certo habeat Excellentissimus Prouinciae Gubernator Marchio de Leganes, nihil ab hoc hoste fore periculi, & vti speret, Gallos hosce poenas suae temeritatis propediem esse daturos in eadem terra, quam rapinis nunc, sed & cadaueribus semper anteà suis impleuissent, tridui siue quatridui spatium superesse non amplius: & parari pugnae discrimen, vnde parem maiorum suorum cladibus exitum Gens ista haberet. Porrò quò alacrior in pugnam eat miles constituisse Gubernatorem diuidere legionibus aera aliqua viritim atque id victoriae instrumentum prouisum iam animo destinatumq; habere. Nec tamen in praesentia posse haberi nisi Ciuitas assueta benemereri de suo Rege, ad caetera egregia hoc etiam addat. Quadraginta millibus opus esse, Summam eam alicunde expedirent, depromerentue statim, ante discriminis nempe diem, quae dies iàm iamque adesset: nec posse differri. Ac ne Ciuitas detrimenti quicquam inde acciperet, promptum fore vectigal, quod in oliuae libras imponeretur. Inde sortem simul & vsuras posse persolui ijs, qui pecuniam Ciuitati credidissent, nec detrimento, nec fraudi rem eam fore Reipub. Mediolanensium: memoriam verò obsequij sempiternam in

Quadraginta millibus nummû aureo Gubernatori opus esse ad profligandos hostes litterae claudebant.

Ne Ciuitas detrimenti quicquam acciperet, promptum fore vectigal quod in Oliuae libras imponeretur.

in animo Regis; qui Maximi cognomentum etiam ob munificentiae magnitudinem obtineret. Digna res visa Consilio, ob quam experirentur etiam vltima Decuriones: negotiumque dedere selectis, vti de ea pecuniae summa foeneratores vrbanos appellarent, & Reip. nomine fideiuberent, ac Principi vtrique satisfieret. Caeterùm, dum accingitur Gubernator ad Virorum armorumque discrimen, vt ausos Prouinciam alienam irrumpere Gallos, cum clade domum retrò compellat: dùm pecunia apparatur, sine qua torpent arma Virique: dum caetera in tanti discriminis aleam consilia disponuntur: Vrbsque tota praesertim armatur aduersus imminentes iam haud dubiè Gallos iam suburbana penè castra vicesimo non amplius hinc lapide habebat hostis. Munierant valido praesidio Fontanetum, praeter loci opportunitatem, ira etiam accensi, quod Magister equitum Toiras cognomento, dùm ad fenestram ibi staret intentus in tela simul & opera suorum ceciderat agrestis vnius ictu, qui fistulam temerè disploserat in conspectum id sibi fortè caput: eaque res, non modò caeteros Duces, & capita exercitus, sed exercitum vniuersum, prout erat ingens virtus & fama Viri cōmouerat. Ab Fontaneto breue cursim permensi iter, peruenerant illùc, quà Ticinus immittit alueo finitimo vndas, vt pari secum obsequio ferat naues, inseruiatq; commercio rerum omnium, quas euehi siue importari

*Annuunt Decuriones.*

*Quanti momenti sit pecunia.*

*Vrbs tota armatur aduersus imminentes Gallos.*

*Vigesimo nō amplius lapide distabat hostis.*

*Fontanetum muniuere Galli.*

*Agrestis vnius ictu cecidit Magister equitum Toiras.*

*Ab Fōtaneto peruenerant hostes illùc quà Ticinus immittit alueo finitimo vndas.*

portari

portari pertinet ad alimenta & cultum magnitudinemque Ciuitatis. Ibi rupta mole, quae separat impertitque aquas, exhauserant repente siccauerantque fossam. Vnde terror Ciuitati ingens, & cum praesenti damno metus quoque maior in posterum, ob agrorum nempè squalorem, quos frequentes euripi passim, toto quantum spatio fossa decurrit, rigant. Abscisaque in hunc modum aqua, & penè abscisa spe alimentorum vrbi, cum tumulum in vasta planitie leniter à terra eminentem castris elegissent, eumque vallo & fossa, & omni munimentorum arte firmauissent, circumdederant alia munimenta Campis: & posita velut arce illic, in omnes partes arma circumferebant, nulla re magis alia cohibiti quàm euagationibus ipsi suis, quominus etiam ad Vrbis moenia excurrerent. Vagabantur ab vtraque Ticini parte, hinc vlteriore Sabaudus, hinc citeriore Crycquius, disiectique populabantur. Ad Angleriam & Aronam claustra verbani tentanda subire voluerant: sed deterriti praesidijs, & excubantium ibi Borromaeorum cura, rapinis & incendijs haeserant rursus, atque rei gerendae tempora latrocinando consumebant. Etiam orta inter eos discordia infregerat foederis vim offenso, & alienato Parmae Duce, qui ob non habitum sibi honorem locumque denegatum, quem in exercitu tribui sibi debere contenderat, coniurationi iratus abierat repentè domum. Abierat arcto miseroque

Rumpunt molem hostes, quae separat impertitq; aquas

Siccauere Fossam.

Quantus terror ab hoc Ciuitati inhabuerit.

Quas ob causas.

Tumulum vallo & fossa muniuere ibi hostes.

Hoc freti in omnes partes arma circumferebant.

Cur ad Vrbis moenia non excurrerent.

Sabaudus, Crycquius diuersi populabantur.

Aronam tentare volunt.

Deterrentur excubantium ibi Borromaeorum cura.

Parmensis Dux alienatur ab Foederatis. Cur.

*Arcto comitatu abijt Parm. Dux.*

miſeroque comitatu cum ſeptem haud amplius amicis, & qui nuper, cum magno ſplendore magnificus veniſſet, fugienti nunc ſimilis, capto per Liguſticam viam ambitu confuderat veſtigia fefelleratque ſecuturos.

*Confundit veſtigia ne ei ſequerentur.*

Guzmanus hoc tempore ad Beatum Pingue (id loco nomen ob laeta circum arua vbereſque agros) ſtabat magno operi intentus, vt ſcilicet imponeret foederatis hiſce cladem, cuius, foedera in poſterum omnia meminiſſent.

*Guz. ad Beatum Pingue ſtabat quid meditaretur.*

Praemiſſo ad reprimendos pauliſper conturbandoſque hoſtes Aragonio cum equitibus quadringentis: accerſito Neapolitano equitatu, quem inclyti nominis Gambacurta ductabat: coacto inſtructoque toto exercitu, prout inſtructum diſpoſitumque eſſe voluerat, ab eo, quem dixi loco mouet, ac lento procedit agmine vt Neapolitanorum aliquot turmae, quae nondùm aderant, ſubſequi & coniungi ſecum poſſent.

*Praemittit Aragonium, & Gambacurtam.*

*Lento procedit agmine Guz, quo conſilio.*

Quo audito motu, Galli ab Angleria & Arona retrò conuertere agmen, & omiſſa circa Verbanum praeda vaſtationeque agrorum, & villarum incendijs, ad Tornauentum in caſtra ſe ſe recipere maturarunt, quà tumulus ille ſubiectam planitiem latè deſpectat: planitieſque ipſa tota hoſtium erat: & caſtra penè maiora dici haec poterant, vnde in minora ſed tutiora illa receptus.

*Hoſtes ab Arona Tornauentum in caſtra ſe ſe recipiunt.*

*Situs Caſtrorum hoſtium.*

Succedunt & noſtri illùc atque ad X. Cal. Iulias exercitus vterque fuere in conſpectu: Galli quidem intra munimenta aggereſq; ſuos: noſtri verò campis adſultantes.

*Vtrique exercitus in conſpectu fuere.*

*Amborum diſparitas.*

Moram

Moram certamini afferebat haud parui vtrinque momenti impedimentum, & pariter ambobus expectata, pariter necessaria res. Exspectabant Galli, dum Sabaudus traijceret perfecto Ponte Ticinum, seque coniungeret: nostri antequam vniuersum Neapolitani equitatus peditatusq; robur adesset, rem in discrimen dare non audebant. Sed Neapolitani quidem mox aderant: nocturnusque Gambacurta cùm ad Guzmanum accessisset, grande Principi solatium fuit. Gallis non item ex animi sententia succedebat, vt iungeret Sabaudus Ponte Ticinum, sociaque arma venirent: eaque inchoati operis moles, dùm erigitur, dùm impeditur, dùm procedit, corruitque rursus, nox vna continuata diei est. In eo rerum articulo, censuit Guzmanus, non dandum spatium esse hosti, vt pons denique staret, copiaeq; dissociatae redirent in vnum, nec erat copia pabuli equis in sterili & arido circa solo: & poterant è superiore loco nostros incessere Galli, si multa sibi aequa, nobis iniqua respexissent. Habebant ab laeuo latere fossam, cui Panis Perditi vocabulum militaris fortasse lasciuia olim indiderat ex eo, quod in nullum vsum magno legionum labore excauata esset. Ab dextera parte sylua editis in altum ramis, & condensa arboribus assurgebat. Tegebant terga aquae decurrentes alueo nauigabili, tectaque ipsa agrestium, vnde Tornauenti pagus. Sed nulla erant munimenta validiora illis, quae sibi circumdederant

Neutri tunc dimicare volunt.

Hostes exspectabant, dum Sab. traijceret Ticinũ perfecto Ponte.

Guz. Neapolitanum equitatum morabatur.

Haud ita facilè Sab. explicat Pontem.

Guzmanus censet non dandum esse spatium hosti.

Quae in hanc sententiam inclinarent Guzmanum.

Situs & Positio Castrorum hostium.

Loci natura & aggerum obiectu egregè firmati hostes.

Guz. statuit non esse differendum summae rei discrimen.

hostes addiderantque loco. Ità loci natura simul, & aggerum obiectu firmabantur. Guzmanus, posteàquam adhibitis in Consilium Melo, & Spinula, statuerat, non esse differendum summae rei discrimen, adhortandorum militum causa ordines inter equitans, non solita illa Ducum,

Ordines inter equitat Guz. adhortandi militum causa.

Quae diceret Guz. animandi militis causa.

Magnitudo Catholici Regis.

" semperque repetita disserebat: sed tantum-" modo monstrabat exercitui ad caedem stolidos " eosdem trepidosque Gallos, qui Regna inua-" dere aliena ausi, spem in latebris atque in con-" gerie terrae posuissent, & delegata tumulo " tutela salutis, clausissent sibi exitus ad fugam: " starent ab ope mutua dirempti, coniuratumque " secum vna Sabaudum, exercitumque eius ad-" spicerent nequicquam foederata arma interiecto " amne, ostentantem negantemque simul. Horum " caede sanciri nobile exemplum, ne qui posteà " Gentis eius irrumpere Prouinciam ausint. Ità " futuros Italiae liberatores, habiturosque hono-" rem tituli eius, qui primi abditum hunc & paui-" dum intra claustra sua hostem ad certamen eli-" cere potuissent. Proinde accingerentur, succe-" derentque & conuellerent, siue scanderent " aggeres illos pauori latrocinioque & praedae " circumdatos. Non certamen inde, sed victoriam " atque ob id meritum laturos esse praemia ampla " ab Rege, cuius magnitudo tot millia mortalium " quotidie pasceret, ac ditaret ornaretque. Aie-" bat Guzmanus Imperator talia Ducibus prae-" fectisque suis, vt ad quemq; peruenerat: hique

subinde

ſubinde ad milites praefectoſque minores eadem hortamenta tranſmittebant. Et accenſus iam ſatis ſua ſponte erat miles: & hiſce dictis accendebatur magis: ardenteſque cupidine pugnae, ſignum expoſcebant: ac ſi differetur, antecapturi vltro, ſubituri que videbantur. Manipulus fiſtulatorum vnus fuit, qui non expectato ſigno, ab ſtatione ſua egreſſus ad ipſa Gallorum munimenta pleno gradu ſubibat. Hos ſtatim ſubſequuntur Hiſpani, Germanique & Itali fiſtulatores vniuerſa primi agminis armatura generis eius: tantoque impetu incurſauere iſti, vt exteriore orbe munitionum, haud tamen incruento certamine potirentur. Confligitur viribus deinde totis, effundente ſeſe deinceps ad caſtra Gallorum reliquo noſtro exercitu, & coactis obuiam exire Gallis, cùm velut in cubilibus depraehenſae ſuis ferae beſtiae terrore ſimul rabieque agitarentur, & oblatum repentè certamen, nec detrectare, nec ſuſtinere poſſent. Plurima circa aggerum cumulos eſt caedes, quos & diſijcere noſtri, velut impedimenta victoriae nitebantur, & defendere Galli, ceu praeſidia ſuae ſalutis volebant. Iàm in media Gallica caſtra pugna peruenerat: iàm Gallis permixti noſtri Collem obtinebant: ipſeque Guzmanus voce, manu praelium ciens, etiam in medio illo

Accēditur his hortamentis magis, ac magis miles.

Signum expoſcūt milites.

Fiſtulatorum manipulus non expectato ſigno munimenta Gallorū ſubit.

Hiſpani, Germaniq; & Itali ſequuntur hos.

Potiuntur exteriore orbe munitionum hoſtium.

Totis viribus confligitur.

Coguntur obuiā exire Galli.

Pulcherima ſimilitudo.

Plurima caedes circa aggerū cumulos.

In media Gallica caſtra pugna peruenerat

Guzmanus in medio illo feruore voce manu omnium in ſe oculos auertit.

illico feruore pugnae auerterat in se oculos, nec magis agitatio anceps telorum atque gladiorum adspiciebatur, quàm inter gladios & tela ille pernicitate equi & robore suo volitans. Pugnatum est ab matutino tempore ad secundam vsque vigiliam: & treis illae nocturnae horae plura bellicae virtutis facinora ediderunt, quàm dies penè totus, imò, quàm praelia aliquando tota dedere. Ab sarissis & pilis glandiumque iactu ad mucrones ad manus adducta res erat. Tunc si vnquàm alibi aliàs, ille certè Collis, tenebraeque illae (nam & luna fortè pernox erat) ostendere potuerunt, cuiusmodi sit perpetuum ac natiuum & immutabile illud, quod Gallos inter & Hispanos accendit odia diramq; sirim. Simul huius Italiae cum vicina Gallia dissidium, & bella insita naturae spectari potuerunt. Nam non modo vltra solitum gaudebat caedibus miles: sed non contenti obtruncasse dedentes etiam se se Gallos, addebant vulnera corporibus exanimis: membra lancinabant excarnificabantque capita, quae posteà passim reperta sunt naribus auribusque decisis, vulnereque inhonestiore, punita, truncata, foedata. notabatur pars alia corporis, quippè accedente ad odium etiam ira & contemptu, quod inhonestè adeò, turpiterque per Monasteria Virginum perque maritas domos, Galli egissent. Nec fuerat ludibrijs hisce modus si foret satietas & licentia permissa militi. Timuere Duces, ne voluptas

Inter gladios & tela, volitat Guz.

A matutino tempore vsque ad secundam vigiliam pugnatum.

Ab sarissis & pilis ad mucrones ad manus adducta res erat.

Immutabile est illud, quod Gallos inter & Hispanos accendit odia.

Italiae cū vicina Gallia aeternum dissidium.

Gaudet caedibus miles.

Foeditas vulnerum.

Descriptio stragis.

Cur tantum saeuiret miles Gall.

voluptas ea militum aliena tempori esset, & dum expletur ira, victoria impediretur. Itaque vetuere vltra mutilari foedariue quemquam. Satis vltionis, satis etiam exemplorum in hostium internecione & caede. Caesi sunt praefecti ducesue Gallorum amplius centum. Inde minoris turbae numerum facile coniectaueris Deleri tamen haud dubiè potuere omnes, nisi hinc noctis iàm obscurum, hinc nostrorum quoque defatigatio tenuisset Ducem. Pugna tamen aliquandiù steterat anceps & manibus aequis penè Galli dimicauissent, nisi ea, quae demonstrata est, ira rabiesque nostrorum, & pugnandi ordinem ipsis, & animos mentemque abstulisset. Ac traiecto demùm interim amne Sabaudus in eo discrimine superueniens quasi restituerat pugnam, vnamque legionem ab effusa fuga compulerat retrò in praelij locum, & capto repentè impetu ferox, validissimè incubuerat nostris, cùm animaduerso discrimine Gambacurta dedit impetum: impleuitque rursus terroris & fugae Gallos: nec ipse euasit. Plumbeo missili duo in pectore vulnera acceperat: atque edito vltimo illo Virtutis facinore cecidit: famaque Virum eum secuta est, quasi nullum aliud eo praelio damnum nostri accepissent, cum tamen & alij fortissimi Viri desiderati sint. Haec est nobilis ad Tornauentum pugna maxima Guzmani operum in Gallos. nisi si potius diuinae iustitiae telum dici debuerit ob iniurias infandas, quibus sacra omnia

Guz. iubet parci caedibus, & irae. Quo consilio.

Mortuorum Ducum Gallorum numerus.

Poterat ea pugna deleri hostis. Quid obstiterit.

Quid pepererit nostris Victoriam,

Traijcit amnem in eo discrimine Sabaud.

Restituit quasi pugnam.

Validissimè nostris incumbit.

Gambacurtae ferocia.

Plumbeo missili cadit lātus miles

Quid auxerit famam Gambacurtae.

Iustam ob Numinis iram tam aduersa Gallis pugna haec acciderat.

Secundae vigiliae Principium finem pugnae fecit.

nia profanauere, cùm in caeteris rebus, ne belli quidem, & hostium vlla iura seruassent. Ab secundae vigiliae principio hunc ferè praelio finem fecerat, in nostra quoque parte virorum equorumque lassitudo, mansere reliquiae infelices in Colle eodem ad lucem vsque primam, magis necessariae quietis causa; quàm quod tutam sibi quietem illic esse posse sperarent.

Luce orta reliquiae infelicis exercitus discedunt.

Luce orta, relictis procerum quoque cadaueribus, & relicta omnis generis praeda, cui cadauera ipsa super strata iacebant, digressi inde, ad aquam, ad pontem funesto agmine ibant, victoriae penè instar existimantes, si transire Ticinum possent: & transiere Sabaudo & Crycquio ducibus ijsdem, quos duces ad maiorem verioremque victoriam sequuti erant: quorum auspicijs despo nderant sibi ad praedam Mediolanensis agri diuitias, & opes vrbemque ipsam. Nunc irati ducibus, irati miserijs suis, moesti simul, & insensi abibant superstites pugnae, ex qua euadere potuisse, summum virtutis opus flebiliter inter se gratulantes, fuisse aiebant.

Quid victoriae loco existimauerint Galli.

Despo nderant sibi ad praedam Mediolanensis agri diuitias & Vrbem ipsam. Irascuntur Ducibus Galli.

Quod si non fessum nocturnae simul & diurnae pugnae labore militem Guzmanus habuisset; si non adeò ieiuna corpora etiam equorum fuissent, vt ne quieto quidem & modico itineri sufectura viderentur: fuerat animus insequi, nec absistere, donec trucidati vniuersi deletique forent. Traiecto igitur amne, & repetita vnde venerant regione, vagati paulisper sicut anteà

Quare Guz. abeuntes hostes nō fuerit persecutus.

per totam illam Verbani oram, nunc Aronae, nunc Angleriae, nunc Arci rurſus vtrique minitantes, reiecti vndique & confuſi atque irriti, loca dein procul alia petiuere, quà ſcilicet terror eos, & trepidatio, ſiue ſpes aliqua rapiebat. Pauci poſteà fuere dies, & fama ſtatim in Galliam ad Regem nuntijque peruenerunt de re per Italiam geſta infeliciter, caeſoque ad Ticinum exercitu maiore damno, quàm quanta cum ignominia dux alter & pars altera virium ab Leuco receſſiſſet terroribus tantummodo ſuis, & agreſtium adſpectu, qui in oppoſita Abduae ripa minaces armatique conſtitiſſent. Ità diſſolutam eſſe machinationem, & eluſa conſilia pulcherrimi inuenti, vt duo clariſſimi duces, duo fortiſſimi exercitus ab diuerſis coorti partibus conuenirent in vnum, agroque peruaſtato aſſumpta ſecum, vti ſperatum creditumque fuerat etiam indigenarum turba ducerent ad capiendam obſidendamue Vrbem. Et Dux ille Rhotomagi quidem in ipſo irritae expeditionis articulo, ſicuti dictum eſt, ſcriptis in Aulam litteris, & neceſſitate ſui abſceſſus teſtato expoſita ſatiſfecerat vtcunquè Regi, credideratque confutatam eſſe ſuſpicionem, ſi qua animis ſediſſet. Iſti verò Crycquius & Sabaudus, tamquam Rei proditionis agebantur: vel certè reus tamquàm & accuſator, ex longinquo cauſam apud Regem vterque dicebant, culpamque cladis alter in alterum reijcere voluerunt anteà quoque con-

flictati

Aronae Angleriae nequicquam minitantur.

Ad Galliae Regē nuntium peruenit de re infeliciter geſta.

Diſſoluta eſt machinatio & eluſa conſilia hoſtium.

Rhotomagenſis Dux ſcripſit in Aulam neceſſitates ſui abſceſſus à Leuco.

Crycquius & Sab. tanquā rei proditionis agebantur.

Alter in alterum reijcit culpam.

flictati vterque discrimine siue ludibrio hoc, & sinistris de se opinionibus hominum; ille quasi Regis sui Maiestatem & mandata violasset: hic quasi nec sacra foederis, nec officij leges, nec obsequij fideique constantiam seruare didicisset erga Regem, quem relicto potentiore & proximiore Rege ad cultum atque clientelam sibi delegisset. Scripserat Crycquius in Regiam: causas & initia malorum omnium esse penes Sabaudiae Ducem hunc, cui Rex Imperij summam, & summae rei spem ac sua arma crediderit. Huius recusatione & arte consilijsque occultis fuisse effectum, ne exitus haberetur allaturus Gallico nomini gloriam sempiternam, & Insubriae totius Imperium. Potuisse ante Tornauenti pugnam ab Olegij traiectu rectà ad moenia Vrbis Mediolani duci exercitum nulla adhuc clade diminutum, sed aut victorem iam, aut victoriae spe vincere paratum. Potuisse post cladem etiam ab Tornauento recolligi vires, insistique vestigijs Hispanorum, qui prospero vno successu contenti retrò concederent in loca amoena, neque pensi quicquam vltrà haberent. Omissa; corrupta esse omnia per Sabaudum eumdem, qui specie quidem ac titulo Galliae Regi foederatus, verè autem obnoxius obaeratusque Hispano, non modo ancipitem maiorum suorum ritu animum inter hosce duos gerat, sed simulatione foederis in partem vnam alteri inseruiat, remque Gallicam nunc ità pessum dederit.

In quo vterque peccasse dicebantur.

Quid scripserit Crycquius in Regiam.

Perstringit Sab.

Quae

Quae iacta in se crimina Sabaudus confutare volens, defensione hac vtebatur. Veterem suae Domus inimicum esse Crycquium: atque repetebat vetera & nota illa certamina, & sequutam ex prouocatione caedem. Cuiusmodi autem fuerint ista quae Sabaudo obijciebantur vera scilicet, an falsa nihil sanè comperti habemus; ac proindè in suspenso nobis ea relicta res sit. Caeterum, dùm bellum ità geritur: dùm omnia tentant; dùm profligantur vndique hostes: & dum stant magna cura erecti omnes, quà fortuna victoriam det. Et quem negotia ista exitum habitura sint; Mediolani praesertim, sicut referre institueram, intentis Ciuium animis in vltimum discrimen, partim apparata iàm omnia erant, quae possent absterrere hostem, partim apparabantur adhùc: & semper inimica Gallo Ciuitas nihil satis vmquam, neque consultatum atque prouisum, neque munitum existimans, nouas subinde consiliorum vias, & nouas operum atque munimentorum moles hoc tempore exequebatur, haud aliter, quàm si ad Tornauentum fortuna pro hoste stetisset. Rerum diuinarum in primis habita cura: & supplicatum ad praecipua Templa Deo Opt. Max. Virginique Deiparae, vt suam hanc Vrbem, suumque populum sospitare semper velit: atque hinc procul arcere Gentem, quae nihil sacri, nihil pudici relinquendo nuper, metum attulisset de sum-

Scriptoris iudiciū de obiectis Sab.

Ciuium Mediolanēsium intentissima cura in hostes.

Inimica semper Gallo Ciuitas Mediol.

Nouas munimentorum moles exequitur.

Rerum diuinarū habita cura est.

Vota Ciuitatis & preces.

ma ſacrorum honeſtatiſque totius, ſicuti praeſenti eius Numine felici noſtrorum pugna coerciti fuſique Galli eſſent: ità totam de hoc hoſte victoriam ipſa praeſes tàm deuotae ſibi Ciuitatis, atque tot ſacratarum in ea Virginum duci Regi, & exercitui, Ducique qui hoc pro Religione bellum gerat: Cum hac precatione ſupplicatum ibant: flagrantiorque ſupplicatio erat apud ſuos cuique penates. Et incredibile fortaſſe dictu, ſed compertum vtique nobis: faciebant ſinguli vota: caſtius innocentiuſque victuros, ſi conſeruata patria ſi procul in perpetuum hinc emoti Galli forent. Quaedam etiam publicè ſuſcepta vota ſunt: vt recitarentur Roſaria Deiparae Virgini certis diebus: vt Diui Dominici dies anniuerſaria celebritate recoleretur: & decreta pecunia è publico, tùm ad manes mortuorum piè expiandos: tùm ad collocandas in matrimonio puellas, quarum pudicitia ob egeſtatem in ancipiti eſſet. Neque inter haec omittebatur cura humanitatis & officij: litteraſque ſcripſere Decuriones in caſtra ad
„ Guzmanum haud minus honorificas in Prin-
„ cipem, quam ſi tota ab ſedibus ſuis excita Ciui-
„ tas, ob caeſos fugatoſue hoſtes venerabunda
„ gratulabundaque acceſſiſſet. Inerat teſtificatio
„ publicae obſeruantiae erga pia ſemper haec &
„ iuſta Catholica arma, ſed & erga pietatem Im-
„ peratoris, quae ad militare robur arteſque mi-
„ litares adiuncta, noui cuiuſdam roboris & nouae

Singuli etiā ciues caſtius innocentiuſque victuros faciebant vota ſi emoti Galli eſſēt. Alia priuata alia publica vota.

Diui Dominici dies anniuerſaria celebritate recoleretur. Decreta pecunia è publico ad manes mortuorum piè expiandos. Ad collocandas puellas in matrimonio.

artis

» artis fuiſſet inſtar, victoriamque dediſſet. Hos
» eſſe ſenſus vniuerſae Ciuitatis. Ad apud Ge-
» nerale Conſilium, quod ſit nomen & robur
» authoritaſque Ciuitatis ipſius, in quo Decurio-
» nes & longa ſucceſſione propagata fidiſſima
» Regi nobilitas, tantò magis exhilaratos & re-
» creatos eſſe animos, quantò maior ibi ſolici-
» tudo pro dignitate Catholici Imperij, & pro
» ſalute Vrbis anteà fuerit Quicquid ibi virium,
» quicquid opum atque facultatum, publicè ſeu
» priuatim eſſe poſſit, enixè offerebant Maieſtati
» Regis armiſque & Imperio eius. Scripta ſicut
» retuli haec, perinde ac debuerant, grata fuere
Gubernatori: multumque ille Ciuitatis obſe-
quio delectatus eſſe ferebatur. Sed & prius
miſerat ille de parta victoria litteras in Vrbem
pari ſcriptas humanitate: nec ſine faſtu, qui
tanti praelij victorem deceret. Penè miraculo
fuit, quod hae laureatae litterae non & pecu-
nias ſubſidiaue alia ad reliqua belli perficienda
poſtularent: adhucq; Decuriones in extricanda
priore ſumma, quae petita fuerat, inter olei
libras, & vectigales aſſes cum multiplici rerum
difficultate luctabantur. Cardinali Triultio,
quòd is Ciuitati detuliſſet operam ſuam, ex-
poſuiſſetque Conſilio, nihil in ſe neque morae,
neque impedimenti futurum ad ea, quae pro
ſalute Patriae ſibi obeunda mandarentur, gra-
tias egêre cum tanto honore verborum, quan-
tum id in tali tempore ſolatium praeſidiumque

Qui eſſent ſenſus Conſilij Generalis ab Tornau. Victoria.

Gratae fuere literae Guber.

Miſerat ille prius litteras de parta victoria in Vrbē.

Quae res fuerit miraculo.

Decuriones inter olei libras, & vectigales aſſes adhuc luctabantur.

Card. Triultius offert ſe Ciuitati.

Gratias ei agit Ciuitas cum magno honore verborum.

Ramos Martis ex purpura Triuultij eminet.

„ fuit. Dictum inter caetera hoc. Eminere ex
„ purpura ramum Martis: Magni Iacobi stirpem:
„ facere Cardinalem: quòd Domui ipsius, quod
„ sacri honoris fastigio conueniat quod pro Re-
„ gali in eum munificentia debitum iustumque sit,
„ vt in sacrorum & Imperij discrimine deposcat
„ arma aduersus hostem, hostisque velit ipse esse
„ nomini ac genti Gallorum. Ituro ad arma

Reddere gratias Card. pars curarum publici consilij fuit.

Cardinali gratiae actae in hunc modum, parsq; publici consilij curarum fuit, vt honos hic ei haberetur. Vrbs lasciuiae sueta semper, modestiae intolerans, etiam vbi licentia castrorum absit, positis hoc tempore per compita castris, & vago per vias milite tantò magis nouo nunc iniuriarum genere vexabatur. Ei malo facilè subuentum est prudentia & moderatione procerum, qui castigando & minitando, & puniendo, fraena licentiae inijciebant. Intolerabilior alia erat insolentia Germanorum. Per municipia, per pagos, temulenti simul, & egentes, & vbertate terrae in auaritiam cupidinesque effusi debacchabantur, & tamquam ex hostico praedas agebant, nomine hospites & inquilini, morum ebrietate hostes. Sed hi quidem etiam agrestium saepè concursu pulsati & coerciti redigebantur intra rationis vtcunque gyrum, caedesque vel plagae nonnullorum, fuerant ad populares caetus documenta sibi quoque in alieno solo metuendum esse aliquid putarent. At quasi extra metum & periculum omne forent

Positis per compita castris, & vago per vias milite vrbano Ciuitas vexabatur.

Prudentia ac moderatio Procerum tanto malo subuenit.
Quibus artibus.

Insolentia Germanorum per municipia & pagos.

Agrestium saepè concursu pulsata, & coercita.

Salutare documentum.

rent praepotentes tribuni Gentis eius, ductoresue copiarum, ita quocunque deuenissent, imperabant tributa principum, irrumpebant tecta captiuos abducebant, & ipsis aliquando Magistratibus, praefectisue locorum iniecere vincula, siue clausos alicubi tenuere minitantes incendia, nisi allata coram, & numerata pecunia foret. Profectò Gubernatoribus principibusq; nostris erit semper hoc cauendum, ne nimium vmquam externi militis domi habeant, neue copias eiusmodi auxiliares ità figere in Prouincia pedem sinant, vt non & tamquam in hostes parata & munita omnia habeantur. Aduersus insolentiam igitur hanc importunitatemque Germanorum, quod absque vllo grauiore motu in praesentia poterat fieri fecere Decuriones, & simul Senatum, simul Gubernatorem super eo negotio adiere conquerentes, ad caetera mala Vrbis & Prouinciae accessisse nouissimè etiam hoc, vt crudelius infestiusque laceraretur ab auxiliaribus ipsa suis, quàm ab hoste lacerari potuisset. Itaque tempore eodem, & legatio Ciuitatis, & litterae Senatus perculerant turbauerantque Guzmanum velut subiecta oculis intuentem vltima prouinciae mala, si insultarent ità, & saeuirent ijdem i li, qui vindices atque defensores venissent ad id mercede conducti. Non tamen ei malo subuentum est, siue ipsa tàm ancipitis remedij difficultas obstiterit, siue instantior apud Principis animum cura de

Praepotentes Tribuni eius Gentis fermè imperabant tributa Principũ.

Quid agerent nisi numerata pecunia foret.

Saluberrimum Documentum scriptoris ad Principes nostros.

Senatum, ac Gubernatorem super iniurijs German. adeunt conquerentes.

Quae lamentarentur Decuriones.

Litterae Senatus & legatio Ciuitatis eodem tempore turbarunt Guzmanum.

Tanto malo non subuentur Cur.

summa

ſumma rerum , hoſteſque poſt cladem aut fugam concitati rurſus , & recollectis veluti viribus , nouo impetu minitantes . Afferebatur enim Rhotomagi Ducem, poſteaquam ab Leuco diſceſſiſſet, per Vallis Saxinae cautes remeare rurſus . & in animo habere traijcere ratibus Abduam , cernique pontis apparatum contra Olciniati turrim , quà committere amnem parabat. Nuntiabantur haec conſpiciebanturque ſimul . At parte ex altera Crycquius infeſtior praeſentiorque aderat , varijs hominum ſermonibus , & magna admiratione , vnde nam & poſt cladem apud Tornauenti nemora acceptam, exercitumque caeſum, noua arma , nouae vires, copiaeque nouae , & quod longe maximum habebatur , nouus in praelia animus repentè adeſſet . Veniebat recollectis vtcunque viribus , & diſpoſitis ità conſilijs, vt ſui nominis terrore rurſus omnia compleret. Ad animos ſibi conciliandos mitius tamen aliquantò verecundiuſque praedabatur . Statuerat intra Olonae conualles ſubſidere primò aliquantiſper, atque collocato illic exercitu , captaque ſede illa caſtrorum excurrere Modoetiam vſque, quod nobile municipium , decimo ab Metropoli lapide , Vrbis penè alterius inſtar eſt. Hinc magnum arduumque illud, ac ſi deſtinata ſucceſſiſſent , famae immortalis opus, vaſto ac praecipiti, ſiue potius deſperato animo coquebat, vt pergeret ire Mediolanum. Spem autem tantae

*Rhotomagenſem fert fama remeare rurſus per Vallis ſaxinae cautes, & alia dicebantur.*

*Crycquius magna hominum admiratione infeſtus adeſt.*

*Quid pareret admirationem.*

*Qua mente Crycquius veniret.*

*Mitius praedatur Cryc. ad concilian-dos animos.*

*Quae deſtinaret Crycquius.*

*Modoetiae laus.*

*Plane deſperato animo coquebat Gall. ire Mediol.*

tantae rei totam in dolore atque in aegritudine indigenarum ob tributa & onera ex vano conceptam ipſe habebat. Poſſe ad Gallica ſigna fieri concurſum ex agris: poſſe venire ex Vrbe in caſtra legationem, quae, vel Vrbem dederet ipſam, vel capiendae eius aliqua itinera doloſue monſtraret: poſſe verò interim etiam traiecto flumine Ducem alterum occurrere ſibi ad exercitus dexteraſque iungendas, ſicuti cogitatum à principio fuiſſet. Quae agitata ſic & diſpoſita apud hoſtem, quamquàm vti ſecreta premerentur, vulgauerat fama tamen detuleratque in Vrbem: & ſcripſere Decuriones ad Gubernatorem, prout alia quidem comperta haberent, alia verò ſuſpicarentur. Addebantque conſilium aduerſus imminentia pericula, hinc, vt oppoſita Abduae turris impoſito Germanorum praeſidio firmaretur: hinc vt Legnanum & Legnarellum, Sulbiatumque & Fannianum, & alia circa valles Olonae opportuna loca, quà poſſet incedere hoſtis maturarent inſidere noſtri, Galloſque ità commeatibus, & omni alio ſubſidio prohiberent, quo facto fames ipſa debellatura gentem eſſet.

In quò tanti ſuſ[illegible] Crye. ſpem poneret.

Quae ſomniaret Crycquius.

Scribunt Decuriones haec omnia Crye. ad Gubernatorem.

Quale in hiſce motibus Conſiliũ Decurionum.

Quae loca firmãda praecipuè.

Ipſa fames debellatura gentem.

# EPITOMA

## LIBRI OCTAVI

PArmensis Princeps in amicitiam Catholici receptus. Bremum à Guzmano captum,& Vercellae. Principis Thomae Mediolanum ab Belgio aduentus referuntur. Prosperae eiusdem Principis, & Leganesij res in Subalpinis & Taurinis. Leganesij aduersae ad Casalem. Hic in Hispanias accitus, Comes Siruela apud Genuenses Legatus suffectus. Huius Gubernatoris variae & secundae expeditiones. Monoeci dynastae ad Gallos defectio, Vincentij Gonzagae genus, dotes & imperatoriae virtutes. Perretus ab materna origine ab Mediolano oriundus Card. creatus. Eporedia postremo ab Tribuno Marchione Maria Vercellino Vicecomite egregiè defensa, qui eò ab Metropoli per dispositos equos ab aduersa parte montium elusis hostibus aduolarat, & Ancurtum posse vinci ab tanto bellatore supremo hoc libro enarrantur.

# IOSEPHI RIPAMONTII
## CANONICI SCALENSIS
### CHRONISTÆ VRBIS MEDIOLANI
# HISTORIÆ PATRIÆ
## LIBER OCTAVVS.

LEganesius post Tornauenti pugnam, castra capta ac direpta confestim Aragonium ad expugnandum Fontanetum mittit: ipse in Placentinos mouit. Sed mutata sententia, hanc curam Cardinali Triuultio mandat. Is Theodori eius erat filius, qui pro Catholico Rege aduersus rebelles in Flandria dimicans ceciderat, multaq; maiorum, & sua fortia facta nobilitauerat egregio etiam fine, diuisis ab Gubernatore copijs, acceptoque proprio exercitu rem gerebat. Sumpserat Parmensem sibi praecipuè sedandum insigni aliqua clade pro eo, quod desciuisset ille palàm & coniurasset, ferretque iam arma in Regem, neque infestius induere cuncta hostilia potuisset. Ad vindicanda siue coercenda haec, transgressus Cardinalis ex Cremonensi agro in Placentinum prospera excursione depopulatur, alia & excindit, alia capit, commu-

*Guz. mittit Triuultium Card. in Placentinos.*

*Theodorus Pater Card. ceciderat in Flandria.*

*Mens Card. Triuult.*

*Cuncta in Placẽtinis depopulatur.*

nitque loca, & excitato Caſtello in Padi fluminis Inſula, quae contra Placentiam eſt, cinxerat ſtatim arcta obſidione vrbem, & terruerat animos, ità vt deditio expectaretur. Reconciliatus mox Catholico Regi Princeps, receptus in amicitiam eſt. Sed Guzmanum ingentis animi virum Bremum vrebat, & ad demendum omnino hoc ingens flagitium Inſubriae, quod tertium fere annum illud hoſtes inulti tenerent nondum adulta hyeme caſtra mouit. Bremum pagum ad Padi ripam, totum Arcem fecere Galli, Sabaudo, & Crycquio Ducibus, anno CIↃ IↃCXXXV Idque opus Nouembri menſe aggreſſi firmauere deinceps ita locum, vt inter praecipua Italica munimenta hodie numerari poſſit. Id verò licentiae permiſſum eis, tempore, quo arma Catholica, tum alibi per Inſubriam, tum apud Vulturenos praecipuè diſtinebantur. Sed & data opera, inermis tunc ferè Prouincia habebatur: eratque relictus Mediolani Gubernator, qui vitae inſtituto, & Apoſtolica dignitate quietem manſuetudinemque praeferret, volente ſcilicet Rege teſtari arte hac ſtudium ſuum, & conſilia pacis, qua frui Chriſtianum Orbem Europamque vniuerſam flagrantiſſimè cupit. Neque metus aut cura in eo, ſi periculi quicquam interim hiſce terris alicunde immineret. Nam, & fidelitas virtuſque Prouincialium horum nota erat: & parata ſubſidia in vicino, quæ rebus extremis opportunè admouerentur.

Excitat caſtellum in Inſula Padi.

Recipitur in amicitiã Parmenſis.

Quando Galli firmauerint Bremũ.

Catholici Conſilium.

At

At huius verè Catholicae, & semper inclytae Maiestatis aeterni hostes, quibus gloria & voluptas illa est, si honesta & salutaria cuncta dehonestare ac deprauare possint, clementiam & consilia ista Regis fecere suam occasionem, foedereque inito conspirauere ad bellum, quo nihil vnquam iniustius fuit, ex quo, mortales inter se dimicare coeperunt. Situm elegere hunc Pado imminentem, vbi sempiterna trophaea excitari atque attolli posse arbitrarentur: arcemque posuere validissimam illam mirificè aptam ad ea, quae destinabant, patefacto ita & munito altero fluminis transitu, quà Montisferrati Subalpinorumque fines Prouinciae finibus miscentur. Sic, & Laumellinae iugum imposuerant, quae maxime frumentaria pars horreum Vrbis semper habita est. Stationem atque receptaculum, & parata haec subsidia destinauere exercitui persultaturo Prouinciam, quacunque occasio impetusue tulisset.

Gallorum ingenium.

Cur Bremum inter caetera selectū ab Gallis.

Laumellina.

Haud ignota haec Maiestatis Catholicae Ministris iam inde à principio fuere: situsque & natura loci, & structurae atque aedificij illius opportunitates multae considerabantur. Si deiecti inde forent hostes, non solùm turbari & eripi illis cuncta quae prouidissent: sed prouideri insuper aduersus ipsos & praeparari multa, quò deinde facilius vndique profligarentur, ac pellerentur retro domum. Fraenari scilicet, inexplicabilibusque vinculis illigari ita Casa-

Hispani Bremi emolumenta expendunt.

Casalensem Arcem, cui obiecta haec staret: Obnoxiam fore bonam Montisferrati partem: & haud aliter excurri posse à Bremo illuc, quàm sicuti, inde in Prouinciam autumauere Galli se se irrupturos. Prouinciae ipsi praesidium adiungi ingens: arcesque & loca nonnulla sub huius Bremensis Arcis tutela inexpugnabilia reddi posse aduersus artifices machinatoresue eius: & alia demum expensa militariter à nostris emolumenta loci, vnde intelligi potuit: calamitatum quoque suarum fabros fieri mortales interea dum praesidia, & fortunam statuere se putant.

Leganesius Bremum animo voluit.
Et eius meditamenta plena omnis prudentiae.

Excellentissimus Marchio de Leganes Prouinciae Gubernator imperitandi & belligerandi vetus, excelsa sua mente viderat sciebatque haec. Sciebat simul, nulla fore sibi impedimenta ab hoste, quominus rem in tempore aggrederetur. Attamen, tutius esse censuit, foederatorum prius infringere vires, & copias attenuare, quibus instructi fidentesque principio processerunt: idque nobili ad Tornauentum pugna est assecutus. Pretium insuper duxit, facta in hostile solum irruptione, populari, vastare, excindere, capere quaecunque posset, ita vt, vires, quibus inuadere nostra possent, occupare domi cogerentur, recuperando scilicet ac vindicando ea, quae amisissent. Ita, prolatis Imperij Catholici finibus per Montemferratum, per Langas, atque Subalpinos, absque vlla interim diminutione exercitus, & absque necessitate

expectandi

expectandi hoc anno noua ſubſidia quae ſerà admodum ad id quod parabatur, venirent, ſatis ad rem peragendam inſtructus, dum etiam opportunum ſibi tempus haberet, denique ſtatuit ducere ad Bremum, vt ea, quae ſunt demonſtrata aſſequeretur. Summa conſiliorum erat, detractis & eiectis inde Gallis, reſtituere Prouinciam hanc Metropolimque fideliſſimam in antiquam quietem, partemque tantam illam, liberare tyrannide, quam exercebant iam ibi hoſtes, latiuſque porrò minitabantur. Ac ſpretis & repudiatis, quae ad ſpem Arcis intercipiendae proponebantur, maluit libero marte, & vi aperta experiri; diemque expeditioni ſuſcipiendae elegit ad III. Idus Martij, non ſanè fretus, vel tenuitate praeſidij, vel annonae egeſtate, vel militarium inſtrumentorum inopia, vel intromittendi ſubſidij difficultate quae apud Gallos eſſet. Namque, & inerant Arci abundè cuncta ſicuti demonſtrabitur: & nota iactatio Gentis eſt circa rem militarem opeſque bellicas: quod ſi tamen omnia ſecus fuiſſent, & opportunitas inde aliqua daretur: magnorum Ducum hoc, Imperatoriaeque artis fuerat, vti occaſione, neque tempus dare hoſti, quo recolligere vires fortunamque reparare poſſet.

Caeterùm, id maxime tempus agendae rei placuerat prouiſu periculi, ſi dilata dies foret. Namque, Aprili & Maio menſibus, magna per

Legeneſij Prouidentia. Cur nondum adulta hyeme Bremum tentauerit.

Inſu-

Insubriam aquarum proluuies esse consueuit. Cadunt saepe imbres: inundantur campi: flumenque Padus super vndarum suarum violentiam, pluuiarum etiam auctu intumescit. Ob ea, necesse fuit, antecapi tempus, quo facile solum operibus vineisque agendis ad necessaria quoq; transuehenda firmum, nec, ob imbres, sicuti assolet, coeno voraginibusque dissolutum foret. Simul, commoditas etiam illa respiciebatur, humili iam, & nihil insolescente Pado, collocandi praesidia inter flumen & arcem ad prohibenda subsidia, quae obsessis venirent. Nam, alioqui, vix impediri possent, quominus, & traijcerent ipsa Padum, & traiecta ingrederentur arcem.

Leganesius tempus antecapit ad praeparanda ea quae in rem essēt obsidionis Bremanae.

His ita prouisis, Martio, sicuti dictum est, mense suscepta res est. Sed, & nonnullis antea mensibus, cura dispositu que militarium rerum, valde solicitus, vt in tanti discriminis negotio Gubernator, totam sibi depinxerat obsidionis & agendae rei formam, cunctaq; prouidenda & apparanda circumspexerat, & alia ex facili, difficulter alia compararat. Pabula equorum in primis, alieno illo tempore anni, quò rariora & fere consumpta reperiebantur, eò magis opera fuit danda ne deessent, Iumenta, carri, commeatus, nauesque commeatibus imponendis, tormenta, machinaeque tormentorum, & tormentarij pulueris copia, fascesque virgarum, & alia id genus, facilia quidem & prompta per se, sed arduum negotium fuere hoc ipso, quòd magni secreti

more

more tractanda, mouenda, & in sedes opportunas transuehenda erant, si solito palàm molimine agerentur, proderent arcanum. Et ea nimirum fuit causa cur nonnulla rerum istarum, non nisi in ipso expeditionis articulo in loca destinata traduci potuerint: praecipueq; operarum numerus ille ingens, qui cum ferramentis suis adfuturus tamquam ad signa stabat, & quonam ducendi essent, non modò agrestes ipsi, sed ciuilia quoque ingenia, quibus curae est rimari talia & exquirere, ignorabant. Parata fuere cuncta ad diem, commeatusque praesertim adeò copiosè & affluenter, vt militaris auiditas, quae suo more famem sitimque sibi in re subita proposuerat, facilitate illa annonae gauderet obstupesceretque simul.

*Legationis ingenti silentio Consilium premit.*

Martinus Aragonius rei tormentariae dux praefectusque Generalis erat Excellentissimo Demarcho particeps consilij totius, & communicata cum eo momenta omnia tam occulti negotij Gubernator habebat. Huic mandat: eat repente ad stationes, propugnacula munitionesque inuadendas, quae Padum inter & arcem hoste tenebantur: quo mandato accepto ille confestim peditum copias, & instrumenta omnia belli, ad Mortariam, Alexandriamque, & Laumellum, & Valentiam disposita habuit, vt quanta opus erat celeritate stationibus illis propugnaculisque circumfunderetur. Nec mora. Ad III. Idus Martij qui dies Iouis erat proficiscitur ab

*Martinus Aragonius solus consilij particeps.*

Vrbe Mediolano Aragonius. Eo die Ticinum peruenit, egitque ibi noctem insequutam: postero die, hora fere secunda ad Mortariam ire perrexit, peruenitque eò paulò ante meridiem: ac protinus inde, quicquid ibi paratum dispositumque erat, Bremum versus mittere instituit: peditum nempe cohortes, bombardasque aliquot, & in necessarios obsidionis ac belli vsus praecipua quaedam.

Ordo totius incessus ad Bremũ. Antonius Sotelus Tribunus.

Primum agmen sub Antonio Sotelo tribuno militum incessit, cui mandatum erat, vt cum legione sua, itemque cum legione Mortariae Marchionis, quae vnà cum Ioanne Romerio ad nutum ei praesto esse debebat, sub vesperam, siue maturius etiam si ei videretur. Oppido egressus, dispositis per itinera praesidijs, caueret atque efficeret, ne qui ad hostem praecurrere nuntij possent. Per ti itinerum duces assignabantur duo, quò tutius absque errore vllo duceretur agmen. Iussi incedere sine strepitu, ac nusquam deflectere de via, ne circumcolentes agricolae sentirent, remue, sicuti erat, loca vicina suspicarentur. In postremo agmine collocaretur turma vna equitum, dato signo, ne ad primos ipsa procurreret, antequam peditum certamen ortum esse cognouisset. Tunc enim vero properarent ad Villatam: Sessiae fluminis vada custodirent: situmque, cui Bonobo nomen medio fere inter flumen Bremumque spatio strenuè occuparent. Ante omnia, quàm maximè tecti

tecti cautique incederent aduersus tormentorum globos, glandesque fistularum, quae, non solùm ab arce ingruere procella posset, sed etiam ab vlteriore fluminis ripa expectari deberet, si albescente die, re noua exciti ab Casale Galli, ad disturbandos ipsos pellendosq; coorirentur. Excubarent intenti aduersus omnia quae venire inde obsessis possent, darentque operam, vti coniunctas in id haberent quodammodo dexteras cum Tribuno Bolognino, cui datum negotium erat, vt legionis suae parte, cohortibusq; nonnullis ex legione, quae Philippi Spinulae fuerat, nunc Tobia Palauicino regebatur, itemque idoneo peditum & equitum numero ex legione Principis Bursi, quam Legatus eius Ferdinandus Nauma ductabat, ac demum Rhaetica cohorte ex ijs quae sub Georgio Genasio erant, his omnibus copijs Cornu occuparet. Id loco nomen, quem hostes propugnaculo praesidioque valido insederant. Partesque & cura Soteli in eo, vt spatium quod inter duas stationes Bonobum, & Cornu atque inter ipsos Sotelum, Bologninumque erat, ita intercluderetur, vt ne qua spes facultasue relinqueretur hosti ab ea parte in Arcem intromittendi quicquam. Quòd si Bolognino resisterent milites propugnaculi stationisue eius, quae nuncupata Cornu obuersa in ipsum Sotelum stationemue eius terga haberet, ne cunctaretur ferre suppetias dato ab altera parte impetu in hostes, qui circumuenti

Praecepta militaria.

Bologninus Tribunus.

Tobias Palauicinus Tribunus.

Ferdinãdus Nauma Principis Bursi legatus.

 ita,

ita, atque interclusi vi subita deprehenderentur. Ac ne caecis ictibus inter tenebras laederentur nostri inuicem, data tessera Ducibus erat: Sancti Philippi nomen ; & Oliuaris ex aduerso cognomentum. Sagros duos totidemque Falconetos, quae minora tormenta terribilium animalium nominibus appellari ita mos est, trasuehere secum & ab Mortaria educere iussus erat, opportune instructo vtroq; missili ad centenos ictus, atque imposito in carros sulphureo puluere, caeteroque ad haec exercenda apparatu. In postremo agmine ducenda esse haec: & quà maxime opportunum videretur, collocari debere tormenta, vt orta luce custodirent Padum, arcerentque flumine hostem, Mulos omnino quindecim duceret onustos puluere, fune, globis, ita vt materiae totius aliqua pars singulis iumentis imposita veheretur. Alij muli totidem veherent ferramenta operarum, falces securesque & ligones, & quicquid saccorum inueniri Mortariae potuisset, vt terra arenaue referti deinde munimenta militibus fierent. Expectandum esse vtique cum Bolognino conflictum discrimenq; armorum. Caeterùm tamen, si conspecti ab Arce nostri prius forent, ibique ad arma conclamatum, mandata prima exsequeretur, ne scilicet stationes praesidio maiore firmarentur. Circumspiceret eligeretque situm, qui, & natura tutus militi collocando esset, & breui ad Bonobum excursu subueniendi celeritatem

Leganesius primas obsidionis partes perscribit.

ritatem

ritatem daret. Haec mandata Sotelo, monitusque simul: Tribunum Vasquez erecturum ad moenia scalas, tentaturumque ascensum ab ea parte quà forcipis in modum bifida antiqua munitio fuit. Id si prospere eueniret, accepto statim nuntio, mitteret è suis, qui coepta adiuuarent, vt si fieri posset, Arx tota redigeretur in potestatem. Ac si quam praeterea viam agendae rei dispiceret, quae commodior expeditiorue videretur, eius arbitrio permissum. Datusque Prestinus Architectus cuius arte & ingenio ad munitiones & opera faciẽda vteretur.

Vasquez Tribunus.

Prestinus Artifex.

Congruentia his mandata Vasquez acceperat, Scilicet, vt sequerentur cum sua Legione Sotelum tenderetque Bremum versus, occupaturus ibi forcipem veterem, de qua dictum. Subsisteret eo interuallo, vt ne strepitus ad hostium aures accidere posset antequam à Bolognino, siuè à Sotelo, pugnae initium fieret. Si cognosceret, ab Arce nostros esse conspectos, ibique mota arma; ne momento quidem vno cunctaretur. Irrumperet vi tota: descenderet in fossam: conuelleret frangeretque cancellos, & quaecunque alia subeunti ad muros impedimento esse possent. Vbi subijsset, admoueret illicò scalas, ingressumque tentaret, prout euenisset res, admonito protinus Sotelo, qui ad cępta promouenda aduolaturus esset. Aragonius quoque Martinus, & capita alia exercitus in partem operis excirentur, siquidem initia feliciter

citer ſeſe dediſſent. Contra verò, ſi ſcalarum eo tentamento nihil effici potuiſſet, ſubſiſteret ad forcipem illam veterem, circumdaretque valida munimenta ſibi aduerſus hoſtes prima luce facturos impetum exturbandi cauſa ſicuti credibile videretur. Et ſicuti ſibi copijſque venturis firmare cuncta deberet: ita demoliri ac deijcere meminiſſet hoſtium opera, quae ad forcipem nouam excitata haberent.

Scalas deportaret ab Mortaria plauſtris quaternas leues, optimè compactas inter ſe connexas alternis atque congruentes vt altitudinem aequare poſſent: praeterea miſſiles ignes, & falces cote exacutas, breuioreſque ſerras, & ferramenta alia perrumpendis excindendiſque cancellis. Mulos, partim ad haec, partim ad operarum ferramenta deportanda iuſſus parare XX. Architectuſque Seſtus ad militarium operum ingenia attributus Tribuno huic.

Seſtus Architectus.

Carolo Gattae Tribuno, datis prius belli inſtrumentis imperatum: nocte appetente cum legione ſua ab Laumello egrederetur, atque Bremum vbi perueniſſet, occupato propugnaculo quod ab laeua in ſacra domicilia Capucinorum vergit, ingreſſus ab ea parte foſſam experiretur ſi ſcalis euadere in Arcem poſſet. Si quid proſperi euentus eo conatu haberet, ſignificaret Aragonio & Bolognino ducibuſque caeteris, vt vnà connixi omnes, inchoatam ſic ab ipſo victoriam abſoluerent, opprimerentque ibi hoſtem. Ad

Carolus Gatta Tribunus.

irritum

irritum autem cadente incoepto, muniret sibi praesidio locum staretque intentus ad mutuam cum Bolognino opem, cuius & initia pugnae expectaret, nec moueret antea quicquam. Haec dicta Tribuno Gattae: Targonusque architectus assignatus ei fuit.

Targonus Architectus.

Bologninus ipse mandata in hunc modum sua habebat. Die Veneris ad IIII. Id. Martij esset ad Valentiam quae Pado apposita est. Inde, cum copijs, quae descriptae & assignatae erant, vt ipsius imperia sequerentur (ea fuere ad duo millia armatorum Italici, Germanici, Rhaeticique generis) hora vna antequam aduesperasceret, vel maturius etiam si ei videretur, sumpto prius omni necessario instrumento & apparatu, ad Bremum, praeter Sartiranam Padumque proficisceretur. Incederetque quàm maximè silenti agmine, valdeque circumspectans, ne ab Sartirana deprehendi posset relicta equitum turma, quae claudebat agmen cum eo mandato ne ad Sartiranam ipsa perueniret, antequam commissam ab pedite pugnam audirent. Orto autem peditum certamine disponeret equites inter Sartiranam Bremumque nonnullos, ne possent auxilia commeare inuicem. Equites iuberet alios obequitare Pado, & niteretur occupareCornu, quà munitio praesidiumque hostile erat: ac detracto inde hoste, teneret eadem ipse munimenta & augeret, ne ab Arce, neue ab vlteriore fluminis ripa ictibus laederetur. Studeret coniun-

Bolognini Incessus, & mandata ei ab Legato.

ctas

ctas habere manus cum Sotelo occupaturo Bo-nobum, insesso spatio quod inter vtraque mu-nimenta est, ne spes inde vlla foret leuamen-que Arci: cujus rei obtinendae causa manda-tum Sotelo esset, vt si fortè laborantes atque succumbentes ad Cornu nostros videret, inua-deret terga hostium, atque opportunè subueni-ret. Educeret ab Mortaria Bologninus habe-retque secum Sagrum vnum, Falconetosque duos, & alia aduersus plumbeam ex vlteriore ripa vim futura vsui, pulueris praecipuè copiam in sexagenos ictus, ferreasque pilas, paratis ad tormenta quidem ferenda carris, mulis verò ad caetera quindecim; totidemque alijs ob ferra-menta operarum, & ex cannabe saccos, quibus, terra, vel sabulo completis corpora militum in discrimine protegerentur. Atque haec omnia sic imponi iussa, vt materiae totius pars aliqua separatim iret. Sarmentis fascibusque virgarum onustas ab Valentia naues sequi iuberet: cuius-que materiae partem Antonio Sotelo traden-dam curaret. Sciret reseruata fore sibi initia pu-gnae, dato, per exercitum atque ad capita re-rum signo, vt sinerent ipsum ordiri opus. Ad id summa celeritate vteretur. Nam si prius de-tecti ab Arce nostri forent, coeptumque illic tre-pidari arma, confestim subire deberent vniuersi, & per aequa, per iniqua tentare irruptionem. Circumspiceret sibi copijsque secuturis idoneum locum ad opera iniungenda Arci: atque ad per-

agenda

agenda & munienda cuncta ex arte, vteretur militari Architecto Barca, qui idem rei tormentariae promagister erat.

Barca Architectus.

Tiberius Brancatius ab Alexandria cum legione sua die Veneris item circa horam vigesimam exire iussus ita vt iumenta, & carros, quoscunque in ea Vrbe cogere potuisset, simulque in centenos ictus, bombardae semisses, quadrantes totidem (dimidiatae, vel quartae partes eae maiorum tormentorum sunt) sisteret ea nocte ad Valentiam, ac postero die inde pergeret ad Castelum Sartiranae recipiendum eijciendosque inde hostes, quae optima consilij via fuit. Nam, cùm id fieret, circumuenerant iam copiae Bremum: & crediderant Galli, dum Sartiranae oppugnatae strepitus audiretur, spatium fore sibi ad praesidium viresque Bremi augendas: atque ita ab ea spe deciderunt.

Tiberio Brancatio Tribuno Castelli Sartiranae expugnatio mandatur.

Dispositio totius equitatus.

Vincentius Gonzaga è Mantuae Ducum stirpe in Mediolanensi Prouincia pro Magister equitũ, monitus est, vt turmis suis ad Bremum subsequi iussis, in primo agmine praecederet ipse cum equitibus mille quingentis, atq; die Sabbato perueniret ad Villatam, quà nudat vada Sessia flumen, illic praesidio futurus: Quod pari prudentia & robore animi promptoque obsequio ab iuuene factum. Sic & ceteri suas quisque partes, prout erant ab Excellentissimo Gubernatore moniti atque edocti, erectis ad gloriam animis nobilitate insita exsequebantur. Ferdi-

Vincentius Gonzaga cum equitatu ad Villatam Italico.

Ferdinan. Mōtius cū equitatu Germanico ad Cornientum inde ad Fraxinetum.

nandusMontiusGermanici equitatusChiliarcha cum equitibus mille quingentis ad Cornientum, quo nomine pagus est, die Veneris peruenit: atque inde sub primae vigiliae finem, quae tertia noctis hora erat, ad Fraxinetum profectus, ibi stetit intercipiendis, siue repellendis, quae ad Bremum ab Casale venire subsidia arci & impedimenta Victoriae possent. Nec in suo munere mora Aluaro Quinonensi: Qui Neapolitani Equitatus ProMagister cum ijs quibus praeerat ipse turmis ad III Idus Martij Laumellum propere contendit, vt Bremum inde ad praeliorum siue obsidionis incerta aduolaret.

Aluarus Quinonensis Neapolitani equitatus ProMagister.

Bologninus occupat Cornu, ac Padum frenat.

Bologninus ad dicta impiger iuxta & solers, famaeque in primis auidus, tenuit summa virtute Cornu: Munitionesque hostium extra arcem fecit ludibria illis, sibi praesidium, robur, atque interclusa ab hisce operibus & munimentis arce, simul imposuit fraena & claustra Pado, ne ferre, ac transmittere subsidia inclusis posset: simul promouendo ad arcem aggeri aperuit ab ea parte iter. Par operae pretium Sotelus capto Bonobo fecit. Et obstruxerat Casalensibus subsidijs iste quoque viam: & inuenerat eodem compendio locum, vnde admoueri opera Arci erigique caespes ad eam posset. Irritae scalae fuerunt. Neque id praeter mentem, & consilia nostrorum euenit. Nam nihil aliud eo commento quaesitum erat, quam vt in tali discrimine bifariam ad periculum auersi hostes, vi minore

Sotelus Bonobo capit.

Scalę haud æquāt moenia.

resisterent

resisterent Sotelo & Bolognino occupantibus loca de quibus dictum est. Occuparique ea permagni interfuit, tum ad obsidionis, si necesse fuisset continuandae moras, tum ad facilitatem flagellandi obsessos, ne qua ab Casalensibus Gallis ope, opisue expectatione recrearentur.

Ioannes Vasquez & Carolus Gatta, iam antea nominati Tribuni, in capiendo duplici aduersus arcem situ plus etiam negotij habuerunt obstinato ad impediendum hoste, non aliter, quàm si summa rerum ibi ageretur. Displodere maiores minoresque bombardas in eam partem, atque immisto fistularum etiam turbine mistas pilis immittere glandes, vt mirum videri potuerit, sub eo pestifero nimbo durare potuisse quemquam. Vibrare missiles ignes, eiaculari flammas è turribus, machinasque contorquere cum flammis in fossam, vt tamquam exitio miles inuolutus opere conatuque illo absisteret. Sed testis idem vniuscuiusque Virtutis, atque adhortator ad gloriam, & periculi particeps Aragonius aderat: quem, cùm primum inter primos stantem velut in acie duces militesque viderent, obfirmabant in media illa tempestate animos: estque demum res gesta feliciter. Quòd si contra cecidisset neque loca situsue illos nostri repente tenuissent: profectò, ne obsidione quidem ipsa quicquam efficeretur, cùm haud aliter prohiberi ab Casale subsidia potuissent.

*Obsessi procellã glandium emittunt in Vasquez, & Gattæ legiones.*

*Aragonij immota virtus.*

Circa Martinum Aragonium in eo discri-

mine & conatu ſtetere veluti muralem quiſque coronam ea nocte adepti iuuenes viriq; inſignes: quorum nomina praeterijſſe iniuria virtutum nobiliumque domorum, imò & munerum, quae in exercitu tenuere, fuerit. Fuere autem iſti. Franciſcus Tuttauila. Thomas Alardus. Vercellinus Maria Vicecomes ramus Martis idem alumnuſque Muſarum. Martinus Colas. Balthaſar de Leone. Petrus Zuacus. Ioannes Iudex Nuſita Natariaſius. Melchior Baldes Iacobus Magnaninus, alijque quorum animus operaque & fides enituit, praecipuè obeundo reſiſtendoque ad omnia quae Aragonius in eo nocturno tumultu obeunda & obtinenda mandaret. Adfuit etiam Ioannes Aragonius Borgia ille frontis honore, & magnitudine animi, atque recordatione Auorum, iuuentutis facile princeps. Aragonius ipſe luce orta ripam fluminis obibat, cuncta oculis animoque colluſtrans: ac notato periculo praeſidia opportunè diſpoſuit, quà ſuſpicio inceſſerat ab Caſale ad Bremum aliquid poſſe penetrare facili excurſu. Non enim plus quinque millia paſſum abeſt: Et, vel traiectu fluminis, vel terreſtri itinere poterant immitti quae apparatum quidem & conſilia omnia obſidionis eluderent, obſeſſos verò confirmarent. Aduerſus inſidias proditionemque Padi, ſi quid noui molirentur ab ea parte hoſtes, monſtrauit Sotelo Bobeci ſitum, vbi propugnaculo repente extructo, ſubiectae atque expoſitae forent

Qui muralem coroná adepti ſunt.

Ioannis Aragonij Borgiæ Laus.

Bobeci ſitus opportunè ab Aragonio, Sotelo monſtratus, & propugnaculum ibi excitatum.

rent

rent ad noſtrorum ictus, naues hoſtium quae perrumpere inde & tranſire tentauiſſent. Eodemque tempore iuſſerat ad Bonobum vrgeri opus, vt eo pariter in poteſtatem redacto ſitu, penitus conſociatae cum Bolognino vires haberentur tamquam in Padi dolos profuturos hoſti.

At terreſtribus ab Candia auxilijs, oppoſitam armari Rinaldam voluit, quae in Caſtelli faciem illico conuerſa villa eſt. Capucinorum aedes ſtatiua ſibi fecit, propterea quod, is locus, medio fere ſpatio inter aggeres omnes; & vineas, actaque ad arcem opera, dabat opportunitatem excurrendi quacumque neceſſitas tuliſſet. Caeterùm malè tuta ſtatio erat: hoſtium quippè ſubiecta bombardis. vnde & ſtrages facta nonnullorum Die Sabbato, qui dies fuit ad III. Idus Martij munitis, occupatis, actis, quae agenda, occupanda, munienda habebat Aragonius, ſummo mane miſit propere litteras ad Excellentiſſimum Demarchum Prouinciae Gubernatorem, in quo ſtatu res eſſet: facta eſſe quae imperaſſet: obſeſſam iam haud dubie teneri Arcem: ſed expectari praeſentiam & nutum Excellentiae ipſius, vnde acta iam & agenda penderent. Eodem die Brancatius hora vxj Sartiranam ad mandata progreſſus, occupatis quam cellerrimè locis idoneis, veſperi quatere Caſtellum & oppugnare coepit. Galli, ſtatim vbi ab Caſale ſenſere diſcrimen, Bremumque iam fere circumſederi, antequam flumine

Capucinorum aedes ſtatiua Aragonij ſed male tuta ſtatio.

Aragonius ad Leganéſium praeſcribit Medioi.

Brancatius Sartiranae Caſtellum oppugnat.

flumine penitus arcerentur, pedites mille ducentos demisere Pado, praesidium obsessis ac fluminis simul, ne clausum id ab omni parte iter ad arcem habituri essent.

Nauigia, quae manum eam vehebant, fuere nouem. Secundae fere vigiliae principio ad Antonij Soteli stationem eae peruenerunt. Atrox ibi pugna cooritur: ac male mulctatae cum milite suo naues ad Bolognini tamen propugnacula tendebant, atque exposito è tribus in ripam peditatu, cum idem facere reliquae conarentur, virtute nostrorum oppressae sunt acriter tamen etiam ipsae resistentes. Duarum horarum spatio pugnatum est: trucidati multi ex hostibus: capti ad septuaginta, in quibus fuere duo cohortium Gallicarum duces alijque nequaquam è plebe. Nauigia sex venere in potestatem, quorum vno instrumenta belli commeatuumque aliquid, & vasa vini nonnulla portabantur: caetera militem vehebant. Parones duo discerpti & lacerati merguntur. In eo conflictu maxime spectata est, & nobilitata virtus Francisci Vlloae, cui latius occupaturo situm partemue agri quandam, attributa fistulatorum erat manus, eaque manu per fluminis ripam insequutus naues, maiorem etiam quàm pro numero caedem edidit, quae abscindere ei iter, ne progredi vlterius posset. Insignis item opera fuit Ioannis Romeri Pallauicinorumque duorum Bandinelli & Tobiae:

Conatus hostiũ, & pugna.

Hostes fusi, & nauigia capta.

Francisc Vlloae laus.

Ioannes Romerij, & Pallauicinorum.

Tobiae: quorum ille Bolognini, hic Philippi Spinulae legatus, verè militaribus eo die animis meriti sunt, vt memoriae partem hanc acciperent. Et sanè Bandinellus, illo inter caetera praeclaro facinore laudatus fuit, quod Gallorum vnum ducem stolidè ferocem, & vi praecipua cientem pugnam, iniectis ipse manibus, vi ferociaque maiore captiuum egit. Necnon Serponti decus eximium fuit, qui circa Bologninum cum cataphractorum equitum turma in statione positus, maxima intulit detrimenta hosti. Atque excogitata res ab Architecto Barca pe[illegible] magni momenti fuit. Nam inspecto loco [illegible] situ, quà Galli exponere subsidia possent, a[illegible] opera nempe sua quaedam viminum context[illegible] structa fiscellatim in ipso feruore pugnae copia[illegible] eò duxit: vnde fiebat, vt subsidiariae illae naue[illegible] oppositu nostrorum ad ripam appellere nequ[illegible]rent. Obscuro noctis, & impetu, atque ardore animorum intrauere arcem ducenti fere Galli, saucij plerique, grauesque vulneribus, & cruore oppleti sicuti postea cognitum est.

*Bandinellus Serpontus laudati.*

*Ducenti circiter ex hostibus arcē intrauere.*

Die Dominico, qui dies fuit pridie Iduum Martij, Galli, qui ad Sartiranam erant, post quadraginta Bombardae ictus, deditione facta deseruere Castellum, egressique cum duce suo permisere se nostris. Quinquaginta non amplius erant, quos Brancatius dato praesidio praeter Valentiam, deduci Casalem versus iussit. Mox ad Bremum ipse properat, vt coniunctas illic

*Sartiranae Castellum deditur, & Brancatius ad Bremum pergit.*

cum

cum Carolo Gatta legiones ad occaſionem, & conatum inuadendae arcis ex ante compoſito haberet. Eo die, hoſtes, ſub veſperam erupere ab arce cum peditum equitumque copijs; & Bologniui ſtationes repente aggreſſi, munimenta, quae ad Cornu excitauerat habebatque ille, tenuerunt. Bologninus, illico recollecta ſuorum manu ad ducentos, feliciter amiſſa recepit, fugauitque Gallum breuis horae momento victorem. Ac, ne fraudentur honore ſuo capita illuſtria Martialeſque verè animi, qui ad illud ſtationis recuperandae praeclarum opus excelſo contemptu corporum adfuere, pugnauit egregiè glandemque ferream cum luculenta plaga Tobias excepit. Alterque Palauicinus Bandinellus nomine, & ipſius Bolognini patruelis, Alfonſus & Carolus Gallaratus, & Raymundus Bayanus, qui cum Neapolitanorum fiſtulatorum turma ibi in praeſidio fuit, & Didacus Saiauedra, nobilium ordinum quiſque ductores & praefecti, in eo diſcrimine magnoque conflictu edidere exempla, quorum ſemper meminiſſe debebunt hae litterae, ad id natae, vt ſuum cuique decus rependant.

*Gallorũ irruptio in Bologniui ſtationes, ab eodem feliciter repreſſa.*

*Viri aliquot inſignes laudati.*

Excellentiſſimus Marchio Prouinciae Gubernator, acceptis, vti dictum eſt, ab Aragonio litteris, ab Mediolano profectus, die Lunae Idibus Martij Bremum in caſtra peruenit. Atq; contemplatus ſtationes omnes & propugnacula munitioneſque ſingulas & ſitus, ordinemque

*Leganeſius ab Vrbe in caſtra venit.*

rerum:

rerum: vt eximia arte diſpoſuiſſet, ac feciſſet cuncta Aragonius: vtque diſponere porrò ac prouidere pergeret: mirificam cepit animo voluptatem, quae oculis etiam & vultu ſignificaretur: eaque Principis laetitia notata ab exercitu, non ducibus modò vniuerſis, ſed etiam militi iucunda fuit. Laudato verbis grauiſſimis Aragonio, edit ei, quae circumſpicere deinceps & exequi debeat, tum ad ſtatiua firmanda peditatui vniuerſo: tum ad opera admouenda arci, foſſaſque aggerandas, & circumuallandum vndique Bremum, vt ne quà peruadere illùc cum vlla parte ſubſidij hoſtes poſſent. Si qua eiuſmodi vis fortè ſuperueniat: tunc, vti ſtruat aduerſam aciem, atque deſcendat omnibus copijs, ſi ita neceſſe ſit in campum. Ab hac inſpectione caſtrorum, & hiſce cum Aragonio ſermonibus proficiſcitur inde Sartyranam. Cingebant latera eunti, Marchio Caracenae, Martinuſque Galianus, & Aemylius Ghilinus. Praetorianorum equitum Alae, haſtati ſub Ioanne Artiaga, ſub Didaco Ciganda fiſtulatores, iuſſi ſunt ripam fluminis obtinere agmine inceſſuq; ſuo, multumque excubare, ne vada, quae prope Sartyranam ſunt, hoſti tentarentur. Fuere cum Excellentiſſimo Demarcho Viri praeterea illuſtres, Alphonſus Ricus, & Rocus Matamorus, Matthaeuſque Graialis: quorum iſte ex antecondicto venerat è caſtris, nuntius omnium, quae deinceps in exercitu, atque

Leganeſius Aragonium commendat.

Praetoriani in fluminis ripa diſponuntur.

 obſidione

obſidione fiebant. Antonius Porlaſca, & Petrus Froes miſſi ſunt ad petenda ex agris ſupplementa operarum, quò celerius cuncta vndique clauderentur. Et mox adfuere cum idoneo numero: ſuntque ob eius rei diligentiam à Principe laudati.

*Crycquij Gallorum in Italia Imperatoris Cõſilia.*

Galli, poſteaquam, conati, ſicuti dictum eſt, opem ferre incluſis id inceptum fruſtra habuerunt, verterat animum ad alia Crycquius armorum illorum in Italia Imperator. Cogitabat diſpoſitis in fluminis ripa bombardis, ſtationes oppugnare noſtrorum Atque cum equitibus aliquot ad inſpiciendum eligendumque locum eius rei cauſa progreſſus, poſt arborem, tamquam in latebra conſtitit. Sagros duos noſtra pro ripa collocatos habebat Aragonius. Semel iterumque diſploduntur. Et altero ictu globus nequaquam in tantae rei ſpem emiſſus, ſpeculabundum illic ab arboris ſtipite Crycquium deprehendit, ac foedo hiatu aperuit ilia Duci. Conciditque ille exanimis. Poſt eum caſum, conſternatio inter Gallos facta eſt, quanta ſemper fieri ſolet capite amiſſo.

*Crycquius ab tormento diſcerptus.*

At apud noſtros, capto iam fere, atque inſeſſo omni in arcem aditu, ſic, vt ad obſidionis, & cuſtodiae arctae formam, neque intrare illuc, neque exire inde quiſquam poſſet, reliquae ad irruptionem tentandam copiae ſubſequebantur, atque aderant. Deſcriptio aggerum operumque & locorum, & legionum irruptioni

inter

inter Tribunos incipiendae facta est in hunc modum. Sotelus ab sua parte cum legione sua, itemque cum legione Mortariae Marchionis, & Hispanae legionis cohortibus quinque, Belgisque nonnullis, succedere ad Arcem, atque irrumpere debebat. Ioanni Vasquez, praeter legionem suam, legio Insubrum attributa est, quae quoniam tunc sine tribuno erat, aggeri ab ea parte aperiendo adfuere, Hieronymus Rosignolus, & Christophorus Villafortes, Didacus Aragonius, & Ioannes Salecedus, legati iam ductoresue ordinum, & virtute tunc fideque meriti etiam maiora. Caeteri deinceps, instructi separatim, ac succincti ad faciendum impetum idonea manu stetere. Nempe cum sua legione Bologninus, legionibusque Philippi Spinulae, & Principis Bursi; cuius legatus Nauma, sicuti demonstratum est, Bologninum ipsum in stationibus occupandis egregiè adiuuit. Tiberius Brancatius, & Carolus Gatta cum Neapolitanis vterque legionibus positi fuere. Tribunus Aegidius Hays non prius, quàm die Dominico cum sua Germanica legione venerat in castra rediens ab Felizano, quò missus fuerat, vt ex eo motu possent suspicari hostes, cogitari de Montecaluo nonnihil: eaque sic iniecta suspicio in id valde vtilis fuit, vt ad Bremum interea Galli remissius incuriosiusque agerent, minusq; intenta custodia ibi esset. Ab eo in speciem simulato itinere reuersus mittitur ad munienda

Irruptio per singulas legiones disponitur.

Aegidius Hays Tribunus ad muniendam villam Rinaldæ mittitur.

 mapa-

mapalia villamque Rinaldae, qua perfecta munitione, die Martis ad Bolognini stationem opportunè aggregatur, propterea quod peditum copias esse ibi quammaximas valdè expediebat.

Lineæ totius descriptio, singulæque partes singulis Tribunis custodiendæ attributæ.

Descripta inter stationes erat linea quam Communicationis appellauere lineam. Circa huius lineae partem inter Bologninum Sotelumque interiectam Tribunus Hays in primis excubare iussus. Mox ad brachium vnum aggeris, iuxta propugnaculum Arcis aperiendum ille intentus fuit: aperuitque vnà cum Principe Burlo, qui ab Mutina venit in castra die Veneris ad xiv. Cal Aprilis. Brachium alterum institit aperire Bologninus, quà munitio hostium erat ad dimidiatae lunae instar. Tribuno Alincurto datae partes, vt Rinaldae Castellum, simulque communis illius lineae laciniam vnam cum Belgica legione custodiret. Laciniam alteram, simulque stationem apud Capucinos legio Principis Rinaldi Estensis vnà cum aliquot Tribuni Leneris cohortibus tuendam accepit. Summa omnium ad x millia peditum erat. Porrò quia linea spaciumue illud, ad cuius custodiam, consociandae, & communicandae curae erant, excurrebat patebatue latius, quàm vt nocturnis temporibus ad excubias ea regione agendas, & caetera obeunda simul, hae copiae suffecturae essent: inita ratio est, vt statiua equitatui eligerentur, quae lineam illam finitimaue eius contingerent: atque ita steterent turmae

Equitatus, quà linea patebat latior, suffectus.

ducesque

ducesque earum Gonzaga Pro Magister cum suis turmis ab ripa fluminis per Soteli stationem ad vsque munimenta Rinaldae. Ab Rinalda ad Cucullatos, equitatus Neapolitani Pro-Magister Aluarus Quinonensis: turmaeq; ipsius: nec non turmae Germanicae aliquot: Draconumq; plurima pars cum Tribuno Girono. Summa in vniuersum quinque millium numerum explebat: agebant nocturna tempora in armis: orto Sole, in sua quique statiua, ad tertium inde, quartumue milliare dimittebantur, vt quiete ciboque refecti ad vigilias & munia eadem redirent. Sed relinquebantur in discessu custodiae locis opportunis, atque ad Sesiae praesertim vada, ne quam hosti occasionem; aperiret amnis interea, dum iumenta hominesq; recreantur. Aduersus aridam, exhaustam, & sterilem herbis anni partem hanc, steterat iam inde à principio prouidentia, memor, ea, quae in re militari leuiora videntur, interdum praecipua esse. Ideo Demarchus Excellentissimus, non minore cura iumentis quàm militi alimenta pararat. Hordeum, & pabuli omne genus, ad Vallem, quod est municipij instar, in horrea & foenilia constipatum erat: indeque carris ad loca destinata portabatur.

Omnia, quae veterum ingenijs, aut noua arte reperta sunt, vt obsidentes consistere possint, tum aduersus vim, & commenta, desperationemque obsessorum, tum aduersus impetus

quoque

quoque extrinſecùs, aderant praeſidia & tegumenta noſtris: nec iam, aut ab Arce, aut ab vlteriore fluminis ripa, tela hoſtium Catholico Exercitui timebantur. Circa ſpatium illud, quod militari vocabulo, Communicationis dixere Lineam, ſtrenuè adlaborabatur: atq. ad quatiendam & verberandam ſine intermiſſione Arcem, quinis locis tormenta ſtatuuntur ordine quidem ac deſcriptione huiuſmodi. Quà Sotelus aggerem operaq; ad irrumpendum ſtructa habebat, bombardae ſex datae, & collocatae ibi fuerunt. Ioanni Vaſquez, ad ſua item opera, ſuamque irruptioni tentandae ſedem, aſſignatae quatuor: totidem habuit Bologninus. Vna minus apud Brancatium, Aegidiumque Hays, & apud Principem Burſium fuere. Erant iuſtae magnitudinis hae nouae balliſtae omnes, quartaeue, aut dimidiatae partes earum: quibus diſponendis, aptandis, atque exercendis operam egregiè nauarunt Cruceius & Egurza ProMagiſtri. Cum horriſono tormentorum fragore, terribilibuſque bombis, ſed & terribiliore pilarum vi coepta & continuata verberatio eſt. Iniectus etiam interea flumini pons, atque propugnaculum ad caput eius pontis, ne vſui poſſet hoſtibus eſſe, excitatum. In agendis atque promouendis ad moenia vineis, tanto labore ſudatum, vt tertiodecimo die apertis vndique faucibus iretur in foſſam.

Quinis locis tormenta ſtatuuntur ad verberandam arcem.

Cùm in hoc ſtatu eſſet res, aderat dies coeleſti

ad

ad Deiparam Virginem Nuntio ſacer: cuius Numinis Maieſtatem Excellentiſſimo Demarcho praecipua ſemper religione cultam, frequens fama per exercitum, atque in Vrbe fuit. Eo die ad VIII. Cal. Aprilis, ſecunda noctis hora pauefacti Galli praeſenti iam facie ac terrore non vltra differendae irruptionis, ab ea parte, quae proxima ſtationi Neapolitanorum erat, petiere, vt colloquendi poteſtas fieret, cùm nuſquam ſanè à noſtris ad eam diem appellati fuiſſent. Carolus Gatta circa vallum aggeris operumque ſuorum excubias ea nocte agebat. Is ad colloquium haud grauatè progreſſus, & audiuit poſtulata Gallorum: & quae in rem viſa ſunt eſſe, reſpondit. Non multis vltrò citròque factis verbis, ita conuenit res. Relinquerent, dederent Arcem: exirentque inde die Sabbato ad VI. Cal. Aprilis horae ipſius fere momento, cùm in meridiem inclinaret Sol. Exirent vita corporibuſque ſaluis, dato praeſidio militum Hiſpanorum, à quibus ſarti tecti Caſalem vſque deducerentur. Pulſarent ſanè tympana in diſceſſu, incederentq; vexillis de more explicatis. Accenſos binos igne funiculos, conceptas ore glandes tenerent, ſimulacra & imitamenta militum: pulueris quoque ſulphurei quantum ſua cuique theca caperet: necnon ſarcinas efferre licitum eſſet. Tormenta tranſuehere & exportare vlla negatum. Exituris à Bremo Gallis hae dictae conditiones; agique ſecum valdè clementer crebidere,

Galli perterre facti colloquium petunt, & conditiones dedendae arcis dicuntur.

didere,

Præsidium eius'q; & arcis Præfectus Mongaliardus exit, & ad Casalē ab Vincentio Gonzaga deducuntur.

didere, quia grauiora expectarant si Arcem capere corona nostri perseuerassent. Exiere qua constitutum erat forma & hora Galli mille octingenti cum Mongaliardo suo, qui Arcis & praesidij praefectus fuerat. Ex hac dedititia turba qui arma ferrent mille quadringenti numerabantur. Caeteri vulneribus aut morbo inualidi miserabilius id fecere agmen. Deducti sunt ab ipso ProMagistro Equitum Vincentio Gonzaga, quò tutius honestiusque irent: iisque ad tria millia armatorum in id parata habuit: quorum equites mille erant è turmis ipsius; quingenti Neapolitani: Hispani mille quingenti diuisi in agmina alasue duas: earumque duces Franciscus Vlloa & Antonius de Leone fuerunt. Non ante abscessum officio munereque deductionis, quàm prope Casalem in tutum dedititij sisterentur.

Numerus mortuorum è nostris.

Periere è nostris in ea expeditione ducenti promiscuum fere vulgus. Ex numero autem nobiliore nemo vnus desideratus est praeter Alphonsum Verdugum, qui in statione capienda circumuentus, post multa edita facinora virtutis cecidit. Vulneratorum numerus relatus est ad cccc. Apud hostes item desiderati ducenti: vulnerati totidem. Cladis fere loco Catholici numerauere Ioannis Romeri mortem, qui magnae virtutis, & magno nomine bellator, in castris morbo correptus, atque ad Mortariam inde deportatus obijt.

Verdugus & Ioannes Romerus periere, quorum ille circumuentus occubuit hic Mortariae morbo, in castris contracto dehjt.

Reli-

Reliquere Galli ad Bremum in Arce, machinas,tormenta,arma, commeatus, aliaque necessaria bello & obsidioni tolerandae, prout, in tabulas relata ordine cuncta extant:insuperque, nullo non die reperiuntur sub terram abdita ibi aliqua & defossa per ipsos. Sed, quae primo statim ingressu prompta & obuia reperere nostri, fuere haec.

Tormentorum ab hoste in arce relictorum scriptio.

Sagrus vnus absque inscriptione tituloue vllo libratus ad ictum. Sagri duo cum insignibus & stemmate Parmae Ducis, in quo & Aurei Velleris insignia cernebantur, librati item & obuersi rite in obsidentes. *Alius pariter libratus, atq; intentus diuersa iuga montium assurgentia praeferebat.In eo scriptũ erat Fides.*Quadrantes bombardae quatuor instructae & aptae subditis rotis, ac vi geminata ad fatigationem bolosque ferendos: Earum insigne erat sinuata in cornua luna liliorumque flores. Aenei Falconeti duo cum stemmate Mantuae Ducis. Bombardae Tarragonae nuncupatae tres binûm cubitorum crassitudine ac diametro. Bombarda dimidiata vna cum Mantuae Ducum insigni Colubrinae duae similitudine ac facie veluti sorores vncialibus litteris habentes huiusmodi scriptum. LVDOVICVS XIII. D.G. FRANCOR.ET NAVARRAE REX *1634*. Suberat & emblemati fascia cum hoc titulo RATIO VLTIMA REGVM. Scilicet vt propè intelligi possit, Regno Gentique illi suum ius in violentia esse.

Cadi pulueris cxxviij. Centi pondia funiculi cxxx. Centi pondia pilarum lxxxv. Pilae ad dimidiatas bombardas ɪↄliij. Pilae factae ad quadrantes cxiv. Pilae ad Mantuanos Sagros M. maxima crassitudine funes iij. Machina incendiaria vna. Patellae ferreae igniferae septem. Thoraces ferrei galeaeque peditum cc. Phalaricae siue fistulae maiores minoresque cccc. Sarissae xx. Foenariae falces xl. Ligones batilliq; cc. Serrae iij. Pilarum bolidumque flammiferarum cadi iv. Igniferae tubae x. Sacci farinae ɪↄcclxxxv. Sacci tritici cccxl. Sacci hordei lxxxiii. Foeni fasces cccxx. Quae sic non sine fastidij penè periculo relata sunt, ne crediderit fortasse fama, quicquam defuisse obsessis. Potius verò credant ita videantque omnes: nostris adfuisse virtutem, & paratos animos, vel vincere, vel mori illic.

Bremum ad Padi ripam, ita obsessum, captum, deditumque est, magno rerum artiumq; militarium exemplo, qualia per Italiam spectacula circa Arcem vnam non adhuc intra tam breue tempus ediderat Mars & genius ille belli mortalium generi perniciosus. Imò, ne Flandria quidem ipsa, vbi per tot annos, perque tot ancipites euentus pugnatur in rebelles, tale fortasse quiddam vidit. Adeò, si minus, cum aduersa acie hostium, vicinoq; Gallorum exercitu, cum animis certè eorum, & cum ferocia insita pugnatum est. Vicitq; Gentem, & in ea parte debellauit, si

non

non ſtrages facta copiarum omnium, certe terror admotus, & facies obiecta, tamquam delendi illic ad internecionem forent. Vicit animus noſtrorū, quos, ab arce ſimul ipſa obſeſſi, & ab vicina Caſale auxiliares, ira, atq; indignatione accenſos concitos penè in rabiem, obſtinatos ad victoriam, conſpicere potuerunt. Conſpexere motum ab ſua penè ſede ſolum illud, atq; ferramentorum exercitu ſtatim diruta viſcera terrae, verſamque ab imo & repente mutatam loci faciem, dum tegunt ſe ſe Catholici, dum cingunt velut indagine Bremum dum abrumpunt itinera omnia hoſti, non ad ſubſidia modò, ſed ad ſpem quoq; prohibendam. Fuitq; illis Demarchus ipſe praecipuus terror ſicut in excuſanda deditione poſtea confiteri non dubitauerunt. Non Ducis modò, ſed militis etiam munera omnia obibat. Non die non nocte ceſſator ad loca aderat, quà periculi aliquid oſtenderetur. Et vigilantiam quidem fortitudinemque Principis videbant ſanè ab Arce hoſtes: conſilia verò profunda, & ea, quae ad cladem ipſis inferendam ſecum ipſe agitabat, licet non poſſent videre, ſuſpicabantur. Ad Principis exemplum Aragonius, caeterique duces, velut belli planè fulmina ſub oculis erant, accenſi gloriae ſtudio: pietate & fide erga nomen Maieſtatemque Regis, certantes quidem in ea obſidione ponere vitam, ad caetera verò mirificè inter ſe concordes, ſenſibuſque fraternis: quae ipſa concordia prae-

Leganeſij Eulogium ab ipſis hoſtibus expreſſum.

cipuum victoriae instrumentum fuit.

Fructus huius victoriae.

Haec victoria penitus eiecit ex Mediolanensi Prouincia Gallos: fregit vires animosque eorum, dempta authoritate, famaque diminuta, qua Rupellam sibi nouam in Italia quaesitam & fundatam esse praedicabant. At Nomini Imperioque Catholico, & extra nostrum Orbem in alterum quoque Mundum per tot Regna diffusae Maiestati, paruulus angulus hic, & res haec minima dictu, ad famae aeternitatem grande momentum habita est, confirmato sic nobilis Poetae vaticinio prouerbioque gentium. Non posse lilia illa florere hîc: coelumque & terram hanc stemati simul, & Regno Gallico sterilem esse atque inimicam.

Multi, & clari viri ab hac expeditione laudati.

Praeter memorata iam decora & merita virorum, claruere etiam in hac expeditione isti, quorum nomina promiscuè ponentur absque discrimine vllo qui primi, quiue secundi fuerint. Fuere enim inter se per virtutem pares. Pater Gamassa ex inclyta Societate Iesu, tamquam Archimedes aeui nostri alter, vnicus inspector coeli syderumque, sed mirabilior artifex operum machinarumque bellicarum, quibus opera & machinae hostium eluderentur. Matthaeus Rosales scribendi prudentia animoque praeclaro ad excipiendã & tractanda Imperij & belli huius arcana praecipuus, sed & Principis mandatorum attentissimus ad omnia exsequenda curator: caeterique deinceps in suo quisque

munere

munere mirabiles, quorum opera siue consilio Princeps ad intima quaeque vtebatur. Marchio Caracenae. Sangrati Comes. Sartiranae Comes. Ptolemaeus Gallius. Tita Brancatius. Georgius Ximenez. Vincentius Lamarra. Machinatorque Todeschinus. Pompeius Alardus. Vincentius Bustamentus. Vincentius Peregrinus. Iosephus Blancas. Saluator Vinales. Sfondrati duo Carolus & Philippus: quorum ille relictus ad Bremum est arcis & praesidij praefectus: hic Patruelis Valeriani locum in exercitu tenebat: Et gratiam vterq; renouauere Domus in qua Pontificatus Max hoc est terrarum orbis Imperium nostra memoria fuerat.

Lasciuia vrbanae Plebis ad nuncium Bremi recepti.

Recepto Bremo allatisque victoriae nuncijs in Vrbem celebrauere Mediolanenses, adeo effusè & hilaritate animorum, & rerum omnium apparatu, per quas in huiusmodi triumphis pecunia prodigitur, & discursu per vias, & praecipuae ad templa concursu, vt appareret verum hunc esse triumphum simul pietatis & fidei erga Regem, simul odij in huius Maiestatis hostes, simul denique constantissimae voluntatis, ne vmquam Gallica arma Prouinciam hanc Vrbemque haberent. Excesserat lasciuia plebis in satyras, & libellos & omne irrisionum, & ludicri carminis genus. Sed cohibiti sunt edicto Principis, modestiaque & authoritate procerum, qui non cessabant castigare procaces, atq; docebant indecoram graui populo petulantiam

Satyrae, libelli.

Publico edicto coercentur.

hanc, gentibusque parcendum, quae Reges sequutae suos arma in alienos ferrent. Nec ideo finis in occulto, satyra mimusque luderet, & Nauarinorum etiam simulacra palàm vrerentur. Bremum sequuntur Vercellae, vt geminatis triumphis tantus Imperator verè triumpharet. Multorum dierum opus fuit, ac ingentium vigiliarum obsidium diuque contumax Vrbs cessit Catholicis armis Guzmanaeue felicitati, quae secundùm in hoc seculo Subalpinam illam Vrbem Prouinciae Insubricae stipendiariam fecit. Seròque Purpuratus Valleta hostium Imperator ingemuit, cum fermè sub oculis eius & legionum, ex Vercellis praesidium exiret, & Hispanae copiae victrices ingrederentur. Vasquio Coronato Praefecto in Vrbe relicto ab Guzmano, ipse Mediolanum ad plausus excipiendos venit. Compositisque litteris ad Catholici Regis Maiestatem, in haec fermè verba de Prouinciae administratione retulit.

Post Bremum capiuntur ab Guz. Vercellae.

Valleta Purpuratus hostium Imperator.

Vasquius Coronatus Praefectus Vercellarum,

Guzmanus ad Cath. scribit.

Quū nutu fauoreque coelesti factum ita sit, vti sub finem expeditionum hujus anni sanè memorabilium redire possemus ad Vrbem reducta nobiscum Exercitus parte, quam necessariae quietis causa, ad breue temporis spatium in hyberna diuisimus: existimaui officio meo conuenire mihique esse faciendum vt reuerentissima animi submissione Maiestati Vestrae repraesentarem magnos notabilesque successus, quos Catholica haec Vestra arma habuere anno salutis

Ab numine auspicatur.

Partes suas existimat Guzman. Regi enarrare &c.

1639.

tis

tis hoc millesimo quingētesimo trigesimo nono, qui cùm haec ipsa scriberem, in exitu erat. Fuere namque verè notabiles magni, annuente sic benignitate clementiaque diuina, vel, ob causae aequitatem, quam in defendenda atque attollenda Religione Maiestas Vestra sequitur: vel ob admirabilem ipsius prudentiam, qua bellum hoc ex longinquo regit atque administrat: vel ob consilia praeclara, quae à Principe Ministrorum manant: ob militum horum quoquè virtutem ardoremq; animi ac solicitudinem eius, quem M. V. praefecit, vel ob haec omnia simul.

Magni & notabiles successus.

Reddit rationem huius.

Tacitè se ipsum laudat.

Non autem ego in facienda hac & instituenda relatione, repetam, qui status esset Prouinciarum & huius Italici belli, tunc, cùm à Maiestate Vestra missus ipse veni ad regenda haec: quantis meis laboribus, vigilijsque & aerumnis opus fuerit, primùm quidem, vt Prouinciam ipsam Vrbemq; Mediolanum ab validissimorum exercituum irruptione, & ab pertinaci hostium impetu defenderem: deinde verò vt liberarem eam ab iugo, quod ceruicibus impositum iam manifestè erat. Tantùm simplicissimè dicam, verboque comprehendam id quod fieri diuinitùs gentes hae viderunt. Nempe, capto Bremo, profligatum atque eiectum ex hac terra hostem, & omnia Gallis adempta, que per prouinciam obtinebant ipsi atque habebant. Ea Prouinciae simul & vrbis salus fuit. Captà deinde Vercellarum vrbe, & aperto sic adi-

Praeteritio ingeniosa.

Statum Prouinciç nolens describit.

Eius labores & felicitas.

Quid fuerit salus Prouinciae & vrbis.

tu

Quanti momenti Vercellae.

tu in Subalpinos, portaque patefacta in Pedemontanas eas terras, quae impenetrabiles & clausae penitus antea semper habitae sunt, sublatus est magnus ille circa secreta dominationis error, qui certissimae ac maximae veritatis loco sederat animis, alteque inueterarat. Vaticinabantur namque ita homines in circulis colloquijsue omnibus, famaque haec erat. Sabaudiae Domum, quae duobus interiecta potentissimis Imperijs, exposita & opportuna vtrique manet, plus habere necessitatis, vt ad Gallum debeat inclinare, vertereque illuc obsequia quàm vt respicere Catholici Regis gratiam, opesque sequi istas. Quippe, pericula illinc & damna imminere ineuitabilia, si in conterminam finitimamque Sabaudiam pedem inferre Galliae Rex velit. Ab altera verò parte tuta esse cuncta, obiecto nimirum Pedemonte, cuius plurimae ac firmissimae arces tegant Sabaudo muniantque tergum interea dum possit subsidia mittere Galliarum Rex. At nunc, capta Vercellarum Vrbs & arx illa nominis famaeque tantae, superato Catholicis armis Gallorum atque foederatorum exercitu, qui propugnator aderat, documento fuit, falsam opinionem & arcanum inane illud. Ab hac Vercellensi victoria successuque mirifico, quo maiorem fortasse nullum Vestrae Maiestatis arma tenuere per Italiã, factus est ad caetera gradus, quorum etiam nomine par est adorari clementiam

Magnus error ab hac victoria sublatus.

Qui esset intra secreta dominationis.

Quare ad Gallum magis quàm ad Hispanum debeat Sabaudus inclinare.

Vercellae docuere falsam esse opinionem & arcanum illud.

tiam benignitatemque Numinis erga Imperium hoc. Centium eſt propugnaculum vnicum & clauſtra Finalis: fraenum in Valles, quas Langas Italicus hic ſermo appellat: nec non ad dominatum praeterea quendam veluti modeſtiae lex & appoſita diſciplina. Huc ego animum, & victricia haec Veſtrae Maieſtatis arma adieci diſſentientibus diſſuadentibuſque multis, qui primos in exercitu ordines ducebant. Poſtquam ſententia ſtetit, ire & agredi rem, tempus elegi opportunum, ac prouiſu periculi, mandaui occupari ſtationes & loca idonea antequam copiae illuc vniuerſae ducerentur Id ita prouiſum cautumque fuit, ne qua in Arcem ſubſidia mitti poſſent. Diſpoſuique ſic omnia & militum robore, & numero & praeceptis atq; ordine gerendae rei, vt non potuerint duo coniuncti exercitus, Gallicaque ſimul & Sabauda arma vim impetumque noſtrum ſuſtinere, quominus victoriam inde reportaremus inter clariſſimas omnis aeui referendam: Gallique fraenati ita, ne per aliquot deinde menſes committere ſeſe campo auderent. Interea, cùm Princeps Thomas veniſſet in Italiam, neque haberem ego certa vlla mandata Veſtrae Maieſtatis, coepi mecum ipſe conſultare ex praeſenti rerum ſtatu, quidnam tentari poſſet, quidue etiam in eiuſmodi temporis atque rerum conditione foret ab hoſte metuendum. Atque circumſpectis hinc inde omnibus, penſatiſque momentis,

Centium eius ſitus.

Licet Principes exercitus diſſentirent Guzmanus ad Centium animũ adijcit.

Opportunitas & prouidẽtia Guzman. ad hanc expeditionem ſuſcipiendam.

Duo exercitus hoſtium non potuere ſuſtinere noſtrum impetũ.

Princeps Thomas venit in Italiam.

Principi Thomae manum idoneam tradit.quoConsilio. Cliuassium.

ſtatui tradere Principi manum idoneam, qua Cliuaſſium repente aggrederetur ab Vercellarum Vrbe ſcilicet, quam niſi haberemus Vrbem, conſilia nobis omnia torperent, neque geri & obtineri potuiſſet quicquam eorum, quae geſta ſunt proſpere ac feliciter. Capto per Principem Cliuaſſio, conſilijs & efflagitatione mea mouit ille ad Eporediam, tenuitque Vrbem, & curſus inde rerum victoriarumque fuit. Cepi ego Veruam atq; Creſcentinum. Committitur apud Taurinum pugna: fuſoque hoſtium equitatu, creuit noſtris ad caetera animus: & cadente ad irritum ſpe potiundae Vrbis, quam Sabaudi fratres ex colloquijs litteriſque nonnullorum habuerant, itur iuſſu meo ad Ponteſturam: cuius loci arcem quia pertinacius aliquantò defendebant hoſtes: & Villanoua Haſtae maius operae pretium nobis futura erat, diuiſo exercitu partimur ita cum Principe vices, vt ille Villanouam, ego Ponteſturam tempore fere vno circumueniremus: ac reſpondit huiuſmodi conſilijs egregie euentus. Vtrinque victores vtraque redegimus munimenta in poteſtatem, magna noſtrorum Hiſpanorum laude, qui facto ad Villanouam impetu, ferociſſimè irruperunt: nec ferocia minor in ea irruptione Italici militis fuit. Coniunximus rurſus deinde vires, & contracto in vnum exercitu, Montemcaluum adipiſcimur. Ab Montecaluo ducimus ad Haſtam, & accepta protinus in deditionem Vrbe, oppugnamus ibi

Secundum Vercellensem victoriam poterant haec tentari.

Cliuassium ab Principe Thoma capitur.

Eporediam capit.

Veruam ac Crescentinum Guzman. capit.

Partitur cũ Principe Thoma exercitum Guzmanus.

Villanoua & Pōtestura potiuntur Guz. & Princeps Thom.

Laus Hisp. & Italorum.

Montem Caluum capiunt.

Hasta deditur.

ibi expugnamuſq; arcem, qua capta, praeſidium inde validiſſimum quadraginta horarum ſpatio emiſimus. Conſilium hinc mihi fuit intercludere penitus ab omni commeatu, & alimentorum ſpe Santiacum, arcemque ſanè munitiſſimam illam ſine telo, ſine diſploſione vlla obtinere tantummodo per terrorem & famem. Sed enimuero, quia id ſpe longius erat, ad Trinum interim verti conſilia. Atque diſpoſitis opportunè omnibus ad eam rem, quae ſpatium & temporum interualla requirebat molemque belli, ſcilicet, vt tanti momenti arcem hanc expugnarem, qua nulla per Italiam fere vniuerſam magis celebratur aeſtimaturue pluris. Cumque huius rei conſilium non placeret fortè aliquibus, atque contradicerent & repugnarent magnoperè homines, quos Maieſtas Veſtra deſignari intelligit: nihil morati nos conuitia contentioneſque huiuſmodi, ad deſtinata accingimur. Atque fuſa diſſipataque ad Lucedium (id Abbatiae nomen eſt) Gallorum equitum peditumque manu, quae Trinum ingredi conabatur, duodecimo die munimenta haec ferè inexpugnabilia ſuperantur Catholica vi. Caeterum cum longè maxima fuerit haec victoria veniam Maieſtas veſtra dabit, vt paulò difuſiùs eam explicemus. Apud Vrbem Haſtam conſilio inito aggrediendi Trinum: circumſpectis eius rei difficultatibus tum ob loci naturam, tùm ob munimenta, quae ponuntur manu; penſitatis etiam negotij

P. aeſidium exit.

Trinum meditatur Guzmanus.

Magni momenti axilla.

Apud Vrbẽ Haſtam conſilium initur de aggrediendo Trino.

momentis ad ea tuenda, quae iam parta essent: necnon subducta ratione, quantum virium inesse posset, ex quo, tendentes illuc ab Santiaco peditum cohortes equitumque turmas Ferdinandus Limonta suderat (id acciderat die Mercurij ad V. nonas Maias, quo die Montiscalui deditio item facta est, vndecimo postquam arcem eam oppugnare nostri coeperunt) his rebus consideratis prouisisque omnibus, ego postridie deditionis praelijque eius, quae dies fuit ad IV nonas Maij, ab Hasta egredior, subsistente paulisper illic Principe Thoma, vt cura, atque solicitudo hosti de ea Subalpinorum parte inijceretur. Postero die, traiecto ad Ponteturam Pado, ventum est in Oppidi conspectum. Eo die, & Sabbato insequenti, cùm iam Princeps quoque Thomas ad exercitum venisset, castra loco subijciebantur: placuitque ab quatuor partibus instituere oppugnationem, cui apparandae descriptio stationum in hunc modum facta est. Stationes duae fuere Hispanorum: in quarum vna legiones treis: Soteli nimirum, & Alencastri, & Tauarae Marchionis: In altera, legio Insubrum Aluysij Ponze de Leone, & legio Caracenae Marchionis positae fuerunt. Statio vna Italorum. In eam, Bolognini, & Borromaei, & Marchionis Serrae legiones iêre. Vna Germanorum, cui Leneri tribuni, & Principis Bursi miles attributus, Stationibus ita dispositis, vineae coeptae agi,

Perlustrantur omnia momenta huius expeditionis.

Moncaluum deditur Hispanis.

Guzmanus egreditur subsistit illic paulisper Princeps Thomas quo consilio.

Ab quatuor partibus instituunt oppugnationem.

Distributio totius propugnationis.

Vineae aguntur admouenturque opera.

agi,admouerique opera ſummo militum ardore, ſed difficultate penè inexſuperabili,obtinentibus cuncta aquis, & deficiente humo. Aduerſus id incommodum,corbibus vtendo miles, ſtrenuè gradum faciebat, magnoque vſui ingenium hoc fuit. Illic, vbi ſtatio ſedeſque propria bombardis erat, bombardae quatuordecim ſtetere directis ad verberationem faucibus, vtiliorq; deinde verberatio, apud Italos, & apud Caracenae Marchionem adornata eſt. Quati ſic aedes & tecta coeperunt. Simul ollae incendiariae bolideſq; vibrantur magno damno, terroreque incolarum. Mox & quaſſari moenia tormentorum ictibus, queis cancelli munitionum & ſepta diſſipabantur,paſſimq; lorica ruebat. Id fuerat praecipuum loco robur: nec alia per Italiam validiora munimenta reperientur: firmiſſimas quaſque arces abſque vlla exceptione aequat. Propugnacula ad dimidiatae lunae figuram vndecim habet, Ornabelcum vnum,terribile ſuper caetera opus, foſſamque valde profundam, cuius ſinum aquae implent. Poſt ambitum hunc circulumq; munitionis, quo moenia tota teguntur alia excurrit ſimili altitudine foſſa ſtagnantibus item plena aquis. Altae,& firmae ſubſtructionis murus ex arte turres habet ad locanda & obuertenda aptè tormenta in hoſtem. Variae magnitudinis haec ad viginti intus erant partim locata & diſpoſita ibi iam, partim in exteriore orbe munitionis, atque in arce praeſertim.

Quae expeditionem loci difficillimam redderent.

Deſcriptio munimentorum Triniſ

Statim

Quid primò meditaretur Guzmirem sine mora agere.

Statim à principio consilium fuerat, munimenta haec exteriora tentare quamprimum, idque vi tota vrgere inceptum, spreto, vel certè non exspectato si quid ars, & militaris disciplina contra suaderet. Causa festinandi, ex eo quod neque milites ad numerum habere inclusos fama erat: & inutile foret, dari spatium hosti, quo maiores ad signa copias congregare posset, exercitusque robur comparare maius ad resistendum tentandumue aliquid. Nam, & increbrescebat rumor, nuntijque veniebant, copias duplicari Gallorum. Septem millia peditum: equites ter mille: simul eductae ab Taurino bombardae iam iamque adesse dicebantur. Haec ad rem sine mora gerendam incitamento erant. Rursus, impedita tellus aquis, & vndae manantes opera distinebant: munitionumq; terror augebatur alta per fossas eluuie eadem. Attamen strenuè munitionibus vineisque insistebat miles: paruaque res omnium animos magnoperè confirmauit. Nam Itali moletrinam tenuere vnam, ibique ad molas commodè subsistere potuerunt: ac deinceps vniuersi faciendo caespite septa castrorum erigebant, aduersus naturam penè ipsam arte manuque nitentes. Obsessorum animi contumaces impenetrabilesq; manebant, obtinentibus ibi rerum summam, Maroleo Gallico Chiliarcha, quem Vidua conduxerat, & Honorato Rouero Comite Monticelli Praefecto Arcis. Celebris militari fama

Quę ad id impellerent Guzm.

Parua res omniũ animos cõfirmauit, quæ esset.

Obsessorum animi habitus.

Maroleus Gallicus Trini Præfectus eius fama.

Maroleus

Maroleus hic ille erat, cuius copiae Trinum ab Santiaco venientes ab Ferdinando Limonta caesae dissipataeque fuerunt: eiusque legioni multum tribuebatur interGallos ob edita exempla fortitudinis & virtutis, sicuti & ab Primipilo ipso Marolei testimonium illustre perhibitum est: Is namque cùm in praelio commisso, vulneribus acceptis ageret animam, inter mortuis vocibus profiteri perseuerauit non vitae sibi displicere finem, sed intimè torqueri ob amissum in pugna vexillum, cuius milites, tantas, atque tam multas Regi suo Victorias peperissent. Nostri, ex diuerso, ad spem victoriae trahebant, quod exturbassent ab Vercellarum Vrbe, indeque deiecissent Tribunum hunc. Nunc ille tanta pertinacia spirituque & animo infenso agebat, vt, cùm initio obsidionis, ad moenia successisset vnus, qui praeconem adducens, diceret, Principis Thomae nomine velle secum Gubernatore colloqui, non aliud huic, quàm displosa repente bombarda responsum dederit: Comitemque postea Boetum ferentem eadem postulata Principis nihilo benignius accepit. Cum res in hoc statu esset, Tribuni Fortmesteris legio superuenit, in qua mille Germanorum erat. Auctis ita viribus ibatur in eam sententiam, vti daretur in munimenta impetus. Quantum altitudo aquarum ab eo incaepto deterrere poterat, tantum momenti ad celeritatem afferebant nuntij, ex quibus intelligebatur, coniunctis appropera-

Quid inter mortuis vocibus diceret primipilus Marolei.

Marolei Ferocia. Quod genus responsi dedit praeconi ab Principe Thoma misso.

Aucto numero copiarum Guzm. datur in munimenta impetus.

re

re viribus hoſtem, vt ſubſidio obſeſſis veniret. Ob increſcentem eius rei famam, exquiſito adhuc, quidnam agendum in tali diſcrimine eſſet, placitum ita decretumque eſt. Obſidium nullo modo debere omitti abſcediue ab moenibus: manendum expectandumque eſſe: Non mouendas loco copias, etiamſi, vel ad Santiacum maiore praeſidio firmanda interea Galli irent, vel aliquid eiuſmodi aſſequerentur. Iam opera nonnulla in exitu erant: iam apertae fauces in foſſam: foſſaque ipſa iuncta duplici ponte. Accitur Neapolitana Legio Michaelis Pignatelli, qui apud Haſtam ſubſiſtere iuſſus in tempore aderat. Gerendae rei dies edicta ad IX. Cal. Iunij, vt hora noctis ſecunda diſploſis octo ex Caracenae ſtatione bombardis, irrumpendi initium fieret: mandataque, & vices, & ſuae cuique partes editae in hunc modum. Sotelus propugnaculum aggrederetur, in cuius frontem opera ſtationis eius directa tendebant. Marchio Tauarae inſiſteret faceretque impetum, quà propugnaculi eiuſdem pars dextera porrigitur ad lunae dimidiatae inſtar: pars ſiniſtra legioni Inſubrum oppugnanda data eſt. Caracenae mandatum, vti ſimilis formae munitionem Portae imminentem, quae fert Vercellas, inuaderet, haberetque Petardos ſecum quod machinae genus, veterum ariete violentius ad portas incendio rumpendas ars noua excogitauit. Siniſtra munimenta partis eiuſdem Tribuno

Quid placitum decretumque fuerit circa hoc obſidium.

Ab Caracenæ ſtatione ſit initium irrumpendi.

Sua ſingulis Tribunis Prouincia attributa.

Qua ratione.

buno Fortmeſter oppugnanda erant, adiunctis ad eius copias quatuor Hiſpanorum cohortibus, quas & Germani ſequebantur. In Statione operibuſque Italorum, quae dexterum Marchionis Tauarae latus ſequebantur, Bolognino mandatum, vt propugnaculum ipſe ſubiret, obuerſa in ſtationem eam fronte eminens, atque ibi faceret virorum armorumque diſcrimen. Borromaeus ab ſiniſtro, Serra Demarchus ab dextro latere iuſſi incumbere illuc: & ſuccedebat Marchioni Pignatellus munitioni illaturus vim, quae ſpectantem ad Padi fluenta Portam tuetur. Ab ea Principis Burſi legatus Ornabelco inſultauit, quod hoſtile munimentum ſepta aggereſque illi ex aduerſo reſpiciebant. Lunata munitio lateris ſiniſtri, ad quam Pignatelli opera proprius inſinuata ſtetere, ab Aluyſio Alencaſtrio oppugnata eſt, cùm eius rei cauſa antecapto duarum horarum ſpatio ad Germanorum opera tranſiſſet. Alterum Ornabelchi latus, erat quidem Formeſtero propinquius, ſed oppugnauit Lener. Hoc ordine legiones, alijs aliae praeſto erant ope mutua, inuicemque ſubueniebatur. Praecipuè autem, ijs, qui Ornabelcum & propugnacula impetebant, erant ſubſidio laterum oppugnatores: & qui tentabant moliebanturque portas, duarum aliarum robore legionum ſubnixae fuerunt. Edictum erat vniuerſis, vt in ſua quique ſtatione excubarent, aut in linea illa ſpatioque communi ad

*Hoc ordine legiones praeſto erant ope mutua.*

*Quid fuerit vniuerſis edictum.*

proximos ſeſe applicarent, nimirum ad prohibendos, ſimul ſubſidio obſeſſos, ſimul ingreſſu Gallos, ſi quà aditum quaeſiſſent. Haec vti fierent ordine omnia, riteque adminiſtrarentur, & ne qua in parte ceſſaretur ab eo, quod quibuſque praeceptum edictumue eſſet; quatuor principes exercitus & capita rerum, factis inter ſe partibus, ſtationes quique ſuas obeundas curandaſque habuerunt. Princeps Thomas intentus fuit illuc, quà ſtabant curabantque Hiſpani. Marchio ipſe de Leganes circa Italicos excubias curamque deſumpſit. Ioannes Garaius rei tormentariae praefectus, cuius Viri in tota hac expeditione vigilantiam, meritaque & labores, non animo aſſequi, non verbis explicare eſt, in altera Hiſpanorum ſtatione praeſedit. Carolus Gatta equitatus Neapolitani Magiſter apud Germanos hoc diligentiae munere fungebatur. Erat enim eiuſmodi res, vt haec aliaque complura prouideri circumſpicique oporteret ſicuti circumſpecta & prouiſa, diſpoſitaque maturè erant, attributis etiam iam inde ab matutino tempore, & diuiſis ferramentis, machinis, inſtrumentiſue omnibus, quacunque duces & praefecti partium ſingularum ad deſtinata per agenda popoſcerunt. Paulò antequam faciendae irruptionis hora veniret, veluti conciti furore hoſtes, omnis generis tela contorquebant, ingenioque, & violentia miſſilium flammarum tentauere ſi poſſent diſijcere ac perrumpere

Princeps Thomas illuc intentus quà curabant Hiſpani.
Leganeſius circa Italicos.
Garaius, & eius laus in altera Hiſpanorum ſtatione praeſedit.
Carolus Gatta apud Germanos curabat.
Hoſtes furore côciti omnis generis tela contorquent.

pere

pere pontes, quos Antonius Sotelus, & Marchio Tauarae, Italicique ad munimenta hoſtium contingenda, iniectos foſſae habebant. Mox, & noſtris condictae horae momentum aderat. Octo bombardae admoto protinus igni ferream vim in tecta ſimul & moenia operaque hoſtium magno fragore proiecerunt. Simul in propugnacula, quae, maiora, ſiue minora, numero duodecim erant impetus fit. Et quamuis latitudo foſſarum, aquarumque gurgites, & vltra ſolitae altitudinis modum, ſublimia munimenta exprobare viderentur ſpes vanas, atque irritos conatus: tamen ſpe omni maior euentus fuit. Quantum inquiſitis probè omnibus, & facta vndique percunctatione compertum cognitumque eſt, inerant Oppido, Gallica ſtipendia merentes mille, & ducenti: Gallorum numerus paulò diſpar: indigenae ad quadringentos, nec non collecta ea agris multitudo, quibus omnibus arma data fuerunt. Maroleus Chiliarca, de quo dictum eſt, tantum ſpei fiduciaeque habuit in munimentis illis, quae oppidum ab exteriore parte cingebant, vt cenſuerit conijciendum illuc eſſe quicquid armorum hominumque habebat, ſubitoque coniecit, alios ad portarum cuſtodiam, alios ad praeſidium tutelamque arcis. Non crediderat, poſſe rem ita cadere, vti caperetur Oppidum, atque efficeretur, ne receptum illuc vltrà ipſe habere poſſet. Inde maior gloria vincentium, ſtrageſque victis. Nam, cùm momento

Octo bombardae ferream vim admoto igni proiecerunt in tecta & opera hoſtium.

Mille & ducenti inerant Oppido Gallica ſtipendia merentes.

Indigenae ad quadringentos.

*In quo ſe deceperit Oppidi Praefectus Maroleus.*

Vnde maior gloria vincentium, & ſtrages victis.



fere

fere eodem in duodecim. Vndique partes irruerent, ſcanderentque noſtri, tam felix impetus ille fuit, vt, & munimenta exteriora ſtatim in poteſtatem venirent, & in foſſam Oppidi iretur. Scandunt moenia ſcalis; & abſque ſcalarum etiam aſcenſu, reptando & ſubleuando ſe ſe inuicem euadunt in coronas: Oppidumque intrauere, penetrante ſimul Alencaſtrio ſcalis in arcem, quam & Tribuni Leneris milites eodem tempore inuadebant. Arce capta, deprehenſi qui ibi erant, permiſere ſe ſe in poteſtatem arbitriumque victoris: quos inter, fuere, Maroleus ipſe, Gubernatorque Monticellus: & captum ita Oppidum. Oppidani ad exteriora munimenta acriter primò ſuſtinuere impetum ſtrenuèque reſiſtebant. Sed conſpecta conſtantia & deſtinatione noſtrorum, in foſſam maximam ipſi quoque cum impetu & rabie deſcenderunt. Ibi trucidati complures. Caetera multitudo armatorum, prout cuique animus, aut facultas, recedere, aufugere coeperunt, alij ſtatim, alij poſtea, ſicuti à portis magis minuſue diſtabant. Nam qui inde aberant longius, ne intercluderentur, fugere maturauerunt. Sed clauſa effugia reperientes ab ijs qui dimidiatas lunas & munimenta portarum oppugnabant, illic alibique conglobati, ſtimulante deſperatione pugnabant. Ita tempore eodem, & intrabatur Oppidum, & extra dimicabatur, donec cognito caſu exitioque publico ceſſere

Noſtri euadunt in Coronas. Oppidum intrãt.

Moroleus in poteſtatem victoris ſe permittit.

Quid ſtimulant deſperationem ad pugnandum.

Cognito caſu ſe ſe omnes dedere.

qui

qui reſiſtebant,ac ſe quoq; dedidere, praeſertim apud Pignatellum & Serram,in quos vis praecipua hoſtium incubuerat.Caeterùm,in obtinenda ad extremum victoria plurimum negotij Tribunis fuit. Nam,cùm prima munimenta ſuperaſſent,figere ibi pedem, & manere volebant, ſicuti imperatum his fuerat, vti ſubſiſterent illic, & praeſidio opportuno firmarentur. Pergebant ſanè circumdare ſibi & munire ſubitaria parua Caſtella haec: ſed vbi irruptione ferè vna intrauere, Sotelus, & Caracena, Comeſque Borromaeus,& Alencaſtrius, qui ſcalis obtinuerat arcem: tunc enimuero, nulla vltra cura manendi muniendique erat. Subitò rumpitur vndique ad victoriam iter, notabili & noua rerum facie, cùm diuerſis partibus ita victores inirent Oppidum, vt in parte neſciretur vna quid alibi ageretur. De numero mortuorum apud hoſtes magis adeò addiuinare, quàm certi quicquam affirmare poſſis. Nam ex vniuerſa multitudine armatorum, quingenti non amplius ſuperſtites reperti ſunt, qui attinebantur adhuc captiui omnes. E noſtris deſiderati ductores copiarum Hiſpani duo, Italique nonnulli Caetera ſumma omnium, qui caeſi, quiue vulnerati fuere, ad trecentos. Capto ſic Oppido praeda militi conceſſa eſt: ſubditique ab quatuor partibus ignes, admodum me aegreferente, & incuſante contumaciam,quae damnum id clademque meruiſſet, atque adduxiſſet rem in eum ſtatum. Volueram

Quae tentarent obſeſſi.

Sotelus Caracena Borromaeus Scalis primi arcem obtinuere.

Vndique rumpitur ad victoriam iter.

De numero mortuorum hoſtium nihil certi affirmari poteſt.

Trecenti è noſtris deſiderati.

Praeda militi cōceſſa.

Ab quatuor partibus ſubduntur ignes.

ſanè

lanè ipse pietate ingenita restingui flammas, incendiaque & caeteram militarem violentiam inhiberi: sed mali celeritas: remedia anteierat. Ab Templis tamen, & muliebri decore temperatum: atque in eo Tribunorum virtus & diligentia enituit. Caetera incolarum damna prohiberi non potuere: nec ipsi quicquam eorum quae chara haberent, in templa intulerant freti munimentis, quae inexpugnabilia esse crediderunt; Commeatus & instrumenta belli reperta ibi affatim. Neque enim alia per Subalpinos Vrbs pari cura & solicitudine habebatur Victoria mirifica fuit. Raró tale quiddam in Europa gestum spectatumue est. Proinde Deo, Virginique Deiparae publicè grates agi iustum piumque fuerit, cuius nomine inuocato suscepta res cum ea precatione, vt tranquilissima denique pax per terras omnes Christiani Orbis fieri haberique possit: quod vnum spectant pia & felicia haec arma Catholicae Vestrae Maiestatis. Clarorum porrò virorum, fortissimorumque Ducum, qui ad rem consilio manuq; gerendam adfuere, omissa mentio est, quia longum fuerat, singulorum recensere laudes, quas meruere strenue fideliterque mandata omnia exsequendo. Garaius praecipuè est ab omnibus laudatus, tulitque ipse magnam huius victoriae partem. Cardinalis Princeps Sabaudus, dum agerentur haec, ingressus de industria Cuniũ erat, & cognita licet obsidione, quam meditabantur

Damnat hoc grauissimè Guzm. Ab templis & muliebri decore temperatum.

Haud alia per Subalpinos Vrbs pari cura habebatur.

Finis tantae expeditionis.

Card. Sabaudiae de industria ingreditur Cunium.

bantur parabantque Galli, manebat ibi tamen repugnante multum ac diſſuadente Principe Thoma, qui loco diffiſus, relicto illic fratre, egreſſus inde eſt: protinuſque inſecuta obſidio, tanta inter Gallos ſpe Oppidi capiundi, tantiſq; animis, vt euaſerint ſemel in muros ſcripſeritq; Longauila ad Regem in Galliam, captiuum apud ſe eſſe Cardinalem. Et ſicuti ſperabant iactabantque iſti, ita etiam caſura res videbatur, inſequente Longauilam Cardinale Valeta, quae duae coniunctae manus, proculdubio rem illic ad extrema deduxiſſent. Angebant nobis magnopere animum multa ſimul, ludibriumque inprimis Sabaudae Domus, ſi Cardinalis Princeps ille caperetur. Ea cura, & animi tormentum id altioris conſilij initium dedit, vt in tanti diſcriminis remedium ſuſciperetur res, quae veluti reductura ab exilio Sabaudam ipſam Domum, & Principem vtrumque collocatura erat in Auiti Imperij ſedem. Stat animus inuadere Taurinum ipſum Inuaſimuſque & cepimus Vrbem illam minore militum numero, quam quantus numerus ibi propugnatorum erat. In ea irruptione, tanta Maieſtatis Veſtrae militum fuit virtus, vt reportauerint illico victoriam, de qua Princeps ipſe iam iam deſperabat. Caracenae Dynaſta, Martinus & Moxica, Tutauila non ſolùm ſtrenuè ad omnia ibi nauarunt, ſed etiam & ſpem excitauere quaſi abiectam atque deploratam, & intrauere ipſi Vrbem raro exem-

Princeps Thomas diffidit Cuneo.

Galli magna ſpe obſident cuneum.

Quo gloriarentur Galli.

In maximo diſcrimine res Cunei.

Guzmanus Cunei periculo occurrit.

Inuadit, & capit Taurinum.

Virtus & ferocia noſtrorum militum.

Caracena, Tuttauila, & Martinus Moxica laudati.

plo

plo felicitatis ac virtutis. Repentinae deinde copiae Gallorum, & noſtri exercitus attenuatae tot expeditionibus vires curam attulere de ſumma rerum, ne ſcilicet ſub vnum fortunae ictum, atque in vnius praelij diſcrimen darentur ea, quae parta iam & poſſeſſa habebamus. Nondum enim expectatum ex Hiſpania ſupplementum venerat. Ita Arcem ad Taurinum tenuere Galli, nobiſque tenentibus Vrbem certamina cum hoſte quotidiana erant: atque per duodecim dies totidemque noctes abſque vlla intermiſſione pugnatum eſt, quum hinc aperta Vrbs, exercituſque fatigatus, hinc Galli habentes pro aggere Arcem ſtarent. Semel iterumq; inuaſere noſtros vtroque conatu irriti ac repulſi, caeſis etiam vltimo praelio primoribus ipſorum aliquot; Et magna per exercitum illum edita ſtrage. Ab noſtra parte plus laboris ac periculi; quàm virium erat. Mox Vidua dominatrix miſit, qui offerrent peterentque inducias. Vnicam eam ſalutem, exercituſque conſeruandi remedium in tali tempore vnicum cenſuimus quotquot is caſus eaque fortuna deprehenderat. Induciae ſunt initae, & quies accepta armorum in eas conditiones, quas neceſſitudo temporis dabat: belloque, & ſecuritati, & dignitati vtcunque conſultum. Caeterùm; ſententia omnium haec fuit. Capta Auguſta Taurinorum, & eiecta inde ſorore Galliae Regis, cumulum ingentem, & grande momen-

Quid curam inijceret Guzmano.

Supplementa nõdum venerant ex Hiſpania.

Galli tenent arcem ad Taurinũ.

Frequẽtes pugnæ inter noſtros & Gallos.

Multi ex Gallis quotidie deficiebantur.

Sereniſſima dominatrix offert & petit inducias.

Induciæ vnica ſalus noſtrorum exercituum tunc temporis.

Quae eſſet omniũ ſententia.

momentum acceſſiſſe ad Maieſtatis Veſtrae gloriam: nec rem aliam geri potuiſſe, quae plus famae allatura eſſet hiſce armis. Quippe Regia illa ſoror, penatibus exturbata ſuis cum familia domoque tota compulſa erat in arcem. Vix eripuerat ſe ſe militi noſtro: vix neceſſaria per dies aliquot alimenta habuerat: eaque conceſſa ſunt, & praebita propter humanitatem ab Maieſtatis Veſtrae Miniſtris & ab hoc victore exercitu. Anxia deinde ſuae ſalutis coacta eſt excedere ex Italia, cum non poſſet alicubi conſiſtere tutò, pedemue figere, quae bellum turbaſue tantas antea conciuiſſet. Induciae vtique illae conſeruauere exercitum, in quem ſimul debilitas & fatigatio ipſa, ſimul nouae ex Gallia copiae armabantur, niſi ſpes illa oblata moram inieciſſet. Inter pacta induciarum poſitum ita perſcriptumq; fuit, vt Cardinalis Princeps Nicaeam ingrederetur, de qua re contenderat antea ipſe: noſque contenderamus item, & vt fieri poſſet, magnoperè expetebamus. Inſuper, toto eo tempore, quo ceſſatum ab armis ex condicto fuit, manſere copiae noſtrae in ſubalpinis, & in Monteferrato: ac ne miles quidem vnus in Prouinciae terras venit, quale antea laxamentum nunquam obtigerat. Noluerant autem poſtea Galli diſpoſita per Montemſerratum vlla militum noſtrorum hyberna eſſe, nempe proſpicientes, ſi id fieret, circumſederi ita Caſalem, nec poſſe in eam vrbem ſubſidia vlla intromitti. Ea

Soror Regis Domo natriis fugerat, in arcem. Eius infelicitas.

Quid eſſet inter inducias. praeciſe pactum

Tempore toto induciarum noſtrae copiae omnes manſere in Subalpinis.

Quid contenderent nequicquam Galli.

irrita contentio hostium fuit, neque obtinuere quicquam. Namque in conditionibus vtrinque perscribendis, cautio haec ab nostra parte fuerat ita vt nullum ius, nullaue ad eam rem actio relinqueretur. Atque caput vnum de intromittenda sexcentorum manu totidemque ab Casale educendis sua ipsorum subtilitate euanuit Gallis ereptumque est. Namque cùm distulissent vltro commutationem introductionemq; eam ad id tempus, vt affecto Autumno praesidio Arcis, nouum imponere militem & renouare praesidium possent, iure suo exciderunt, quia Susam & Auillanam nouis copijs firmasse reperiebantur praeter conditiones & pacta induciarum. Neque iuuit effugium & excusatio quod sui iuris arces & loca illa essent. Posteaquam exierat induciarum dies, itum ad arma statim per Nouembrem Decembremq; menses, & resumebatur à nobis strenuè bellum. Occupauere Cherium interea Galli, qui locus, praeterquam quod nulla ferè munimenta murorum habebat, erat etiam ab omni armatorum praesidio tunc fortè nudatus licet, voluissem ego copiarum imponi aliquid, atque egissem, vti imponerentur. Sed cùm occupandi Cherij stimulus hic & causa Gallis fuisset, vt vrgerent ex eo loco circumsederentque Taurinum: coepi ego tanto statim conatu tantisq; viribus vrgere eos, & necessitates ipsis admouere tantas, vt non solùm in Vrbem comportata & immissa fuerint

Cautio haec ab Guzmano discretè fuerat opposita.

Causa cur Galli mutare praesidiū arcis Casal. non potuerunt.

Susam & Auillanam nouis copijs firmauerant contra pactum.

Itum ad arma post inducias.

Cherium occupàt Galli.

omnia,

omnia, quae destinabantur, sed etiam adempti illis interceptiq; commeatus: Nec annonam tantummodo amisere die quodam praelio commisso circa iumenta & carros, sed ad mille eorum interfecti. Volueram vtique praesidium ipsum elicere ad pugnam; atque obequitando portis, tentatum omnibus modis, quaesitumque est, si elici possent. Sed nusquam fecere dimicandi potestatem: ac demum coepere relinquendi Oppidi consilium & abiere. Colles, qui circa sunt, agmine fugitiuo petebant. Serò id mihi indicatum. Nam & studium ipsis curaq; haec fuerat, vt fallerent. Insequor tamen atque ad X Cal. Decembris adipiscor id hostile agmen. Tunc enim vero praelium initur futurum sanè memorabile ad posteros etiam, & vetera Imperij decora renouaturum, si aut hyemalis ille dies duas amplius horas obtineret, aut nox insecuta minus tenebrarum habuisset, nec foret obscurissima totius anni. Pugnatum est in illa temporis breuitate acriter. Multi ex hostibus occisi sunt. Impedimenta sarcinaeque ademptae. Desiderati pauci è nostris. Castella quinque per eam victoriam venere in potestatem. Reliqua verò duo Bubium & Veinem, quae adhuc in tractu & Valle Langarum, hosti tenebantur, agressus, quamquam frigori incommodisque caeteris aegerrime resistens, cepi tamen: neque vlla interim signa Gallorum apparuere. Oportuit autem oppugnari sic ea & capi, tum ne vsui Gal-

Ab Guzmano adimuntur & intercipiuntur Commeatus hosti.

Mille ex hostibus interfecti.

Nullam dimicandi faciunt potestatem hostes.

Abeunt hostes.

Fugientes sequitur Guzm.

Committitur pugna.

Nostri victores.

Alia loca capit Guzmanus.

Quare haec loca ceperit Guzm.

lis eſſent ad militum noſtrorum hyberna tentanda per Subalpinos, atque per Montemferratum vltra Tanarum flumen: tùm verò, vt purgata ſic & poſſeſſa tota longitudine & regione Langarum, Maieſtas Veſtra longius in ea occidentali ora latiuſque proferret Imperium. Scilicet Veſtra nunc Maieſtas ope diuina ab Mediolano ad Alpes per Eporediam atque Taurinum, & vſque ad mare per Montemferratum & Langas Imperium habet, cum emolumento vtilitatibuſque tantis, quantas haec Epiſtola non capit. Quodque caput eſt, habet hinc inſtrumenta maxima faciendae per totum Chriſtianum orbem, & conſeruandae pacis, quae vnica vtilitas & cura tanto Regi. Gallorum numerus, qui inter praelia expeditioneſque iſtas; caeſi capti, fuſiue ſunt, fidem penè excedit Nam, & ad Centium, & ad Oppida ſemper locaue alia, quae capta armis, quaeue recepta per deditionem fuere, eſt edita ſtrages huius violentae & inquietae iniuſtaeque Gentis. Fateor amiſſum eſſe Cliuaſſium, neq; tot pugnas incruentas fuiſſe exercitui huic, licet nec adeò cruentas. Quodque luctuoſum in primis & triſte eſt, perijt plumbea traiectus glande Martinus Aragonius: cuius viri nomen, & virtus, & peritia rei militaris & obſequium, & fides erga Maieſtatem Veſtram nulla vmquam obliuione obſcurabitur, viuetque in animis hominum, in memoria rerum, quamdiu manebit virtutibus honos: imò

Quid auctum Maieſt. Catholici Regis ab hiſce Guzm. victorijs.

Martinus Aragonius traiectus glande occubuit. Eius laus.

quamdiu homines manebunt. Sed communia bellorum haec: vitaque proxima morti, omnium, qui ad bella eunt, & quicunque sic periere, famam immortalem habent, suntque inuidia potius quàm misericordia digni. Ac si damna vtilitatesq; publicae comparentur, praeualebunt haud dubiè ista, per quae creuit Imperium. Instrumenta porrò rerum vtilitatumq; tantarum, fuere post opem clementiamq; diuinam, fortissimi milites, egregij ministri, consilium & virtus, & Principis Thomae socia fides; imprimisque subsidia tamquam ex perenni fonte missa istinc, siue pecunia, in supplemento militum opus fuit: ac tanta fuit vtrinq; diligentia, vt hostes ipsi obstupescerent. Nam cùm exercituum horum tot ac tantae sint in omni bello necessitates, nulla per Europam vmquam castra, nullosue exercitus ego fuisse arbitror, quibus perinde suppeditaretur quicquid ad rem gerendam pertineret hominesue sustentandos. Nunquam copia frumenti panisue defuit, cùm longinqua & periculosa itinera haberentur ob sequendos petendosue commeatus: partemq; laudis huius refferunt meritò omnes ad Comitem Ducem tantae Regiae prouidentiae Ministrum, per quem effectum est, vt tempora haec adeò misera & infesta, felicium temporum opes praeferrent atq; haberent. Nec Medinae Duci subtrahenda sua laus. Ab eo mihi suppeditatae pecuniae fuere, quantas requirebat atrox hoc & difficile

Quae sit conditio bellantium.

Princeps Thomas laudatus.

Maxima copia semper commeatuum fuit.

Prouidentia Comitis Ducis laudatur.

Medinae Dux Neapolis Prorex commendatus.

bellum:

bellum:& credo ego ipſum quoque magnopere dimicaſſe cum anguſtijs, & difficultate rerum vt mandata Veſtrae Maieſtatis exſequeretur. Domine haec habui quae exponerem cum ea veritate & fide qua Regē Regum alloqui debeo fidiſſimus Miniſter. Nihil per vaniloquentiam in hac relatione poſitum eſt. Ad Dei primò, deinde ad Maieſtatis Veſtrae gloriam cuncta retuli, & mente, vt ſi Maieſtati Veſtrae ita videbitur, in ſupremo quoque ſuo Conſilio recitatae hae litterae moueant ibi animos ad gratias Deo Opt. Max. agendas ob ſaluberrima conſilia, quae ipſi, & Primo Miniſtro ipſius immiſit.

*Guzmani animi ſubmiſſio.*

*Roget Regem vt haec in publico conſilio recitentur.*

Laeta tot victorijs Ciuitas erat, quas adiuuerat ipſa milite pecunijſue ſuis, quarumue fructus ad ſecuritatem gloriamque ſuam pertinebat: Atq; aeſtimantes vniuerſi, quàm multa & magna intra breue tempus eſſent geſta Catholicis hiſce armis, aut armorum denique quietem aliquam, tributorumque finem, aut maiores eodem tenore victorias ſperabant: annuſque tam laetarum rerum, & tam laetae ſpei erat hic CIↃIↃCXXIX. Anno inſequente Guzmanus idem, per quem partae victoriae erant, ad rem ſanè magnam animum adiecit, vt nempe Caſalem arcemque ei Vrbi adiunctam caperet, qua capta Vrbe & arce, conſtituiſſe in perpetuum ac muniuiſſe Prouinciam videri poſſet. Caſtellum namque foederum hoſtiliū id, & veluti iugum Prouinciae imminens ſemper habitum fuit ex quo penè fa-

*Mens Guzm. & apparatus ad Caſalem.*

*Quod eſſet conſilium Guzmani in inuadendo Caſale.*

talia

talia ad Italiae turbas perniciemque ſuam haec monumenta poſuere Duces, quorum,neque nomen,neque ſalus ipſa tanti fuerat. Huc inferre pedem arcemque tanti nominis eam, ſi deſtinata ſucceſſiſſent, veluti pulcherrimum haud dubiè munus aſſignare Regi ſimul & Metropoli Prouinciaeque toti patrator idem tantarum antea rerum magno animi ſui ſecreto cogitabat: Stabatque erecta ciuitas noua & maiore expectatione poſtquam conuerſa ſigna & circumducta agmina in eam partem patefecere arcanum, & peti Caſalem apparuit. Sed mox improſperè geſta res ſicuti concepta ad praeſens gaudia turbauit: ita malorum in poſterum aliorum omen, & ſicuti quidam credidere cauſas tulit infortunio magis Ducis quàm culpa vlla, niſi quod ſpei felicitatique ſuae nimium ipſe crediſſet. De eius rei ſucceſſu, ac de ordine negotij quam breuiſſimè potero abſoluam, atque inſtituam in hac operis parte narrationem, quae multa in militari negotio ciuilia exempla continebit. Inerunt enim occultae illae primò ſuſpiciones dein aperta diſſidia Sabaudum inter & Guzmanum. Quae rem perdidere ſicut opinio multorum fuit, ac potuit cum documento Regibus eſſe, ne belli alicuius ſummam duplici imperio permittant. Dum timet Guzmanus Principis Thomae Natiuum illud hereditariumue quiddam, quo ſemper inquieta Domus circa Imperium hoc egit: dum vtique Principes ancipiti metu, ancipiti ſpe

Quanti momenti arx illa Caſalis.

Ciuitas Mediol. erecta expectatione erat.

Improſpere geſta res eſt.

Ducis infortunio magis quam vlla culpa id accidit.

Quid perdiderit rem ad Caſalem.

Quale documentū Regibus ſcriptor dat.

Mutui illi timores quantum huic expeditioni offecerint.

inter Gallum Hiſpanumq; fluctuat non credendo alter, alter efficiendo ne credi ſibi ſatis poſſet, vterq; damna ſimul habuere, ſimul intulereq; ſubindeq; ſpectaculo erunt. Ad III. Id Martias quae dies eo anno III. Hebdomadae ſanctioris erat Guzmanus ſecutus morem Principum aliorum, qui ob memoriam acerbiſſimam Chriſti necis fermè ab moerore clauſa Regia in Sacra Cucullatorum Pacenſium ſecreta ſe condunt, ibiq; vſq; ad Chriſti reſurgentis peruigilium moratus, ab Mediolano profectus, in caſtra ad Caſalem inſequenti die peruenit. Cinxerant iam arcta obſidione vrbem, niſi perpetui imbres munimenta magna in parte corrupiſſent Vliginoſa eſt ea tellus etiam modicos ob imbres qui cadant. Itaq; cum ingenti legionum labore, quae fermè in coeno tumulatae vineae ducebantur & aggeres. Sed praecipua introrſus muniendi cura fuit, ne obſeſſi fortibus irruptionibus noſtros inquietarent. Terga aggere & caeſpite magna in parte muniuerant, ſed nondum opus prae improbo imbre conſummatum erat, cum Ancurtum aduentare fama primò obſcura, tum certiores nuntij attulere. Guzmanus in re ſubita vocato bellico Senatu hoſti occurrere decreuerat, ſed caeteri exercitus Principes obſtitere, impenetrabilia munimenta docentes. Et Ancurtus quidem diuerſas ſtationes nequicquam tentauerat, cum ab Catholicis egregiè vapularet, maximèq; ab equitatu ſubalpino, quem Princeps Mauritius militari

Mos pro Ducum Mediol. in Sanctiori Hebdomada.

Quo die in caſtra peruenerit Guz.

Imbres pro Gallis pugnant. Ingenium illius ſoli.

Ingens labor legionum.

Quare non perfecta fuerint munimenta.

Guz. vocat bellicum Senatū.

Quae ſententia ſteterit.

Irritus conatus Ancurti.

militari gloria clarus curabat. Sibiq; iratus hostium imperator, ab desperatione stationem quandam tyronum Hispanorum tanto furore ac violentia irrumpit, vt licet ipsi fortiter, & egregiè impetum sustinerent primò, tamen nondum perfectis munimentis, ea horribili ausu transiliere hostes, coeptaq; est ab hoc loco victoria. Ceterum ea rerum facies momento fuit, oblessis etiam ipsis erumpentibus quam perditis ac deploratis rebus celeberrimi scriptores in ingenij comparationem effingere solent. Pauci tamen desiderati sunt, quod mirere in tanto tumultu. Multi in praecipiti fuga obtriti sunt, pars etiam rupto ponte flumine hausti. Ioseph Carp. & Co. Philippus Bologninus strenuè dimicantes cecidere. Multi ab hostibus captiui facti, castra capta & direpta. Catholici exercitus ergo apud Casalē inexpectata repentina calamitas Imperatorisque nostri casus aduersus, & res ibi, sicuti demonstratum est, gesta, siue tentata infeliciter, solita in hisce malis malignitate ac celeritate famae fuerat vulgata per vrbes, Aulasque & exercitus vniuersos, ac variè accipiebatur, eratque rumore fere sinistro apud omnes. Incusabant vulgò Leganesium, quod elatum recentium victoriarum gloria immodicè animo spreuisset ità hostem: quodq; capta suis artibus, & armis oppida, vrbes, arcesque munitissimas, & profligata nuperrimè tot locis arma Gallorum consideranti ei, memorantibus alijs, & Casalensis expeditio suscepta

Mauritij Principis laus.

Stationem tyronum Hispanorū irrumpit Ancurtus.

Vnde coepit victoria.

Pauci desiderati sunt.

Quam variè fuerit accepta haec clades Casalis.

Incusatur Leganesius.

Damnatur, quasi contemptim tantam expeditionē suscepisset.

cōtemptim foret. Vercellas,& Haſtam,& vtraq; penè validius Vrbe Bremum, & vicinos Metropoli campos albentes oſſibus, atque nobilitatas Gallica ſtrage ſyluas, aliaque ad famae aeternitatem intra breue temporis ſpatium parta belli decora intuentem, pro nihilo nunc habuiſſe iſtud, quod ex arce, & vrbe celebrata quidem, & ſemper amplificata militariter, belli tamen artibus obnoxia peteretur. Hac rerum imagine ſucceſſibuſque tantis, fortuna inſidiante deceptum, neque copiarum ſatis ad rem gerendam, & moenia circumuallanda adduxiſſe, & quoſdam neglexiſſe aditus, per quos poſſent irrumpere Galli, irrupiſſeque eos neſcientes vere quid agerent, ſed tantummodo quia incuſtodita itinera reperiſſent. Ità temeritate felici victores, non ſolum in praeſentia ſubueniſſe vrbi repente & arci iam in vltimū penè adductae diſcrimen, ſed Catholica in perpetuum arma ſubmiſiſſe per Italiam, & authoritatem, quae plurimum in re militari valet, abſtuliſſe nomini Hiſpano, caeteraque fore deinceps ad eamdem formam, nec vllum quicquam proſperè ſucceſſurum. Erant ex diuerſo, qui criminarentur in hoc negotio nihil aliud, quam ſortem bellorum iniquam, quae prouida etiam & ſana conſilia vertere in contrarium, & caſus inde ſiniſtros dare poteſt, eadem, atque conſueuit. Proluuiem aquarum è coelo inſanam, atque deiectas effuſiſſimè procellas fuiſſe, quae fieri opera, ſuccedi ad

Quae potuerint ſpiritus maiores facere Leganeſio.

Arx Caſalis militariter ſemper celebrata.

A quo fuerit deceptus Guzm.

Incuſtodita itinera peperere Gallis victoriam.

Temeritate felici victores Galli.

Authoritas plurimum in re militari valet.

Qui diuerſa criminarētur in hoc negotio.

Sors bellorū iniqua.

Proluuies aquarum, & deiectae procellae cauſa cladis.

ad moenia propius intrari fossam sicuti agendae rei fuerat ordo descriptus prohibuerint. Venisse Gallos, qua minima via, & quo minime momento cogitari potuisset. Ad Cannas, ad Trasymenum furcasque caudinas non ferè aliter accidisse Romanarum cladium exempla, ab cladibus deniquè tantis assurrexisse vi maiore id Imperium; ipsosque Duces nihilo minore fuisse gloria & fama, quam si triumphassent. Haec & alia his similia dicebantur, vt quique beneuolè, vel secus affecti erant. Quo modo autem Regis animum ille ad Casalem error, casusque improuidus affecisset, magis ex ea suspicari homines potuere, quod postea fieri viderunt, quam statuisse quicquam, ac definisse suo marte, vel potuerit tunc vel hodie audiat. Sed & falsa suspicio interpretantium fuit. Credidere namque solicitatum ira Regem cogitasse statim de mittendo Mediolanum Gubernatore, & Imperatore nouo per quem Prouinciam bellumque administraretur. Potius autem ea mutatio facta est ob exortas Leganesio cum Principe Thoma offensiones, quas sicuti memoraui, ab leuibus coeptae principijs, eò iam exarserant, vt neque crederet alteri alter, & occultarent ambo consilia sua inuicem, quae communicanda essent. Simulandi fallendique studium inter eos erat, nec se se deceptum modo, sed ferè destitutum Princeps conquerebatur, & penetrauerè querimoniae in Regiam, vbi Principis vxor cum par-

Venere Galli qua minima via cogitari potuisset.

Trasymenus Furcaeque Caudinae nobiles Romanorum clades.

Ab cladibus vi maiore assurrexit Romanorum Imperium.

Diuersi interpretantiũ affectus.

Quomodo hic Casalensis casus affecerit Regem incertum.

Falsa quae esset suspitio interpretantium.

Cur Rex successionem dederit Guzmano.

Offensiones ab leuibus coeptae principijs exarserant inter Principem Thomam & Leganesium.

Quae lamentaretur Princeps Thomas.

Vxor Principis Thomae in Aula agebat.

uulis liberis, non tam vti obſes ad Mariti fidem ſicut dixere continendam, quam hoſpitaliter ob iura propinquitatis. Ea muliebriter anxia, praeter vulgatam iam in Regia famam, ſecretis Mariti epiſtolis interdum atrox, & violenta luctu perpuliſſe dicitur, vt adijceret verè animum ad curam hanc reuocandi Leganeſij mittendique ſucceſſoris. Nec defuere qui crederent, mentem hanc fuiſſe Regis, vt ſimul daret Principi Sabaudo delinimentum, ſimul haberet in Aula virum ſtipendijs pariter Imperijſque probatum, notatum infortunio diei vnius, aptum bello pacique, & aduerſus Imperij turbas opportunum hoc tempore ſubſidium, nec de ſucceſſore dubitatum. Erat Siruelae Comes Velaſchius Legatus Regis apud Genuenſes, atque in eo legationis munere tractandis nunc comiter & blandè, nunc apta cum grauitate & faſtu quodam, nunc etiam pari aſtu, ingenijs animiſque nobilium illorum dederat experimenta animi, qui bella etiam tractare poſſet. Triginta trium fere annorum erat, in ipſo flore ſimul & robore aetatis, decoro quidem, & pleno dignitatis aſpectu, ſed propter egregium animum, longè illuſtrior atque ſpectabilior. Sapientiae ſtudia, litteraeque ei aderant, quantae rarò vnquam alias in magna fortuna ſpectatae fuerunt. Hunc elegit Rex, aptumque iudicauit, cui Prouincia bellumque in tali tempore committeretur. Dum Guzmanus ex Caſalenſi caſu, ſapientia & grauitate

Dicitur ipſa perpuliſſe Regem ad reuocandum Leganeſium.

Quae fuerit mẽs Regis.

Siruelae Comes Velaſchius Legatus apud Genuẽſes.

Dotes tanti viri.

Aetas Siruelae.

Sapientiae ſtudia & litterae aderãt tanto Principi.

tate magiſque conſilijs & ſimul in opera pacis ſimul in belli apparatum intentus, excolit eodem tempore regali munificentia Aulam, litterae Regis allatae ſunt cum eiuſmodi mandatis, vt tradita protinus Prouincia Velaſchio decederet ipſe ac rediret. Sanè petierat ab Rege Guzmanus, vt ſibi redeundi domum atque ſuos inuiſendi poteſtas fieret. Sed quia negatum antea hoc, litterae inexpectatae venerunt; ideo occultum ſuper ea re ambiguumue murmur fuit. Venit Velaſchius cum Imperio in vrbem anno 1641. Magnumque ſpecimen praebitum populo eſt, ſtatim vbi ipſum & familiam & formam noui regiminis conſpexere. Vana procul aberant, intra paucos ſeruos cum dignitate neceſſarioq; ſplendore compoſita domus. Veſtimenta & vaſa, & equi, & periſtromata, tabulaeque pictae, & ornamentorum omne genus, cultuſque corporum, & quotidiana quoque menſa circumciſis, quae per tot artes, tantoſque ſumptus reperta olim, & faſtidita nouis quotidie inuentis augentur, adhibita, redacta, temperata omnia ad modeſtiae faciem, vt in militari frugalitate principale decus emineret. Tribuni ferè accumbebant, ordinumue ductores, vt cuique virtus, aut nomen & bona facta ſpeſue de eo in poſterum. Sermo inter aequales militariter eruditus, diſciplina menſarum in priore etiam aula obſeruata fuerat. Nulla in publicum pompa, choreae ludique procul, aut ſi quando miſceri volupta-

tibus

Quid meditaretur Guzm. poſt Caſalenſem cladem.

Litterae Regis ad Guzm.

Ab Rege petierat veniam Guz.

Cur occultè ſuper hac re murmur fuerit.

Familia & forma noui regiminis Siruelae.

Cultus militaris Siruelae.

Siruelae frugalitas menſae.

Qui accumberent menſae Siruelae.

Qualis ſermo inter menſam.

Choreae ac alia ludicra procul ab Siuelae Comite.

Voluptatibus vulgi se miscet aliquando ciuiliter.

tibus vulgi, pars humanitatis fuit, apparebat lasciuiae id neq; otij, sed tantummodo ciuilitatis esse oblectamenta.

Forma regiminis Siuelae.

Postulata supplicum, Imperij causas quae res ad Vrbis & Reipublicae statum pertinerent non alijs cognoscenda delegare constituit. Sed referre ad se volebat, vt haberet subiecta omnia oculis & de vno quoque capite statueret.

Eporediae situs.

Praebuit incunabula Sabaudiae Domui.

Magna dominatio Sabaudiae domus.

Quantum Eporedia distet ab Taurino.

Eius positio mirabilis.

Eporediam Galli destinauerant capere.

Maximè opportuna Gallis Eporedia.

Eporedia in finibus Salassiorum est Cisalpinarum Vrbium haud cuique secunda, vel hoc ipso, quod Sabaudiae Domui praebuerit incunabula quondam. Hique fastigio Regum penè aequati Duces. Si vera est fama Beroldi, inde prodierunt, & dominationem inchoauere tantam illam, quae trahitur hodie diuiditurq; in partes. Ab Augusta Taurinorum & Hasta pari fermè spatio nempe xxv. milliaria passuum distans. Imposita rupibus est, Duriamque flumen inter munimenta habet. Aggredi hanc & capere Vrbem Galli destinauerant, vt quemadmodum captam ab Guzmano noctis vnius euentu Taurinum, haud minus prospera ipsi dierum aliquot obsidione receperant, ità penè Regiam hanc alteram in potestate haberent, non antiquitatem modo famamque Vrbis, sed praecipuè situm opportunitatesque alias, & momenta maximarum rerum intuentes, quà Sabaudiam, siuè quà Subalpinos, & deinde vlteriora spectaret Gens, iam regionem vtranque complexa animis, aut armis. In eamspem intenti Galli egressi ab Taurino

rino processere obscuro noctis ad Duriam, & transgressi repente vado flumen, castella quaedam nullo resistente insederunt, tum imminentia opportunè in vrbem, tum haud minus opportuna commeatibus ab Taurino accipiendis. Mox & Ancurtus ipse ex Gallia aderat, haud perinde valida ad rem eam gerendam manu, quàm fama rerum antea gestarum ingens. Adduxerat curulia tormenta aliquot, quibus bifariam ad moenia verberanda collocatis, hinc arcem versùs, hinc ad tecta Capucinorum, quà infirmiora Vrbis sunt, quatere, ac diruere muros, & praecipuè culmina aedium instituerat. Neque dubia expugnatio, siue deditio oppidi habebatur. Res indicata statim Comiti Siruelae Gubernatori Prouinciae cum Mediolani consilia maximarum rerum, tum inuadendi, tum arcendi hostes agitaret, venissetque Princeps Thomas ad ea communicanda in Vrbem. Namque post euocatum vt memoraui Guzmanum in Regiam, non exercitibus modo, sed animis quoque coniunctis cum Principe, Comes Imperatorque noster gerebat rem. Et concordia inter ipsos erat, sicuti rebus apta Hispanis ità suspecta hosti, tantoque acriùs ab Ancurto & tormenta displodebantur, & tentabatur vndique ascensus in muros si vel penetrare ipsi possent in Vrbem, vel terrore iniecto elicere ad deditionem inclusos antequam his animis, hi duces, atque haec coniuncta sic arma adessent, starentque contra. Nocte toto

Ab Taurino obscuro noctis egrediuntur.

Ancurtus & ipse ex Gallia venerat per eos dies. Ancurtus ingens fama rerum gestarum.

Ab diuersis partibus quatiunt ac diruunt muros.

Princeps Thomas Mediolanum venerat.

Animis coniunctis cum Principe Thoma gerebat e Siruelae Comes

Eo magis ab Ancurto tentatur ascensus & deditio.

connixi

*Tentant corona Vrbē, & ab quinque partibus irrumpere conātur.*

connixi impetu Galli tentauere corona vrbem, & cum ab quinque partibus irrumpere conarentur, ac tempore eodem fragor, impetuſque & violentia tormentorum, omnia ruinis, & terrore compleret, Eius nocturnae impreſſionis exitus hic fuit, vt neque potuerit miles vnus euadere in muros & orta luce ſtrata corporibus exanimis foſſa conſpiceretur. Sexcenti amplius Gallorum deſiderati ſunt. Saucij, truncique & mutilati membris aut in caſtra referebantur, aut foedo agmine vias & interim ſtrage complebant. Famaque & gloria tam ſtrenuae defenſae ea nocte Vrbis, ceſſit in Vercellinum Mariam Vicecomitem, qui ibi in praeſidio poſitus, ſimul ad omnia loca concurſando, capeſſendoque ſuis manibus pugnam, ſimul trahendo ſecum in aciem caeteros diſponendoque & animando, multa militis egregij, multa ſapientiſſimi Ducis facinora edidit. At Siruelae Comes Velaſchius nuntio accepto, nihil in tanto diſcrimine cunctatus legiones vndique & turmas, Duceſque & praefectos earum confeſtim eſſe in procinctu iubet, cum Eminentiſſimo Triuultio caeteriſque delectis ab vrbe egreditur, atque ad ſubmouendum Eporediae obſidione hoſtem ire pergit. Praeceſſerat ex antecondicto Princeps Thomas. Is coactis ex Bielleníi agro copijs, legionibuſque ſuis, ad Santiacum Velaſchio occurrit, & exercitibus vterque coniunctis ad Viueronem, inde Bolenium, ad radices collis, in quo ſita Eporedia eſt

*Qui fuerit exitus illius nocturnae impreſſionis.*

*Sexcenti Gallorū deſiderati.*

*Mutilati & vulnerati plurimi.*

*Vercellinus Maria Vicecomes praecipuum decus tulit. Siruelas.*

*Quid egerit Siruelas Comes ad nuntium Eporediae.*

*Cum Triuultio purpurato egreditur ab Vrbe Siruela.*

*Praeceſſerat Princeps Thomas.*

*Velaſchio occurrit. Princeps Th. coniungunt copias.*

contendere

contendere. Sed defectio nunciata Monoeci Principis ad Gallos, maxime Siruelam in ea expeditione turbauit. Monoecus orae Ligusticae Oppidum est, medio fere inter Nicaeam atque Intemelium Vrbes spatio, inde septem hinc decem millia passuum distans. Portum, & arcem habet rupi saxoque inaedificatam, adiectis ad situm ingeniumue loci operibus etiam ac munimentis, quae ponuntur manu, quae vsitata fuere antiquitus, quaeue reperiere posteriores, tanta scilicet cura, quanti momenti semper arx ipsa habita est: Namque in maritimi imperij partem rupe ab illa imminens veluti domina fit nauium commeantium eo mari: nec vlla satis tuta nauigatio aut ex Hispania in Italiam, aut ex Italia quoquo versus fuerit, si ab Monoeco immineat miniteturue Hostis. Grimaldus Princeps hoc tempore arcem eam non tam dimisso, quàm penè eiecto Hispanorum praesidio, tradiderat Galliae Regi, pecuniaque sicuti fama est, accepta, & rerum ingentium spe adiecta ad pretium, retento tantum nomine tituloque dominatus, Gallos illuc in possessionem custodiamq; loci induxerat.

Monoeci orae Ligusticae oppidū.

Eius positio.

Munimenta loci.

Magni momenti Arx sēper habita.

Domina nauium ista Arx.

Vtrique nauigationi opportuna.

Princeps Grimaldus monoeci Dominus.

Eiecto Praesidio Hispanorum eam tradidit Gallis.

Titulum nomen quae Dominatus retinet.

Eius negot ij causas originemque simul de tota re coniecturas opinionesque prudentum, & quid ex eo secuturum crederent, haud alienum fuerit hoc loco exposuisse: exponamque prout ab ipso Legnano politicarum huiusmodi quaestionum, & huius Ciuilis philosophiae principe

Eius negotij causas & originem vult scriptor tradere.

Ab Hyeronimo Legnano Vrbis Decurionem profitetur scriptor se haec accepisse.

Eiusdem Legnani laus.

Eius ingenij sapientia & multiplex litteratura.

Indoles tanti viri.

tractata atque in omnes partes examinata res est. Nam peruenere commentarij in manus meas, non subtiliter modò, & exquisitè, & cum historica quadam etiam lenitate conscripti de negotio hoc, sed, & viri indolem praeferentes raro altoque temperamento compositam inter liberos animi sensus, & mansuetudinem nemini inimicam, amabilem etiam atque honorificam erga omnes. Vndè & verba penè ipsius transferre huc iuuat ab eo collocata fere in hunc modum.

Dinastae Monaeci fortuna.

Sub tutoribus primo.

Arcem ipsam & portum Monoeci in tutelam Catholici tutores permittunt.

Quibus conditionibus.

Dynasta Monoeci, qui tradidit Gallis hoc tempore Arcem fuerat patris morte pupillus olim infansque relictus. Tutores considerata Principis aetate periculisque imminentibus, arcem ipsam, portumque, & oppidum permisere in tutelam fidemque Catholici Regis ea conditione, vt cùm adoleuisset infans restitueretur in possessionem ille auitam, & praesidium postea idoneum ibi haberet atque aleret Rex, sicuti facturam ritè atque ordine omnia Maiestas illà promisit. Datum securitati hoc, coeperat quidem offendere Principis animum posteaquam confirmata iam aetate, non esse ipsum sui iuris, & jugum penè quoddam ea praesidij conditione sibi impositum esse reputabat. Sed ne se se commoueret nouaretue quicquam, modestia quadam insita, & disciplina obsequij erga Regem, in qua enutritus educatusque erat, simul authoritate, & reuerentia tutorum, quae in animo

Quid turbaret Principem confirmata iam aetate.

Et modestia insita, & authoritate tutorũ haud se commouet.

eius

eius validiſſima erat, attinebatur. Vt verò tempora haec inciderunt plena anguſtiarum atque difficultatum, per quas neque ſtipendia praeſidio ab Regijs miniſtris ſatis expeditae ad diem mitti poſſent, neque pecuniae, & vectigalia quaedamè prouincijs debita Principi exigerentur atque inſuper nauigationes, & mercimonia nonnulla, quorum emolumento fere ſuſtentabatur, auertebant intercipiebantque Galli: tunc enim verò irritatum iuuenilem animum credibile eſt circumſpicere, & cogitare coepiſſe, quam conſilij viam ſequeretur, & quomodo ex neceſſitatibus ſe ſe multis expedire poſſet Certè Galli ſolertes atque attenti ſemper regio more in id, vt aduerſos ſiue ancipites hoſtium caſus facere ſuam occaſionem, ac vertere ſibi in bonum paſſim, naſcentem hanc in Italiae angulo Catholici Imperij vomicam plagamue odorati, adhibuere vngues, atque id malum aſperare ſtuduerunt. Per occulta, & noſtris ignara pollicebantur multa iuueni tantumque praeſentis pecuniae dederunt, vt contentus ille fuerit, ac ſe ſe & arcem ab Catholico Rege alienarit permiſeritq; Gallo Haec initia traditionis ab Legnano perſcripta ſunt vbertate tamen & prudentia, quam aſſequi non poſſumus nos, cùm crebrior penè ſententijs, quam verbis narratio eius ſit ſicut de Thucididis Hiſtoria ſummus Oratorum affirmarat. De momentis autem, & quaſi de pondere negotij ipſius, ac de nexu, & de conſecutione

Captat occaſionē ab anguſtijs temporum.

Stipendiorum difficultas.

Et aliae calamitates impellunt Principem ad defectionem

Cogitat quō modo ex neceſſitatibus ſe ſe eripiat

Galli intenti In hoc.

Pollicentur multa iuueni & praeſentis pecuniae vim aliquam dederunt.

Laudat vbertatē dicendi ac prudentiam Legnani

Crebrior magis ſententijs quam verbis narratio Legnani.

Quā altè de hoc negocio differuerit Legnanus,

causarum, quos nempe motus, quaeue rerum discrimina alienatio haec & traditio Arcis portenderet, siuè minitaretur, sententia scriptoris eiusdem explicata est noto Socratico more ipsius, quo nihil tamquam è suo sensu, sed tamquam ex aliorum sermone depromere omnia, & vbi deprompserat relinquere eadem in suspenso consueuit. Rupta sic atque interclusa, & sublata esse compendia nauigationum, necessariosque commeatus, vel ex Hispaniae terris ad litora terrasue Italiae, vel hinc in alias oras regionesq; diuersas, quà Catholici Regis Imperium pertinet. Antea breues tutissimosque cursus fuisse nauigijs, ea maris linea tractuque. Nunc flectendum nautis ab solito tramite iter, & aut in pericula manifesta eundum: aut non minore periculo contrahendas fore moras inutiles perniciosasue negotijs, quae dilationem pati non possint. Quod si vera fama sit, quae Galliae Regi haerere intra viscera ferat huius Mediolanensis Prouinciae inuadendae cupidinem, atque imminere eum Vrbi huic, vnde ad caetera deinde gradus etiam fiat: arce hac infessa Regem eum veluti facibus ab spe propinqua admotis inflamari posse magis, magisque cum patefactos aditus atque intercepta subsidiorum itinera habiturus sit.

Rupta atq; interclusa cōpendia nauigationum ab hac Principis defectione.

Explicat causas.

Flectendum est nautis ab solito tramite iter.

Morae inutiles perniciosae negotijs.

Multum accessurum Galliae Regi si Insubriam meditatur ab defectione Monoeci.

Principes Italicos dominationesue caeteras, quibus coniurandi metus antea fuerat, ne vel frustra coniurarent, vel coniuratio in capita ipsorum

Principes Itali Magno metu soluti euadunt ab hac defectione Monoeci.

ipſorum recideret, nunc ſolutos hoc deniqiue metu cupidè ac promptè ituros in foedera, quorum exitum fore victoriam ſperent. Authoritatem nomini Hiſpano ſic eſſe diminutam, & amiſſa tanti nominis Arce cadere, ac vileſcere Regijs quoque miniſtris animos ad ea prouidenda, quae prouidere, & agenda, quae agere debebant, ne detrimenta maiora accipiantur. Haec, & alia proſpera Gallis, aduerſa Hiſpano politica mens ſapientiſſimi Ciuis ore ſtyloque ſublimi pronuntiare. Et rurſus ſalua nihilominus, atq; integra manere poſſe omnia verſis in contrarium rationibus ijſdem oſtendebat.

Nominis Hiſpani diminuta exiſtimatio videbatur

Haec prudentiſſimè diſſerebat Legnanus.

Quippe neque moueri quicquam adhuc apud principes: & ſi quis animos fortunaſque eorum introſpicere poſſit, congruere praeſentem ſtatum habitumque rerum ad quietem eandem poſſe namque conſiderare eos, quemadmodum ante Catholici Imperij tempora & opes in Italia firmatas, lacerata bellis, afflicta ſeditionibus etiã à Tyrannis oppreſſa omnia terrae huius fuiſſent. At Maieſtate illa ſuperueniente ſucceſſiſſe bello pacẽ compreſſoſque eos, qui & libertatem antea adamaſſent. Mille fere paſſuum aberant, inde namque diuerteram, caſtra Gallorum, nec niſi ſolutis ordinibus per arcta & inuia penetrare noſtri poterant illuc, vt in conſpectu hoſtium eſſent. Exercitus hoc ordine inceſſit. In primo agmine cum mille equitibus Marchio Caracenae Magiſter equitum ibat. Hunc legiones

Legnani iuditiũ de hac re.

Antè Catholici Imperij tempora, res Italiae bellis afflictae.

Catholici Potentia Tyrannos oppreſſit & alia monſtra iugulauit.

Deſcriptio inceſſus exercitus Catholci.

aliquot

aliquot Hiſpanae ſequebantur. Inde Princeps Thomas,& bombardae circa eum,mediam aciem Velaſchius ipſe ducebat, claudebat Battouilla poſtremum agmen celebris famae iuuenis, & memoratus non ſemel antea nobis, & ſaepe deinceps inter haec arma memorandus. Procedente agmine in hunc modum, lento vt inter arcta & impedita gradu, iam primi ordines coeperant prodire ex anguſtijs, paulatimq; explicabantur in planitiem colli ſubiectam, & ad Bolenium ſicuti ſtatutum erat occupandum Marchio Caracenae properabat. Quod vbi conſpexere Galli, conſurgunt ab ſtatione ſua protinus, obuiamque deſcendunt, volentes pugnare cum paucis illis, antequam maior numerus afflueret. Praeceſſerat Velaſchius antecapto ſpatio ex anguſtijs aſſumpto ſecum Ioanne Vaſquez cura & ſolicitudine cognoſcendi num ſtatio ad Bolenium iuſtis munimentis facta eſſet per Caracenam: Interimque conſpecto Gallorum motu, & diſcrimine animaduerſo, mittit propere ad Principem, vt copias ſuas rapere ſecum, & adducere feſtinet, ne hoſtis numero, & occaſione ſuperior fiat. Haec dicta Principi, dum ille tempus abſumeret recognoſcendis, & ordinandis militibus ſuis, qui diſpoſiti varijs locis vndiq; ad ſigna congregabantur. Interimq; ipſe miſſo ad capiendum inſidendumq; Bolenium legionario milite, obuertit tormenta in hoſtem, peditumq; cohortes, & equitum turmas ad collis ima diſponit

*Battouillae laus.*

*Lento gradu procedunt copiae.*

*Impeditum admodum erat iter.*

*Marchio Caracenae ad Bolenium properat.*

*Hoſtes obuiam deſcendunt.*

*Velaſchius quid cognoſcere cupit.*

*Diſcrimine animaduerſo mittit Velaſch. ad Principem Thomam*

*Quomodo diſpoſuerit copias Velaſchius.*

ponit, ita confertis ordinibus, vti inuicem praesidio essent. Mox & Princeps Thomas aderat, immissaque sclopetariorum equitum manu acriter incubuerat hosti, circumueniendo à fronte, à lateribus, à tergo per calles, faucesque quasdam, prout ingenium situsque loci, in quo dimicabatur. Ea prima irritatio pugnae fuit. Et caesi ab vtraque parte complures. Sed nostri superiores erant. Dein & Galli recollectis animis impetu facto perrumpere dexterum cornu magna vi, nostrorum, in quo erat Caracena tentarunt. Semel iterumq; repulsi, nouum fecere impetum in sinistrum cornu, vt interciperetur iter, quà extremi agminis egressus miles ex angustijs subinde recipiebatur in aciem. Ibi quoq; aduersam praelij fortunam experti in Neapolitanum equitatum auertuntur, nihilo meliore euentu, cum & equitibus intermixti pedites strenuè rem gererent, & bombardis ab ea parte fulgetra pilasque emittentibus, pugnandi etiam ordo turbaretur. Tot irritis vno tempore conatibus in Principis denique Thomae equitatum irruêre si qua melior ibi fortuna daretur, cum impetu & instinctu, & furore qualis esse pugnantium solet. Ibi multa virtutis, sed & aliqua desperationis facinora ediderunt, vincere vtriq; volentes, & quia superabantur, offerentes corpora neci nulla aeque salutis cura inter media tela volitantes. Impetu tamen hoc & ardore animorum per virorum equorumque stragem,

Princeps Thomas adest.

Prima pugnae irritatio.

Caeduntur ab vtraque parte nostri.

Hostium conatus.

Ab hac parte etiã aduersam experti fortunam hostes.

Equitibus intermixti pedites strenuè rem gerunt.

Irruunt hostes in Principis Thomae equitatum.

Multa virtutis & desperationis facinora edunt.

Per ſtragem & Sanguinem fermè hoſtes interclu ſerant fauces.

Battouilla & Neapolitanus equitatus egregiè rem ſuſtinuit.

Battouillae ferocia.

Mille ex hoſtibus caeſi.

Multa cadauera in ſaxis & cautibus reperta ſunt.

Nox iuuit & pluuia inſecuta hoſtes.

In ſiluis noctem eam egere Hoſtes

Prouidentia Velaſchij.

& ſuo ipſorum ſanguine manantem humum penè peruaſerant eò, vt cęperent interclude- rentq; fauces, quà veniebat ex anguſtijs, vt dixi, recipiebaturque miles. Quo minus figerent ibi pedem, obtinerentque Galli gradum, per Batto- uillam, atque per Neapolitanam vnam turmam ſtetiſſe narrant. Iuuenem illum pari cum Gallis rabie concitatum obſtitiſſe furori eorum, equi- teſq; pariter ipſos non tam ſtrenuè, quam penè furenter miſcuiſſe atrocem illam pugnam. Mille caeſos retulere, quibus curae fuit poſt victo- riam etiam cadauera numerare, & ſpirantia alia vulneratorum cadauera maiore penè numero, in cautibus ſaxiſue illis reperta ſunt, quos aut neglexere Galli aut conſternati ex fuga tollere ſecum, & aſportare non potuerunt. Abibantq; non funeſto ſolum, & diminuto caedibus ag- mine, ſed maiore ſolicitudine incerti, quatenus noſtri victoriam exercerent. Iuuit nox, pluuiaq; inſecuta, quae ſicuti victores ab inſequendo re- tardauit, ita praebuit Gallis effugij locum, abi- bantque ſeruantes quemdam pugnae tenorem, vt profectio quidem illa, & nihil aliud quam praelij finis videretur. Noctem eam egere in ſyl- uis. Noſtri etiam pernoctauere, quà tutiſſima ſtatio viſa eſt, ne quid incommodi acciperetur, ſi fortè rediſſet hoſti animus, atque ad compen- ſanda diei antecedentis damna repentino aliquo impetu conſurrexiſſent. Turmaque vna, cui datum ſignum erat, vt opportuno è collibus

digreſſu

digreſſu veniret in praelij partem, cum pauliſper cunctata deſcenderet, atque incidiſſet in Principis Thomae equites, ſiuè loci, ſiuè temporis occaſione, ſiue demum etiam virtute ſuperior fuit.

Cõmuniunt caſtra hoſtes.

Poſtero die Galli relicto nemore, intra quod pluuiam hoſtemque vitantes ſeſe abdiderant, quanta maxima poterant celeritate communire caſtra inſtiterunt, valdeque intenti erant in id, ne ſubſidia vlla in Vrbem intromitti poſſent. Statuerat Velaſchius intromittere mille pedites, exiſtimans ea manu Eporediam poſſe defendi, interimque reliquo exercitu geri alia, quae gerenda ſibi ſicuti tentanda deſtinarat. Et peditum mille quidem, qui mittebantur, pars ferè dimidia feliciter vrbem intrauere ſilentio noctis. Caeteri vero cum per colles occultos irent, audito inter tenebras ſtrepitu, iumenta aliqua ferramentis onerata prociderant, rati hoſtilem eum eſſe tumultum, & haud dubiè adeſſe Gallos, initio à paucis orto turbantur primò, dein hùc illùcque diſſipantur. Et collecti deinde rurſus in vnum per varias ambages, itinerumque flexus ad nihil proficiſcuntur aliud, quam vt luce orta inſiſterent iiſdem penè veſtigijs vnde abierant. Caeterum firmata vtcumque ſubſidijs Vrbe Velaſchius, & ſuo prouiſu, & re cum Conſilio communicata, reputans hoc quingentorum ſubſidio nihil ab hoſte poſſe moueri, tum ſatis eſſe alimentorum intus, ad Cliuaſſium ducere ſtatuit,

Quid cogitaret Velaſchius.

Pars fermè dimidia feliciter vrbẽ intrauit.

Repentinus caſus altos diſſulit, quò minus Vrbem ingrederentur.

Error noſtrorum.

Firmatur Arx quingentorum militum praeſidia.

Vu dequo

Ad Cliuaſſium ducit cópias Velaſchius.

de quo aggrediendo Oppido antea cogitarat, non vt auerteret ita ab Eporedia hoſtem, ſed quia ſimul ad tutelam Eporediae ipſius, ſimul ad curam ſummae rerum, atque ad arcendos Italia Gallos, opportunum in eo loco praeſidium, & magna ibi momenta obtendebantur. Porrò autem quantae opportunitatis, aut compendij res eſſet antea diligentia prouiderunt, condictum vt paria opportunitatibus hiſce etiam munimenta eſſent. Quibus freti remiſerant hoc tempore Galli cuſtodiam, & in Eporediae oppugnationem intenti, non perinde cuſtodias ab ea parte intendere potuerunt. Adhibuitq; Velaſchius artem, quò magis incuſtodita, ſolutaq; illic omnia haberentur. Nam quaſi non ad Cliuaſſium inuadendum, ſed ad firmandam nouo ſubſidio Eporediam, ità circumducere per colles exercitum inſtituit, tanta diſſimulatione rei, quae agenda erat, vt & milites agmine in ipſo crederent, duci ſe ſe ad moenia obſeſſae vrbis, & hoſtes quidquid fere roboris in exercitu ſuo habebant, obijcerent tanquam euntibus ad Eporediam noſtris, qui interim ad Cliuaſſium ignari ipſi ibant. Ad Maſſinum & loca circumiecta per biduum ſubſtitere ob continuos imbres, eoq; temporis ſpatio, nihil ceſſatum ab ſpecie eadem & ſuſpicione praebenda hoſti, tanquam ad Eporediam iretur. Siruela clementem nactus tempeſtatem, iunctoque flumine ponte in eadem diſſimulatione perſeuerans memorabili auſu

Opportunitas illius loci penſitata ab Velaſchio.

Galli munimentis freti remiſerant cuſtodiam.

Velaſchij aſtus.

Circumducit per colles exercitum Velaſchius.

Summa Velaſchij diſſimulatio.

Ad Maſſinum per biduum ſubſiſtit.

hoſtes

hoſtes fefelliſſet, ſi fortuna, quae multum in re militari poteſt benè conceptae ſpei reſpondiſſet. Hoſtes in Eporediam intenti, nihil de Cliuaſſio timebant, cum Siruela expeditionem edicit, & triumphum deſignat ſi magna celeritate, & animorum alacritate veteres legiones in Cliuaſſij moenia ſcalis euaderent, pugnarentq; in muris, & poſt mutuas denique caedes victoria arcem obtinerent. Delecta gerendae rei nox, tempuſque noctis illud, quo credibile erat vino ſomnoque demerſos iacere vigiles, & planè demerſi ita iacebant. Vnde facilè euaſere pauci fermè in pinnas, pluresque deinceps ordine. Senſere tamen vigiles & ad arma conclamatum. Ex omnibus locis ſemiſomnes erumpunt armati, propellunt, exturbantue ſubeuntes. Aliqua caedes in ipſis muris facta, pars etiã ex ipſis muris deiecti, ſaxa & alia prouoluunt; Nec noſtris deerat animus inſtaurandi oppugnationem, ſi ſcalae moenium altitudinem vſquequaq; aequaſſent. Ita abſceſſum irrito conatu, effectumque ea nocte nihil aliud, quam vt incautus antea hoſtis, nunc peruigil ad rem ſuam, attentuſque eſſet. Etiam lunata propugnacula, quae per tenebras coeperant tenuerantq; noſtri approperante luce relinquere neceſſe fuit. Circumuallare inde oppidum, ac ſiccatis foſſis, cum iam res in eo eſſet, vt deſcendere, figereque pedem, & rurſus ad moenia ſcalas erigere pararent. Praeſidij Praefectus, clam emiſſis ad Hancurtum litteris, mone-

Fortuna multum in re militari poteſt.

Velaſchius hortatur legiones vt in Cliuaſſij moenia euadant ſcalis.

Nox delecta gerendae rei.

Ad arma conclamatum.

Deturbantur Catholici.

Scalae moenium altitudinem haud aequant.

Quid eſt actũ hac expeditione.

Velaſchius circũuallat oppidum;

*Praesidij praefectus monet Ancurtum periculi.*

bat atque denuntiabat, nisi auxilia missa essent, non vltra rem posse sustineri. Simul vidua hostis, hostiumue socia, soror Galliae Regis, per litteras, item hominesque suos, obtestabatur iubebat, relinquerent potius omnia, omitterent è manibus Eporediam, quam vt in discrimine esse Castellum finerent, vnde tantum in caetera discrimen. Ad xv. Calend. Iunij, nocte quae diem eum insequebatur, soluta obsidio Eporediae est, abscessumq; inde tanta festinatione, vt castra referta commeatibus, & omni telorum copia relinquerentur: quas res, quosue commeatus, obsessi nuper, nunc liberi Eporedienses egressi, protinus rapuere in vrbem. Ad Cliuassium inde, cum exercitu suo tenditur. Ancurtus praeter ferociam, ea causa solicitatum animo ferunt; quamquam dissimulante metu, ne serum auxilium veniret. Nostri vt venientes citato agmine Gallos conspexere variè cōmoti animis sunt. Laetabantur solutam esse obsidionem, id in praesentia satis: ad alia, quae destinabantur, spatio nonnullo temporis opus erat. Pugnare statim nolebant: timebant ne poeniteret Ancurtum, gloriae auidum, quod abstractus ita fuisset obsidione vrbis eiusque ludibrij pudore, simul & ira conuerteret retro agmen, & acrius deinde obsidium inciperet. Placuit iri ad obtinendam praesidio maiore vrbem, si fortè hostes ab stimulis hisce nouis illùc redire voluissent. Fuitq; cum mille equitibus Magister Neapolitani equitatus

*De Cliuassio maximè solicita Regis Soror.*

*Soluitur obsidio Eporediae.*

*Eporedienses rapiunt in Vrbem commeatus relictos ab hoste.*

*Properat Ancurtus ad Cliuassium*

*Nostri commouentur varias ob causas.*

*Praesidio maiore munit Velaschius Vrbem Eporediā*

tatus

tatus Gonzaga: Pernoctauerat ad . . . . . . . Velaſchius agendarum deinde rerum conſilia diſponebat, in id praecipuè intentus, ne Eporedia deinceps ab vlla parte relinqueretur opportuna hoſti. Praeſidium ibi ſuffecturum, aduerſus quaelibet inpoſterum tentamenta, conſtitueretur. Ad x. Cal. Iunij peruenerat Gonzaga cum equitatu ſuo nocturnus in Vrbem. Ea ipſa nocte Galli, quanta maxima potuere celeritate ſecuti veſtigia pene agminis, ſiue vt repeterent inſtaurarentque obſidionem, ſiue vt tollerent ea, quae reliquerant, in deſerta nuper ab ſe caſtra ibant, peruenerantq; ad prima vada fluminis, aut traiecerant, aut in traijciendo occupati erant. Erupit Gonzaga in eos, ſpectaculaque pugnae edidit ea tunc in oculis, ſi quis clade Gallorum, & ſanguine delectaretur miſeranda apud alios, & poſteris omnibus vtrique memoranda, ob praeliorum caſus, gloriamque bellatoris. Iuuenis erat medio inter florem roburque aetatis confinio, viuidos animi ſpiritus corporiſque vires bello aptus, ſimul amabili gratia temperatum militare decus ferens ore, fronte, & dignitate oculorum, quale caput naturae munere ita compoſitum & amauere exercitus, & admirati ſunt. Arma decus addebant, quoties ex equo pugnaret. Erat ex Mantuae Ducum ſtirpe, Guaſtallae Principis patruus, atque per Mantuae Ducum ſtirpem regiaq; matrimonia domus, annexus Auſtriacae domui, quam originem &

Gonzaga cum 1000. equitibus iuit.

Curae Velaſchij

Galli ſequuntur veſtigia Gōzagæ.

Perueniunt ad prima vada fluminis.

Ferocia & virtus Gonzagae.

Aetas Gonzagae.

Rarae dotes tanti bellatoris Gonzagae.

Ex Mantuae Ducum ſtirpe Gonzaga.

Annexus Austriacae Domui quomodo.

animi indole, & oris dignitate praeferebat. Et alia fuere in eo viro, ob quae memorari sic ipse debuerit, quaeue non facilè alibi memoranda simul omnia, haec historica cura reperiet. Quibus rebus Scipionibus antiquis eum haud dubiè fama aequabat. Venerat in Regia castra voluntarius primo miles, celebri non modo apud Principes caeteros, sed per exercitus quoque vniuersos fama, ob Musarum studia queis praecellebat, philosophantium facile princeps inter arma ipsa habitus. Per quatuordecim deinde annos dato fortitudinis & prudentiae experimento Magister Neapolitani equitatus hoc tempore erat, miseratque sicut dixi Velaschius eum, quo obsessam paulò antea vrbem, veluti praesidium vnicū si rursus obsessa foret conatu maiore, sicut credebatur tueretur. Ad primum strepitū aduentantis agminis Gallorum cum equitatu suo egressus, illa edidit spectacula, quae superstites eius pugnae Galli, nostrique hodie memorant. Cum alij transissent iam flumen, alij vndas ad traijciendum quaererent, pars in medio alueo, gurgitibus vndique colluctaretur: pars intenti in vndas nixus exitusq; transeuntium intuerentur, illatus Gonzaga in istud miserabile agmen, dirigendo ancipites in capita attonita ictus, ita vulneribus, & crebra procella confudit, vt ruerent in aquam, & flumine absumerentur penè plures, quam qui cadebant, sternebanturque ferro. Vt vero petentes fuga alterius

Scipionibus antiquis fama Gonzagam aequabat.

Voluntarius primo miles.

Celebris ob Musarum studia.

Per 14. annos dato experimento fortitudinis magister Neapolitani equitatus factus.

Gonzaga summa fortitudine fudit hostes.

Confusio ob trepidationem hostiū.

Ruunt in aquam hostes.

Flumine absumuntur.

brachij

brachij pontem in pedites ſuos inciderunt, qui ſubſidio veniebant: tunc haud aliter quam ſi in hoſtem incidiſſent ſicuti neceſſe erat in occurſu tumultuque nocturno, peſſumdedere manipulos, ſuntq; turbati viciſſim, & vulnerati. Multi equiſque ſuffoſſis praecipitauere in amnem. Hunc exitum habuit obſidio vrbis, quam deinde Velaſchius & commeatibus & multo milite firmauit. Exitu huius anni, quem ad alia funeſtum & minacem, ad alia, quaſi per inducias & breuia interualla mitem ac penè pacatum, prout mixta triſtibus laeta inciderunt, repreſentaui hactenus atque ordine exegi.

*Inter ſe hoſtes caeduntur.*

*Frequenter id accidit in nocturno tumultu.*

*Velaſchius Eporediā multo milite firmauit.*

Pontifex Vrbanus Cardinales duodecim creauit cùm vacua loca Patrum ad viginti quatuor eſſent, eaque Collegij diminutio in Vrbe cuncta interpretante variè acciperetur, alijs inglorium id atq; inutile Pontificatui muſſantibus conquerentibuſue palam, alijs ad magna Pontificis conſilia trahentibus rem tantò plus momenti in tempore facturam Eccleſiae negotijs, quantò longius ducta eſſet. Patefacto denique ſecreto, nominibuſque promulgatis, Aula tota recreata eſt: ac plauſere Cardinalibus nouis etiam alieni & moeſti quos deſtituerat ſpes quiue ſpem nihilominus adhuc tùm ambiguam, atque aegram, tum aliquantò certiorem animis fouebant. Et referebatur ad celſitudinem Pontificiae mentis, magnitudinemue Pontificatus iſtud etiam, quòd expectationi multorum atque deſiderijs opportunè

*Pontifex Vrb. VIII. Card. XII. creat.*

*Variè diſſerebātur de tāta cunctatione Pontificiā*

*Recreatur Aula.*

*Plaudunt Cardinalibus nouis alieni, & moeſti quoque.*

tunè ad quaſdam temporũ neceſſitates,& arcana dominationis integra adhuc vota relicta eſſent. Quippe ſupererant tot ſupplenda loca Collegij, quot reperiſſe dignos atque capaces aliàs rarae felicitatis foret. Augebat plauſum laetitiamque communem ipſa perturbatio praeſertim Italiae rerum, & motis per terras fere omnes armis oriens,atrox vndique tempeſtas,aduerſus quam ſubſidia plane diuinitus haec in tali tempore parari videbantur. Dum ardent regna bello duoq; Reges implacabiliter de gloriae & Imperij culmine certant, atque certamine hoc diuiditur in contraria ſtudia genus humanum: dum maximis Imperijs,interiecti minores quoque dominatus faces & tela bello miniſtrant, ſuſpicionibuſque mutuis capitalius penè quàm armis,animi imperitantium inquietantur: depromſerat ex profundo pectore tandem haec pignora pacis, inſtrumenta ſecuritatis, vincula Regum, vincula Prouinciarum, robora Eccleſiae Pontificum idem mortalium ſummus. Libauerat vndique litterarum,& ſapientiae florem Apoſtolicae ſedi orbique Chriſtiano:ſubibatque animos magni viri dictum, & cuiuſdam Etruſci vaticinij quaſi comprobata iam euentu fides. Nam verè ſapientiſſimus alius Etruriae olim Leonis X. pater ore ſtyloque ſublimi ita pronuntiarat: Eccleſiam tunc fore felicem, cùm hi cardines ea columina Mundi probi omnes & docti pijque reperirentur. Id iam iamque adeſſe tempus autumabant

Quid augeret plauſum laetitiã- que communem.

Ab bello diuiditur in contraria ſtudia genus humanum.

Cardinales pignora pacis, vincula Regum.

Vaticiniũ cuiusdam Thuſci.

Quando Eccleſia Romana erit felix.

ob Cardinales hoſce proxima ordinatione creatos. At nomina quidem, & titulos originemq; Cardinalium horum ſua cuiuſq; patria, aere vel ſaxo, monumentiſue alijs cuſtodienda curabit, vt hoc etiam memoriae genere in animis hominum atque in aeternitate temporum viuant. Nos de iuniore Montalto ab materna origine ciue noſtrae Vrbis, pauca ſanè hoc loco, ſed fuſius alibi memoranda referemus, veluti Ciuem planè noſtrum hoc patriae Hiſtoriae munere proſequentes. Somaliae Comites, vnde Cardinali mater, neque nomine hoc antiquitus vocitabantur: neque Ciues Vrbis Mediolani ante trecenteſimum annum fuere. Aghilarij prius dicebantur, fuerantque in Hiſpania ex Regulorum numero, quos Reges ipſi, quemadmodum tempora ferebant, tùm aſſumere in Imperij partem, tùm per connubia iungere ſibi & ſanguinem conſociare cum eis haud inferius maieſtate ſua rebantur ſi virtute, ac fide meruerant. Id deinde reliquere nomen, & Capecij nuncupati ſunt, cum familiae Princeps Mauritano bello victor caeſum ducis hoſtis caput, & ſpolia de eo opima retuliſſet: vnde & torridum id ſole culmen Mauri hominis ab reliquo diuiſum corpore inter inſignia Gentis manet. Ab Somaliae dominatu & poſſeſſione ſubiectarum Arci terrarum populari conſenſu & fauore ſuperindita appellatio eſt poſteaquam arcem inter alia loca tenuere hanc nouarum opum apud Inſu-

Montaltus ab materna origine Modiolanenſis ciuis.

Mater ex comitibus ſomaliae.

Prius appellati Aghilarij.

Ex Regulorum numero Hiſpaniorum.

Deinde Capecij.

Cur in ſtẽmate Card. torridum ſole culmẽ Mauri hominis.

Ab Somaliae dominatu populari conſenſu appellati Somaliae.

bres fere caput. Venere autem ex Hiſpania in Italiam, qua tempeſtate Galeatius & Bernabos Mediolani Duces cum Pontifice Vrbano V. bellum gerebant. Pacatiſque rebus & compoſita Vicecomitum domo, Capecij patrueles, alter Neapolim cum popularium manu profectus, alter Mediolanum ab Vicecomite inuitatus, patriam in hac terra nouam vterque fecere ſibi: duaeque familiae inde feliciter propagatae ſunt, in ea familia quae Neapoli fixerat ſedem domiciliumque fortunarum, fuere Pontifices tres, Cardinales tredecim, Archiepiſcopi quinque, belli praeterea Duces, & Legati Regum, regibuſue annexi complures, quorum nomina in Regni Annalibus perſcripta extant. At annales & monumenta Inſubrum, Ariolai poſteros ſtirpemque vniuerſam (is namque Mediolani conſtiterat) hac nominum ſucceſſione deducunt atque aſſignant. Nicolao Preuedolus ortus: Preuedolo Petrinus: Petrino Barptolemaeus: Barptolemaeo Baſſianus: Baſſiano Antonius: Antonio Franciſcus: Franciſco Alphonſus: Alphonſo Margarita vnica heres opum, quas domui huic Vicecomes primo, deinde Sfortia ſucceſſor, poſtremò Carolus V. ob merita accumularant, quaeue ipſi ex priore fortuna habuerunt. Hanc Sixtus V. Principi Michaeli vxorem expetiuit Cardinalis Alexandrini fratri, quorum vtrumque ex ſororis ſuae filia, Patre Damaſceno Equite ac patricio Romano

Ex Hiſpania Mediol. venere tempore Galeatij, & Bernabonis Ducum.

Patrueles Capecij alter Neapolim. Alter Mediolanū venit.

Summi Pontifices tres Card. 13. Archiep.

Geneſis Nicolai a quo Card.

Margarita vnica heres tantarum opum.

Sixtus V. Principi Michaeli Margaritam vxorem expetiuit.

Romano ortos cura & ſplendore tuebatur atqueaugebat. Neque enim Pontifici huic alia munimenta domus fuere. Sed ne daretur ſtatim Margarita Principi obſtabant Imperij leges aduerſus huiuſmodi matrimonia latae retinendis domi opibus, quas extra Prouinciae huius patriaeque fines cum tota domus auitae mole ſponſa alioqui elatura eſſet. Annuit Philippi II. Maieſtas, tabulaeque nuptiales confectae coram Gubernatore Prouinciae, qui ſcribendo affuit. Sic Rex ipſe mandarat. Ac mortuo interim Pontifice nuptiae factae ſunt, & Principum Italicorum gratulatione deductae, praeter ingentem Sixti memoriam, & grande Cardinalis Montalti nomen, etiam populis vrbibuſque excitatis fauore atque obſequio erga Catholicum Regem, in cuius tutela Pontificiam domum eſſe hanc fama communis ferebat. Ex hoc matrimonio Princeps Franciſcus naſcitur, quem Vrbanus VIII. in anni huius exitu Cardinalem inter duodecim creauit. Deſtinabatur ſanè ille iam inde ab initio aetatis domui ſubſidium columenque ſucceſſionis cùm non eſſet in domo virilis ſexus alia proles: atque acta per honeſtas artes adoleſcentia, quibus artibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur, florentiſſimi, & primi procerum Romanorum generum ſibi eum votis & ambitu deſignabant, imminebantque ſpei huic. Ipſe caſtimoniae honores, lauream-

Quid obſtaret ne Margarita ſtatim Principi daretur.

Quid annuerit Philip. II. Maieſtas.

Grande Cardinalis Montalti nomen.

Ex hoc matrimonio naſcitur Princeps Franciſcus Card.

Per quas artes egit adoleſcentia Card.

Castimoniae honores lauream q; antetulit matrimonio.
Sacris vltro initiatur.

que antetulit : estque sacris vltro initiatus, vt studia & consilia suorum reprimeret neue vltra interpellaretur. Postquam in sacra toga comparuerat, coeperat à Pontifice eflagitare Philippus IV. vt hic sibi Cardinalis daretur. Ac sicuti declarauit euentus, & sicuti credidere interpretantes, annuerat sanè Pontifex inter animi sui secreta: sed distulit nota consiliorum altitudine, vti saepius expetiretur, atque appareret, datum esse Regi id quod efflagitationi vrbis & publicae expectationi datum videri posset. Cardinalis factus sumpsit Patrui cognomentum, vt obsequij constantiam erga Regem, & cum Patrui liberalitate ac munificentia certamen, siue imitationem atque hereditatem animi eius etiam appellatione praeferret. Constat ab seniore Montalto tricies centena millia nummum aureorum pijs largitionibus insumpta fuisse, sic relata summa est ab ijs, quibus noscere ista otium & cura ipso inscio fuit.

Phil. IV. petierat hunc ab Pontifice vt hic sibi Card. daretur.

Annuerat Pontifex.
Distulit ob altitudinem consiliorũ.

Sumit Patrui cognomentũ Causae huius.

Immane aurum quod in pios vsus insumpsit Card. Montaltus.

*Caeterum hic annus luctuosus admodum fuit Reipublicae litteratorum. In morbum incidit scriptor, ex quo non conualuit, & amoenissimae Musae siluere. Subdam Hieronymi Legnani Decurionis aequè nobilissimi ac doctissimi viri pauca, qui sicuti tantum virum viuentem in delitijs habuit, defunctum Eulogio longè pulcherrimo est prosecutus, vt laudari à laudato viro, quae pars magnae felicitatis virtutis est, haud summo scriptori desideraretur. Inter alia haec scribebat &c.*

» Annum iam agens octauum vltra sexagesimum dum adhuc suppeteret robur, incidit in tabidam febrim, & paulatim intumuere venter, & crura. Decuriones, vt audiuere aegrotantem, anxij de salute, ac rati fore è decore atque existimatione Vrbis si publicis studijs, & expensis leuaretur aegritudo, statuerunt ex ordine vnum, qui attentus rei opem ferret aegro quam maximam posset, sollicitè agendo, atque effusè. Zelus idem, & cura subijt mentem Montij Cardinalis Eminentissimi, & Principis Sacrorum aeque, ac sapientum, sed prioris obstitere sollicitudines. Adhibiti peritissimi Medicorum, qui simul eruditè differentes de origine, & magnitudine morbi opportunioribus pharmacis, & artibus certatim optatae consulerent valetudini; statuta item loca, in quibus ritè, ac studiosè pararentur cibi, quibus aeger quisque, ac languens vesci, ac foueri queat. At non studia haec, non pharmaca artesue vllae medentium iuuabant aegrotantem,

» tem, nequicquam vel tepeſcente ardore; vel
» tumore decreſcente; Contumaces morbi inſe-
» derant nimis corpori, & eludebant ſpes, &
» conatus. Cupido vehemens conualeſcendi,
» qua tenemur cuncti mortalium, iniecerat ſpem
» potiundae valetudinis ſi ſubductus craſsiori
» coelo huic eueheretur ad amoenius, & ſalu-
» brius Brianteae regionis, ſub quo Coelo ſorti-
» tus fuiſſet ipſe primordia vitae. Verum, ſeù
» eueniſſet ita res, ſeù fefelliſſet illum credulitas,
» vt peruenit, exhauriri iuſſit ſibi aliquantum
» humoris, quo intumuerat, veritus ne nimia exu-
» berantia, ſpiritus intercluderentur; exhauſto
» humore extemplo corruerunt vires, & praeſa-
» giens ipſe imminere mortem, expiauit ſe
» myſterijs omnibus elargita poſt per
» tabulas re familiari propin-
» quioribus, qui & ſedulò
» adſtiterant,
» inſeruierantque. Deprecatuſq; Deiparam
» extremis vocibus, vt iuuaretur in
» ſummo diſcrimine, expleuit
» mortalitatem.

# INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUAE HISCE OCTO LIBRIS CONTINENTUR.

*Abduae Comiti Francisco permittitur Urbani militis regimen* pag. 209

*Aegidius Haix ad muniendam villam Rainaldae mittitur* pag. 269

*Affinitates & vincula somnia priuatorum sunt* pag. 150

*Agnedini à Venetis stimulati interturbant pacem* pag. 58

*Aghilerij, deinde Capetij appellati Patrueles Card. Montalti.. Eorum summa nobilitas* pag. *Quando ex Hispania venere* pag. 332

*Agrestium Briantiae exacta disciplina militaris* pag. 210

*Angleriae hostes minitantur* pag. 235

*Albornotius Card. excitatur ad defectionem Parmensis Principis* pag. 188. 189

*Albornotius Card. Mediolani Gubernator, eius dotes, & mens. Politicae & militares artes eiusdem* pag. 185. 86

*Legatos ad Principes Italiae mittit, scribit ad Regem* pag. 189

*Mittit incolume aurum ad obsessos Valeretiae per medios hostes. Adurni Senatum bellicũ habet* p. 195

*Gratias Caelestibus Ticini reddit. Ad Urbem proficiscitur* pag. 201

*Alcalà Dux Guber. Mediol. vix monstratus. Eius dotes in Germaniam proficiscitur* p. 201. *moritur* 204

*Ancurtus irrumpit stationem tyronum Hispanorum* p. 307

*Tentat ascensum & deditionem Eporediae* pag. 313



Al-

*Aldigherij Fortuna varia. Genuam inuadit cum Sabaudo* pag. 71
*Idem pecunia accepta inuidit Sabaudio Genuam* p. 74
*Albae Pontifex foede à militibus acceptus* pag. 25
*Ei vincula induntur* pag. 44
*Alpium transitus vulgatus* pag. 135
*Alieni cupiditas origo omnium malorum* pag. 183
*Amicitia Gallorum semper damnosa Farnesiae domui* pag. 167
*Arx ad Casalem excitata supra Ducis fastigium visa* pag. 13
*In hac extruenda Arce aenea lilia fundamentis subdita* pag. 19
*Arbitrum Italiae rerum faciunt Galli Catholicũ* pag. 82
*Arias Senatoris laus* pag. 116
*Comes Franciscus Aresius vulneratus* pag. 205
*Aresij Comitis Praesidis in sũma consternatione Vrbis expeditum consilium. Tanti viri laus* p. 221. & 222
*Arona tentatur à Gallis* pag. 224
*Aragonius solus consilij Bremani particeps* pag. 251
*Eiusdem immota virtus* pag. 261
*Idem traiectus glande occubuit* pag. 302
*Ioannis Aragonij Borgiae laus* pag. 262
*Austriacae copiae post vigesimum diem in Germania constiterunt* pag. 138

B*aratta minister Caesaris offendisse dicitur Parmensem Principem* pag. 163
*Battouillae laus* pag. 320
*Impetum hostium sustinet. Eiusdem ferocia* pag. 322
*Idem vulneratus* pag. 201
*Barcha Architectus* pag. 259
*Bernenses ab Parte Rhaetorum* pag. 156
*Comes Antonius Bilia mittitur ad Heluetios* pag. 204

*Bormium*

*Bormium ab Rhaetis captum & direptum* pag. 56
*Borromaeorum Comitum vigilantia in Gallorum motu* pag. 224. 227.
*Bologninus Comes occupat cornu ad Bremum* pag. 260
*Brandeburgi & Saxoniae Electores primi in Caesarem arma mouent* pag. 124
*Bremum quando primò firmauerint Galli* pag. 246
*Brancatius Castellum Sartyranae expugnat* pag. 265
*Briantia cella vinaria Vrbis Mediolani* pag. 209

*Carolus V. Foederico Gonzagae Ducis titulum indulget* pag. 8
*Caroli Emmanuelis ingenij habitus* pag. 12
*Catherinam Philippi II. filiam in matrimoniũ ducit Ibidem*
*Idem inter exempla datus* pag. 33
*Turbat Italiae Statum Ibidem*
*Card. Ferdin. consilium ob incertum Viduae vterum p.* 13
*Infantem acerrimã custodia munit* pag. 14
*Parum Romae occultat alienationẽ ab Hispanis p.* 19
*Eiusdem trepidatio* pag. 35
*Protector Hispaniarum apud Pontificem* pag. 36
*Armorum loco legationes parat* pag. 37
*Timet ab Catholico* pag. 38
*Caesar & vtrique Reges trahunt in partes Principes Italiae* pag. 2
*Caesaris mens in motibus Italicis ambigua* pag. 3
*Caesar nihil decernit in Mantuana contentione* pag. 11
*Idem suspectus Ibidem.*
*Fatigatur ob Montemferratum Ibidem.*
*Eius solicitudo ob nouos motus Vulturenos* pag. 190
*Mittit copias ad liberandas illas fauces Ibidem.*
*Caesar Montius Nuntius extraordinarius apud Catholicum* pag. 86
*Eius nobilitas; Genitores; Purpura, Pontificatus,*
 *virtutes*

virtutes variae magnitudo animi, Pietas, Vigilantia pag. 87. vsq; ad 94
Agit apud Regem vt mota in Niuernium arma omittantur. Egregiè captat occasionem, quid rem distulerit pag. 95
Caesar deducit praesidia ex Monteferrato pag. 12
Caesar tutelam Cardinali legitimam affirmat pag. 15
Caesariani exercitus splendor & ferocia pag. 79
Caesarem deijcere loco cardo rerum erat pag. 124
Marchio Celatensis desijt in ipsa Valentiae obsidij solutione, eius laus pag. 200
Ciuilia ingenia Philosophantur pag. 5
Claudius Marinus Patriae hostis pag. 72
Comparatio inter duos Priuatos Comitem Ducem & Riclaeum pag. 117. vsque ad 122
Connubia charitasque sanguinis languent vbi Ratio Status pag. 150
Copiae ex Gallia ad Principem Parmensem mittuntur pag. 187
Coloma Praefectus castrorum Valentiam aduolat, eius consilium, quale pag. 193
Frascarolum rectè munit pag. 199
In Valentiam Pedites introducit. Ibidem. pag. 700
Valentiae Plausum audit pag. 200
Conditio, quae sit Bellantium pag. 303
Conditiones dictae exituris à Bremo pag. 274
Conuentus apud Coloniam Vanus pag. 204
Corduba obsidet Casalem pag. 85
Spes ei obijcitur futurae intus proditionis pag. 83
Corduba soluit obsidionem Casalis pag. 98
Idem reuocatur in Hispanias, eius infelicitas Ibidem.
Conditio miserabilis Imperitantium Ibidem.
Colaltus Mantuam obsidet pag. 102
Card. Richlaeus in Italiam descendit armatus pag. 104
Prin-

*Principem Victorium haud admittit in conspectum suum. Ibidem.*
*Tendit ad Casalem. Eius imprudentia, quae fuerit p.* 104
*Cupit cum Sabaudo colloqui* pag. 105
*Capit Pinarolum* pag. 107
*Eius gloria* pag. 108
*Eiusdem primae curae ab foedere icto* pag. 123
*Quaerit hostem vbique Austriaco nomini. Ibidem.*
*Caracena in Placentinos ab Guzmano mittitur* pag. 205
*Arces capit. Ibidem.*
*Idem commendatur* pag. 297
*Caracena ad Bolennium properat* pag. 320
*Idem ex primis, qui arcem Trini obtinerent pag.* 295
*Ab Caracenae statione fit initiũ irrumpendi in Trinũ p.* 290
*Casalis ab Corduba obsessus* pag. 85
*Catholici Regis quid sit peculiare* pag. 158
*Idem Odoardo Duci Farn. Praefecturam orae maritimae Belgicã offert, quibus conditionibus p.* 167
*Catholici Regis de Comite Barptolomaeo Aresio iuditium* pag. 222
*Catholicus successorem Guzmano dat* pag. 309
*Casalensis Res improspere gesta* pag. 306
*Cardinales pignora pacis & vincula Regum* pag. 330
*Cardinales* 13. *ex familia Capetia.*
*Catholicus petit ab Vrb. Purpuram pro Montalto.*
*Card. Antonius Barberinus venit in Insubriam pag.* 108
*Re infecta discedit. Ibidem.*
*Ciuium Mediolanensium intentissima cura in hostes p.* 237
*Ciuitatis Mediolani preces & vota pro Victoria pag.* 237
*Consilium publicum Mediolani* 60. *Decurionum pag.* 215
*Eiusdem sensus ab Tornauenti pugna* pag. 239
*Idem Guzmano victoriam gratulatur. Ibidem.*
*Reddit gratias Triuultio Eminentissimo. Ibidem.*
*Crycquius firmando foederi Parmensi affuit* pag. 168

*Beneficia*

*Benefitio equi euadit* pag. 203
*Reus proditionis arguitur* pag. 235
*Scribit in Regiam contra Sabaud.* pag. 236
*Infestus rursus adest* pag. 242
*Quae somniaret* pag. 243
*Tormento discerptus* pag. 268

*Descriptio tormenti bellici, quod Petardum appellant* pag. 24
*Descriptio immanium vulnerum* pag. 75
*Descriptio magnarum copiarum* pag. 79
*Denuntiatio Catholici Legati aduersus Gallum Sabaudumque simul* pag. 157
*Descriptio Insubriae* pag. 175
*Descriptio incessus exercitus Catholici ad soluendam obsidione Valentiam* pag. 197
*Descriptio Brianteae Plagae* pag. 209
*Descriptio totius incessus ad Bremum* pag. 232 & seq.
*Descriptio totius obsidij. Ibidem.*
*Descriptio totius lineae Bremanae* pag. 270
*Descriptio Tormentorum in arce Bremi relictorum a Gallis* pag. 275 & 76
*Descriptio munimentorum Trini* pag. 287
*Descriptio incessus Catholici exercitus ad liberandam obsidione Eporediam* pag. 320
*Decuriones ingenti alacritate suscipiunt defensionem Vrbis* pag. 208.
*Sex millia peditum conscribunt, Pontes iniungunt Portis. Ibidem.*
*Decurionum patriae & Regis amor ingens* pag. 215
*Eorum summa prouidentia, quid timent, agerent per litteras cum Guzmano* pag. 215
*Decuriones scribunt in castra ad Guz.* pag. 224
*Decuriones scribunt in castra ad Guz. Germanorum*

vig-

*violentiam* pag. 241
*Decuriones scribunt in castra ad Guzm. quae loca sint firmanda* pag. 243
*Defectio Monoeci quantum damni afferat & afferere potest, Iuditio Legnani* pag. 317
*Dissimulatione Hispana toleratur Sabaudiae Dux* p. 32
*Dispares sunt subiectorum ac Dominantium sensus* p. 135
*Diuisio totius obsidij Trinensis* pag. 292
*Dominatus ingentium turbarum seges* pag. 1
*Documentum salutare scriptoris ad Reges* pag. 241
*Documentum scriptor Regibus dat* pag. 305

E *Cclesia Romana quando erit felix* pag. 330
*Epularum lasciuia perdidit Mantuanā domum* p. 5
*Eporedia, eius situs, praebuit incunabula Sabaud.* pag. 312
*Eporediae ab Cath. soluitur obsidio* pag. 326
*Eulogium Guzmani ab ipsis hostibus expressum* pag. 277

F *Ama bellorum domina* pag. 41
*Feriae Dux Mediolani Gubernator* pag. 50
*Expeditionem in Vulturenos suscipit*. Ibidem.
*Eius indoles, memoria ad bellum accenditur à nescio quodam, istius artes, vsque ad* pag. 52
*Mouetur ad bellum ab nece Archipresbyteri* pag. 53
*Pecuniam pro milite mittit*. Ibidem.
*Gloriam quaesiuit* pag. 54
*Timet ab hostibus, bellum parat, Serbellonum mittit ad occupandos saltus*. Ibidem.
*Feria in Aulam perscribit rerum Vulturenarum Statum* pag. 60
*Ad Archiducem Leopoldum scribit*. Ibidem.
*Mittit ad eum pecunias*.
*Feria contra Rhaetos tendit* pag. 61
*Feriae reditus in Vrbem specie triumphantis*. Ibidem.

Fer-

*Ferdinandus Mantuanus Princeps non purpura non vxore contentus* pag. 6
*Feria legiones in subsidium ligurum mittit Feriae magno bellatori quid desideraret Historicus* pag. 76
*Feria ab Mediolano cum copijs egreditur. Ibidem.*
*Feria inter fortunatos Imperatores, si ab Verua abstinuisset* pag. 78
*Feria optimè instituit Verucanum obsidium. Ibidem.*
*Feria se recipit Mediolanum* pag. 80
*Feria per legatum admonet Parmensem Principem* p. 161
*Foederis titulus contra Austriacam Domum* pag. 65
*Ictum est Lucduni. Ibidem.*
*Qui Principes adessent. Ibidem.*
*Foederati quid meditarentur contra domum Austriacã* p. 68
*Mediolanum, & Genuam intercipere cogitant Foederati* pag. 66
*Nihil latebat Feriam circa foedus, quod in perniciem Insubriae actum erat* pag. 69
*Monet Feria Balnei demarchum* pag. 70
*Praesidium & pecuniam offert. Ibidem.*
*Scribit ad Pastranae Ducem Regis Legatum apud Pontificem. Ibidem.*
*Florentiae Magnus Dux auxilia parat aduersus Sabaudum* pag. 39
*Fontium Comiti succedit Mendocius* pag. 22
*Foedus contra Catholicum immane* pag. 32
*Flumina, quae irrigant Insubriã, & interfluunt* p. 178. *et seq;*
*Federati excursiones faciunt in agrum Mediol.* pag. 202
*Bremum occupant.*
*Foederati Metropolim aggredi primo impetu statuunt* p. 206
*Magna dissimulatione hoc agunt. Ibidem. Ad Ticinum excurrunt.*
*Forma regiminis Struelae* pag. 311
*Fortuna multum in re militari valet* pag. 325

*Fortuna*

*Fortuna multum in re militari potest* pag. 325
*Fortuna summa inuenit aemulos* pag. 151
*Foederis praetextus, qui esset* pag. 114
*Foedus contra Catholicum quanti orbi Christiano steterit* pag. 111
*Francisco Mantuano Principe mortuo quantae curae mortalibus* pag. 6
*Franciscus Gonzaga ab Sigismondo Caesare Mantuae Demarchus appellatur* pag. 8
*Franciscus, et Margarita Sabauda iunguntur nuptijs* p. 13
*Galli per spetiem Alumni Niuernij veteres iras in Hispanum animo voluunt* pag. 3
*Galli pro parte Rhaetorum* pag. 53
*Galliae Regis animi habitus in motibus Vulturenis* pag. 64
*Mittit legationem extraordinariam in Aulam Catholici* pag. 65
*Galliae Rex cum nouo exercitu venire in Italiam parat* pag. 86
*In medio hyemis rigore traijcit Alpes* pag. 95
*Galliae status qui esset cum agitare coepit consilia contra Catholicum* pag. 125
*Galli quam partem securitatis putant. Ibidem.*
*Galli insitam habent potiundae Italiae cupiditatem Ibidem.*
*Galli Venetum Senatum per Legatos tentant* pag. 126
*Gallorum fides quamdiù duratura* pag. 129
*Gallorum violentiam Gentes omnes damnant* pag. 130
*Gallorum ingenium quale sit* pag. 131
*Galli volunt ac nolunt restituere Pinarolum* pag. 136
*Gallorum versutia* pag. 137
*Galli fidem suã obligare Sabaudiae Ducem cogunt* p. 138
*Galli Pinarolum ab Sabaudio repetunt. Ibidem.*
*Galli totius Europae Imperium concupiscunt* pag. 145
*Galli quare loca & arces petant* pag. 149

*Gallorum artifitia per quae se se insinuant Sabaudo p.* 152
*Galli opprimunt amicos si se se occasio dabit* pag. 155
*Gallorum gloria ob adiunctum sibi Sabaudum* pag. 160
*Galli per ministros Farnesianos in suas partes trahunt Ducem Odoar.* pag. 161
*Gallorum tota consiliorum moles Mediolanum spectabat* pag. 170
*Quomodo ad id disposita consilia haberent. Ibidem.*
*Galli varia de Serenissimo Infante Card. vulgant pag.* 171
*Cur ei data opera aperuere iter, in Germaniam. Ibidem.*
*Galli lentè ac dissimulanter agunt* pag. 172
*Galli vtuntur opportunitate ingenij mitis Albornotij Card. ad inuadendam Insuriam* pag. 186
*Galli tentant abscindere Vrbi Mediolano Germanica auxilia* pag. 186
*Galli Placentiae barbarica exempla libidinum edidere* pag. 188
*Galli Prouinciam irrumpunt traiecto Ticino* pag. 220
*Galli Fontanetum occupant* pag. 224
*Galli rumpunt molem, siccant fossam* pag. 226
*Galli Tornauentum in castra se se recipiunt* pag. 228
*Gallorum irruptio in Bolognini stationes* pag. 266
*Galli perterefacti colloquium petunt, & dicuntur conditiones dedendi Bremi* pag. 273.274
*Galli cuneum obsident* pag. 297
*Galli contra pactum susam & Auillanam nouis copijs firmauere* pag. 300
*Galli occupant Cherium. Ibidem.*
*Galli detrectant pugnam* pag. 301
*Galli Eporediam designant* pag. 312
*Galli funduntur ad Eporediam* pag. 314
*Galli multa iuueni Frincipi Grimaldo Monoeci pollicentur* pag. 317

*Galli*

*Galli multa virtutis & desperationis facinora edunt p.* 321
*Tentant perrumpere cornu in quo erat Caracena Ibidem.*
*Galli per stragem & sanguinem intercluserant fauces ad Eporediam* pag. 327
*Germania vt plurimum cum Hispano* pag. 4
*Garaius Martin Aragonij confutat sententiam* pag. 196
*Idem situm maximè opportunum eligit. Idem in tempore succurit Torrecusae* pag. 199
*Genuensium magna consternatio* pag. 72
*Genuensis nobilitatis ac plebis diffidia. Ibidem.*
*Genuae situs & descriptio Magnificentiae Vrbis pag.* 73
*Gambacurta ad Tornauentum cadit. Eius laus pag.* 223
*Germanorum militum insolentia per pagos* pag. 240
*Ghisae Dux cum classe Genuae portum subit* pag. 72
*Gonzagae ferocia & virtus* pag. 327
*Aetas Gonzagae, Rarae dotes tanti Bellatoris, ex Mantuae Ducum stirpe, celebris ob musarum studia, fundit hostes* pag. 327. & 28
*Gonzagae ex Germania oriundi* pag. 8
*Gonzaga vulneratus* pag. 205
*Grimaldus Princeps Monoeci eijcit praesidium Hispanorum, eius negotij causas & originem* pag. 315
*Idem minor in tutela Catholici. Confirmata aetate conturbatur* pag. 316
*Guzmanus Mediolani Gubernator anno* 1635. *munit stationibus opportunis Scriuiam* pag. 203
*Reprimit excursiones. Ibidem.*
*Obijcit aggerem Parmensi Principi. Ibidem.*
*Mittit Gonzagam & Vasquium aduersus Villam p.* 205
*Guz. obuiam it hostibus* pag. 206
*munit valentiam. Ibidem.*
*Ad Gerolam pugnat, hostium caedes* pag. 208
*Petit ab Vrbe Mediol.* 30 *M. nummùm aureorũ p.* 217

*Milites animat ad Tornauentum* pag. 230
*Prosperè pugnat. Ibidem.*
*Turbatur ob Germanorum violentiam* pag. 241
*Mittit Triuultium Card. in Placentinos* pag. 245
*Bremum animo voluit* pag. 248
*Nondum adulta hyeme illud tentat* pag. 249
*Idem ingenti silentio consilium premit* pag. 251
*Ab Vrbe in castra pergit* pag. 266
*Commendat Aragonium* pag. 267
*Capit Bremum Vercellas capit* pag. 280
*Scribit ad Regem factorum seriem* pag. 281. *vsq;ad* 304
*Meditatur Trinum, inuadit & capit Taurinum* pag. 297
*Eius animi submissio* pag. 304
*Eius apparatus ad Casalem* pag. 304
*Variè incusatur ab Casalis expeditione* pag. 307. 308
*Quid deceperit Guzmanum in ea expeditione* pag. 308
*In Hispanias reuocatur.*
*Ludouicus Gonzaga tyranni interfector* pag. 8
*Eius mite ingenium ac praeclarae dotes. Ibidem.*
*Guzm. edicto cohibet lasciuiam plebis* pap. 279
*Guzm. ad flumen Lentiam caedit fugatque hostes.* p. 205
*Guzmanus in discessu Serenissimi Infantis copiarum Imperator* pag. 182

H*Eluetij venales* pag. 4
*Hetruriae Dux magnus ab Catholico Senarum Prouintia donatus* pag. 147
*Heluetiorum astus* pag. 190
*Hispani Ripam insident, muniunt* pag. 55
*Hispanus Sabaudio Infantem Mantuanam destinat* p. 15

I*Mperiorum vt corporum sunt commutationes* pag. 185
*Imbres pro Gallis ad Casalem pugnant* pag. 306
*Im-*

*Imperium Austriacū ab numine praecipuè amatur p.* 114
*Infans vnica relicta heres Mantuae, magnos motus conci uit* pag. 6
*Incunabula prima immanis foederis contra Domum Austriacam* pag. 112
*Insubri nominis origo* pag. 175
*Insubriae positio & fines* pag. 175. *vsque ad* 180
*Heluetijs ac Rhaetus frumentum eadem dispensat p.* 181
*Infans Serenissimus Card. ab Mediolano discedit veteres legiones educit* pag. 182
*Indicas fruges quando primò Italia coepit distrahere p.* 146
*Inopia egestasque commeatuum offecit Caesaris conatibus in Vulturena valle* pag. 190
*Inducta Taurinenses vnica Salus nostrarū legionum p.* 298
*Italia Imperijs grauida* pag. 49
*Italia nunquā quieta fuit nisi in Dominatu Catholici p.* 146
*Iura Sabaudae Domus in Montemferratum* pag. 10
*Iura Mantuani. Ibidem.*
*Iura Sabaudi sibi Infantem vindicantis* pag. 14
*Iustitia regit bellum* pag. 153

*LAumellina horreum Vrbis Mediolani semper habita est* pag. 247
*Lasciuia Vrbanae plebis ad nuntium Bremi recepti p.* 279
*Hieronymus Legnanus Decurio defectionis Principis Monoeci causas pensitat* pag. 316.17.18.
*Eius oratio crebrior sententijs, quam verbis, eiusdem indoles & ingenium. Ibidem.*
*Leucum a Gallis tentatur* pag. 209
*Libido augendae Potentiae insita Principū animis est p.* 183
*Lutherani in parte Mantuani belli*
*Lucensi Reipublicae libertas conseruata ab Hispano Rege* pag. 147
*Luxus perdidit Mantuanam Domum* pag. 5
*Man-*

M *Antuani motus aequant regnorum varietates pag.* 4
*Mantuano Regionis situs intendit curas Hominum p.* 6
*Mantua ingentis ponderis pag.* 6
*Mantuani Principes Valetudinarij. Ibidem.*
*Mantuae Vrbis Primordia pag.* 7
*Mantuae conditores Etrusci. Ibidem.*
*Mantua ab Othone II. Tedaldo Cannusij Comiti conceditur. Ibidem.*
*Mantuana res Foeminae dote crescit pag.* 9
*Mantuani Principis indoles pag.* 12
*Mantuani charitas ne infans patrijs penatibus abstrahatur pag.* 13
*Mantuani Cardinalis indoles pag.* 16
*Eiusdem propensio ad Pacem, Ab Card. adamata Vidua. Idem.*
*Nomine Pacis amores suos praetexit. Ibidem.*
*Mantuani Legatus ab aula Sabaudi dimittitur* 18
*Mantuanus & Sabaudus coacti sunt à Regibus ponere arma pag.* 50
*Marchio Sanctae Crucis vna cum Liguribus recipit omnem occidentalem oram pag.* 81
*Mantua opportuna Prouinciae Mediolanensi pag.* 84
*Magnitudo peculiaris Catholici Imperij pag.* 114
*Crebra pro Catholico miracula. Ibidem.*
*Mantua ab Germanis capta pag.*
*Maritima res maximè instructa apud Catholicum p.* 134
*Mantua in manu Ducis Semigalli pag.* 169
*Marcleus Praefectus Trini pag.* 288
*Margarita vnica heres magnarum opum Somaliae pag.* 333
*Principi Michaeli Sixti V. nepoti nupsit*
*Francisci Card. Montalti Genitores. Ibidem.*
*Castimoniae honores Card. antetulit matrimonio sacris initiatur. Ibidem.*

*Man-*

*Mantuanus Card. mittit 500. equites ductore Vincentio eius fratre* pag. 41
*Idem timet ne ab Catholico destituatur. Ibidem.*
*Aliam collectitiam manum mittit laboranti Trino. Ibidem.*
*Mendotius ab Sabaudo cultus donis & Sancti Germani Dynastia* pag. 23
*Mendotius duas equitum alas in subsidium Mantuani mittit* pag. 38
*Mendotius lentè admodum subsidia Mãtuano mittit* p. 39
*Mediolanum Ciuitas increpat expeditionem Veruuae* p. 81
*Mediolani Vrbis moestitia in discessu Serenissimi Infantis* pag. 182
*Mediolani laus. Ibidem.*
*Mediolanum Ciuitas Populorum aliorum altrix*
*Medinae Dux laudatur.* pag. 303
*Mediolanum Ciuitas erecta expectatione Casalis* pag. 305
*Ministri Farnesiani corrumpunt Ducem Odoardum* p. 162
*Eorum astus & artes. Ibidem vsque ad* 164.
*Refutantur omnia, quae ipsi ingesserant* pag. 165 *vsque ad* 167.
*Militiae magistri et copiarum ductores apud Parmensem Galli* pag. 187
*Martinus Gallianus Valentiae praesidij Praefectus* p. 193
*Momenta ab Hispanis ponderantur* pag. 3
*Motus bellici non statim, sed sensim erumpunt* pag. 4
*Mortales praesagiunt calamitates Mãtuanae domus* p. 4
*Mors Henrici* 4. *praecidit spes omnes Sabaudo* pag. 21
*Et foedus suppressit* pag. 113
*Montisferrati diuisio* 47. *Montisferrati munimenta. Ibidem.*
*Modoetia, eius nobilitas* pag. 212. 242
*Mos ProDucum Mediolani in sanctiori Hebdomada* p. 306
*Monoecus orae ligusticae oppidum, eiusdem Principis defectio, causae* pag. 317
*Munia & blandimenta legatis Gallis Veneti dant* pag. 133
*Muni-*

*Munificentia Senatus Veneti dat Gallis animos* pag. 153
*Mutinensis Dux habet honores Guzmano* pag. 206

N *Auarinum genus hominũ quid sibi desponderet* p. 192
*Nebula diuinitus sparsa fauet expeditioni Valentianae* pag. 200
*Necessitates Sabaudi Ducis in accipiendo Gallico Praesidio* pag. 158
*Niuerni Dux Caesaris edicta & monita Regum contemnit* pag. 83
*Ab Niuernio Caesar, & Catholicus petunt Mantuam quibus conditionibus. Ibidem.*
*Quid Consilij caperet* pag. 84
*Eius affectus, motus. Ibidem.*
*Niuernius vna cum Venetis incursant Mediolanensem agrum* pag. 96
*Niuerni Ducis nobile consilium ad Galliae Reges* pag. 151
*Nominis dignitas omnino conseruanda* pag. 154

O *Bsessi Valentiani militis inopia laborabant* pag. 198
*Obsessi Trini in Vasquij & Gattae legiones procellam glandium immittunt* pag. 261
*Obsidum loco Cardinalis & Princeps Thomas dantur Gallis* pag. 138
*Obsidioni Veruae quid offecerit* pag. 80
*Odoardus Farnesius Parmensis Dux ad Gallos defecit* p. 187
*Idem supra aetatem sapiens* pag. 188
*Ab Placentia mouet* pag. 192
*Alienatur ab Gallis* pag. 227
*Confundit vestigia sequentium* pag. 228
*Magnitudini Hispanae se permittit* pag. 246

P *Agi nunc Ligae apud Rhaetos dic untur* pag. 57
*Palaeologorum longa series desijt in Georgio* pag. 9
*Pa-*

*Paulus IV. Farnesius prae moerore extabuit* pag. 167
*Parmensis domus sub tutela Catholici floruit* pag. 160
*Pax in Italia, ab composito Mantuano motu speratur* p. 49
*Pax breuissimi aeui inter Reges fit* pag. 81
*Partitio scriptoris* pag. 116
*Pecunia quanti momenti sit* pag. 226
*Philippi III. mors, eulogium exequiarum Pompa Mediolani* pag. 58
*Philippus IV. successor* pag. 59
*Eius aetas quando Imperium capessiuit* pag. 59
*Eiusdem Regis mandata circa Vulturenos motus. Ibidem.*
*Philiberti Principis iurgia cum Lermaeo Duce* pag. 31
*Pinarolum Galli muniunt* pag. 171
*Plebis Mediolanensis lasciuia in abeuntem Cordubā* p. 99
*Quid illi Plebs exprobraret* pag. 100
*Pontifices Summi ex familia Capetia tres* pag. 332
*Ponzeueraschae Gens ferox* pag. 77
*Principem Victorium obsident ibidem, soluitur obsidio ab Duce Patre.*
*Praedicantes pessimum mortalium genus* pag. 53
*Praesentia Cardinalis Infantis quanti momenti* pag. 183
*Praestinus Architectus inclytus* pag. 255
*Praetoriani in Fluminis Padi ripa disponuntur* pag. 267
*Principum varia studia* pag. 1
*Principum ingenijs gratae factiones* pag. 2
*Principum varij motus ob Vulturenam Vallem* pag. 63
*Primipilus Marolei quid diceret intermortuis vocibus* p. 289
*Proceres, & Plebs Mediolani maximè consternata* p. 221
*Procerum ac Decurionum in summo discrimine Vrbis mira alacritas. Ibid.*
*Procerum nomina recensentur, penes quos in Gallorum irruptione summa potestas in Vrbe fuit* pag. 224
*Quid prouiderent. Ibidem.*
*Prouidentia Comitis Ducis* pag. 303
*Proluuies causa cladis Casalensis* pag. 308

ttt *Que-*

*Q*Verelae Vulturenorum, causae belli fuere pag. 52

*R*Atisbonensem Pacem, cum Monzonij pactis conantur Galli confundere pag. 136
*Ratio Status vbi intersit, quid pariat* pag. 150
*Rainutius Dux Parmae vsque ad extremum coluit Catholicum* pag. 161
*Regum meditamenta difficillimè celantur* pag. 2
*Res nouae non nisi iuuenibus placent* pag. 130
*Religio & Pietas per Hispanum Monarcham facta proprium Italiae bonum* pag. 147
*Respublica Genuensium fermè India est. Ibidem.*
*Ripae situs* pag. 55
*Ab Hostibus tentatur* pag. 56. 71
*Rhaeti venales* pag. 4
*Caluinicae disciplinae seminarium conãtur Rhaeti instituere* pag. 53
*Regionem nouis praesidijs firmant* pag. 54
*Variae eorum expeditiones* pag. 56
*Vincuntur* pag. 57
*Mittunt legatos Mediolanum* pag. 58
*Arcem Bormij aggrediuntur* pag. 61
*Petunt Pacem* pag. 62
*Auxiliares Gallorum fiunt* pag. 186
*Comitis de la Rocha laus* pag. 116
*Legatus apud Sabaudiae Ducem negat Gallis dandum esse Pinarolum* pag. 139
*Eius sagacitas summa, penetrat arcana* pag. 143
*Eius oratio ad Sabaud. Ducem* pag. 143. *vsque* 155
*discedit ab Aula Ducis.*
*Gemmam ingentis pretij respuit* pag. 159
*eius denuntiatio.*
*Rhotomagi Dux mittitur in expeditionem* pag. 186
*Occupat Vulturenam Vallem, Primi eius conatus* p. 187
*Conturbatur ob aduentum Sorbelloni Comitis* pag. 190

*Ex*

*Ex Vulturenis erumpit* pag. 209
*Victoriam desperat ad Leucum* pag. 210
*Inhorrescit ad aspectum copiarum Briantiae Regionis* pag. 213
*Discedit ab Leuco* pag. 214
*Scribit ad Galliae Regem* pag. 235

S *Abaudi Ducis animi habitus* pag. 4
*Idem abhorret ab nuptijs Card.* pag. 17
*Eiusdem callida responsa. Ibidem.*
*Filias duas vnam Estensi, alteram Mantuano Principi tradit* pag. 20
*Statuit decernere ferro* pag. 21
*Trifariam aggreditur Montemferratum* pag. 24
*Albam Montemcaluum & Trinum capit. Ibidem.*
*Eius inconstantia & mutabilitas* pag. 28
*Longè alios arcanis artibus superauit* pag. 29
*Alienatur ab Catholico* pag. 30
*Partem prolis in Hispaniam mittit* pag. 31
*Circumfert arma per Montemferratum* pag. 38
*Eius saeuitia in administrando bello* pag. 43
*Eius milites, qui mortales essent. Ibidem.*
*Eorum militum violentia ac crudelitas* pag. 45
*puniuntur ab Duce* pag. 46
*Totius superioris Montisferrati fit Dominus. Ibidem.*
*Cogitat de Genua inuadenda* pag. 69
*Pugnat prosperè cum Liguribus* pag. 73
*Ingemiscit ad prospectum Genuae. Ibidem.*
*Conqueritur de Gallica fide* pag. 78
*Fugam velat spetie Sauonae. Ibidem.*
*Gallos fugat ac fundit ad Casalem venientes* pag. 85
*Eius fides suspecta Catholico* pag. 96
*Imperij sui claustra tradit in manus Gallorum. Ibidem.*
*Susa periclitatur* pag. 97

*Monet Cordubam periculi* pag. 98
*Corrumpit Victoriam Spinulae* pag. 102
*Eius artes, ac studia ad eludendam victoriam. Ibidem.*
*Offenditur Richlaei superbia* pag. 104
*Egregiè suum dolorem punit* pag. 105
*Fatale Sabaudo laqueis haerere suis* pag. 107
*Ab Hispano recipit omnia, quae ei Gallus ademerat* pag. 147
*Multa & infesta patitur ab Gallis Victorius* pag. 157
*Dux Sab. concedit primi loci dignitatem legato Gallorum* pag. 171
*Sabaudae copiae in Derthonensem agrum mittuntur Villa Duce* pag. 203
*Obsident Valentiam. Recedunt, Sabaudus Suspectus Gallis ad Tornauentum.* pag. 209
*Mutua odia cum Crycquio* pag. 235
*Scribit ad Galliae Regem.*
*Sartyranae Castellum deditur Brancatio* pag. 265
*Senatus Amplissimus scribit in castra ad Guzm. super insolentiam Germanorum* pag. 241
*Serpontus equitum ductor laudatur* pag. 265
*Sextus Architectus* pag. 256
*Situs castrorum hostium ad Tornauentum* pag. 229
*Situs Catholicorum. Ibidem.*
*Sorbelloni Comitis Ioannis in Vulturenis expeditiones tanti viri virtus* pag. 75
*Egregie tuetur Ripam multos obtruncat. Vulturenam capit.* pag. 76
*Ex Flandria redit* pag. 189
*Comes Sorensis & Stampa intrepidè deducunt copias ad Valentiam* pag. 200
*Ex Somalij Comitibus mater Card. Montalti* pag. 331
*Somalia gens cur in stēmate gerat mauri hominis caput* p. 333

*Sors bellorum iniqua* pag. 308
*Sotelus Bonobò capit* pag. 260
*Spinula quando venit* pag. 101
*Eius consilia circa Niuernium. Ibidem*
*Mittit Comitem Iacobum Mandellum ad Niuernium. Ibidem.*
*Spinula ad Casalem praemittit filium* pag. 102
*Ipse in castra proficiscitur, euentus eius obsidij.*
*Spinula sero rei perditae auxilium mittit* pag. 107
*Pari astu agit cum Sabaudo* pag. 102
*Scriptoris meditamenta* pag. 1
*Eiusdem mors* pag. 335
*Sueci casus turbauit ordinem impetumq; Gallorum p.* 171
*Suecus Rex repentè inter cadauera* 112

T*Anarus Flumen Montemferratum interfluit p.* 46
*Ortus & eius cursus* pag. 47
*Targonus Architectus* pag. 257
*Thomas Princeps venit in Insubriam Mediol.* pag. 283
*Multa loca capit in Subalpinis* pag. 284
*Diffidit Cuneo* pag. 297
*Mittit Principem Mauritium cum equitatu ad Casalem* pag. 306
*Eum inter & Guzmanum mutuae querelae* pag. 310
*Occurrit Velaschio* pag. 314
*Eius expeditiones aliquot.* pag. 321. & seq.
*Titulus Gallorum tritus* pag. 192
*Torrecusa Tribunus* pag. 192
*Cogit hostes pedem referre* pag. 199
*In summo discrimine. Ibidem.*
*Torras magister equitum Gallorum cadit vnius Agrestis ictu* pag. 266
*Ternauenti pugna describitur* pag. 231. vsque ad 233
*Trium viri Principes Valentiam obsident* pag. 192
*Tri-*

*Triuultius Card. in Placentinos mouet, acta eius ibidem* pag. 245. & 246
*Trino subduntur ab quatuor partibus ignes* pag. 296
*Trinum magni momenti* pag. 285
*Tumultus ingens in Vrbe ad famam Gallorum, qui Ticinum traiecerant* pag. 221

*VAlentiae situs eius munimenta* pag. 192
*Vaticinium cuiusdam Tusci* pag. 330
*Vectigal olei assignatum Vrbi ab Guzmano* pag. 225
*Velaschius Siruelae Comes succedit Guzmano. Dotes tanti viri, aetas, sapientiae studia, frugalitas, & aliae militares virtutes* pag. 310 vsque ad 312
*Cum Principe Thoma rem gerit* pag. 313
*Velaschius cum Triuultio Card. egreditur Mediol.* p. 314
*Quid cognoscere cupiat* pag. 320
*Disponit copias. Ibidem.*
*Eius prouidentia* pag. 327
*Intromittit copias in Eporediam* pag. 323
*Ad Cliuassium ducit copias* pag. 324
*Astus eiusdem. Ibidem.*
*Hortatur legiones* pag. 325
*Maiore Praesidio firmat Eporediam* pag. 326
*Vercellae capiuntur ab Guzmano* pag. 280
*Venetorum auitum ingenium* pag. 3
*Auxilia parant aduersus Sabaudiae Ducem* pag. 39
*Eorum Senatus Romanae Reipublicae specimen. Ibidem.*
*Veneti pro parte Rhaetorum* pag. 53
*Pecunijs strenuè adiuuant rem. Ibidem.*
*Venetorum consilia* pag. 56
*Incitant Galliae Regem ad fauorem Rhaetorum* pag. 65
*Subsidia in Mantuanam Vrbem intromittunt* pag. 102
*Libertatem per tot soecula conseruant* pag. 126
*Veneto in Senatu quid actum super postulata Gallorũ* p. 127 vsque ad 131.

*Veneti Senatus responsum* pag. 132
*Venetorum Respublica vndique cincta Catholicis finibus* pag. 133
*Eorum summa prudentia* pag. 134
*Non alio magis praesidio aduersus Turcas, quam Hispano Rege muniuntur* pag. 147
*Eorum gratus animus aduersus Proceres Hispanos. Ibidē.*
*Venetum Senatum terrore se subacturum Galli sperant* pag. 169
*Venereae artes perdidere Mantuanam domum* pag. 5
*Veruae situs, & munimenta* pag. 78
*Veneris immodicae tristes effectus* pag. 5
*Vercellinus Maria Vicecomes egregiè Eporediam defendit, tanti viri laus* pag. 314
*Vincentio mortuo M. P. maior solicitudo indita contemplantibus* pag 6
*Vicissitudo dominantium* pag. 7
*Vidua ad Patrem à Principe Victorio deducitur* pag. 17
*Vidua lacrymis ab Card. filiam contendit* pag. 18
*Villa Marchio ab oppugnatione Sartiranae retrahitur* p. 194
*In Mutinenses ducit* pag. 205
*Vicarij Vrbis Hieronymi Fanniani ingens solicitudo* p. 223.
*Iubet excubias ac stationes in Vrbe. Ibidem.*
*Vincentius Gonzaga cum Italico equitatu ad Villatam pergit* pag. 259
*Vidua Serenifs. Sabaud. offert, & petit inducias ab Guzmano* pag. 298
*Fugit in arcem Taurini, eius infelicitas* pag. 299
*Vrbanus VIII. xij. Card. creat* pag. 329
*Vulgus audax publicis rebus se immiscet* pag. 2
*Vulturenae Vallis opportunitas ad iungendam Germaniam Italiae* pag. 55
*Vulturena vallis immanium motuum causa* pag. 49
*Vxor Principis Thomae in Aula Regis* pag. 310

*DE REGENTIS CARERAE morte nunciata in Vrbem Chroniſta Vrbis lib. III. Dec. III. ſic refert.*

DECESSIT hoc anno Madriti in Regia Alphonſus Carera in Supremo Italico Conſilio Regens. Rumorque primò incertus, deinde conſtans ſama de obitu eius diſſipata per Vrbem eſt ad VII. Idus Februarij cùm Patres in Senatu eſſent. Ibi litterae redditae Senatori conſanguineo alumnoque eius. Mox & caeteri, cum è Curia egrederentur, ſiue poſteaquam rediere domos, de ea re nuntios litteraſue acceperunt: & ante meridiem plena Vrbs triſtiſſimi rumoris fuit. Non enim quaſi Magiſtratuum, Regiorumue Conſiliariorum optimus atque ſapientiſſimus tantummodo deceſſiſſet, ſed quaſi accepta publica clades, & quaſi florentiſſima aliqua prouinciarum amiſſa eſſet ita domos ſingulas, Ciuitatemque totam ſtrenuè percurrens fama, tanti Viri mortem, damnaque inde accepta vulgarat. Per fora, per templa, per aulam, in conuenticulis, coetibuſque vniuerſis apud Tribunalia, per compita, per vias, deſiderij moeſtitiaeque publicae facies fuit. Nec principes modò Vrbis, quos ciuilium vtilitatum, & cura boni communis attingit, ſed hic etiam aliud agens po-

pulus, & commodis tantummodo ſuis intenta plebes, eo die, ac deinde per continuos aliquot dies creberrimè loquebantur id malum. Deceſſiſſe Patrem Patriae huius, verum aeſtimatorem cuiuſque meritorum atque virtutum, incorruptum animo, manuque etiam authoritate validum apud aures, animumque Regis ob cognitam per tot experimenta prudentiam, & fidem: aliaque eiuſmodi conquerebantur. Et, cum paſſim audirentur eae voces, altius tamen animis moerebant, prout cuique ſenſus intellectuſue damni. Quodque rarum in tanta humanae neceſſitatis conſuetudine, tantoque ſemper inuidentium, & quotidie morientium numero, nemo audita morte Regentis, aut ſtatim oblitus eſt, aut laetatus eſt. Adeò magnitudo Viri huius, aequitas, & beneficentia in omnes, ſuperauerat commune malum inuidiam: adeoque haerebat animis memoria, quod Prouinciam, Vrbemque hanc belli neceſſitatibus afflictam, ceu patriam ſuam alteram refouendam ille tuendamque ſuſcepiſſet. Quippe teſtificando prolixe, ac benigne apud Regem de nobilitate, & fide meritiſque Terrae huius, obtinere ſtudebat, & fere obtinuerat iam, vt, & onera, quae iam eſſent impoſita mitigarentur, & mitius in poſterum imponerentur ſi qua iniungenda forent. Vnde & muneri huic, quo ſuper temporum varietates, decora ſimul illuſtrium virorum, & eorum

erga

erga patriam hanc merita custodimus, atque exequimur conuenire arbitror inclusum extare quasi simulacrum, & imaginem quamdam vitae animiq; eius. Venerat Carera Mediolanum in flore penè aetatis Magistratus Extraordinarij Praeses, quae Senatoria dignitas est. Gesseratque id munus maiore potestate, & arbitrio rerum omnium, quàm sicuti caeteris ea cura permitti consueuit. Ita Regi placitum. Miserat namque eum extra ordinem, non tam Quaesturae ipsius causa, quam vt cognito per eam occasionem, rerum Italicarum Statu reuocaretur deinde in Regiam futurus ibi particeps, atque minister arcanorum sicuti euenit. Factus in Supremo Consilio Italico Regens, non eam tantummodo curam integre, sanctèque sustinuit, sed ob sapientiae animique celsitudinem, ad omnia semper adhibitus est, quae in tanto Imperio consultanda, prouidenda agendaque essent. Non bella, non foedera, non opera vlla pacis absque consilio ipsius administrata. Nihil magnae rei susceptum siue tentatum, quin sententia Regentis priuatim etiam exquireretur. Sanè liberior habebatur, quam apud Regum aures expediret tutumue esset. *Ferturque aliquando in tantum egressa seueritas, & rigor eius, vt modo specie honoris ablegaretur modo manere iuberetur extra Aulam:* Mansitque non semel tam prope ab exule, quàm postea statim ab eo vt inter Priuatos intimosque

que Regis haberetur. Quippe dimiſſus reuocabatur, aucta poſt offenſionem admiratione Viri, & ſubeunte ſemper deſiderio libertatis eiuſdem, quae antea diſplicuiſſet. Nec ille vnquam, nota praepotentum Aulicorum arte temperamentoque politico inſtituerat ſibi reperta nonnullis itinera inter deforme obſequium, & abruptam contumaciam: ſed quae aequiſſima forent, & tutiſſima Imperio, haec depromere, atque exequi: vel ſi non admitterentur, quaerere vltro latitandi cauſas, & vltro abſtinere Aula. Coelibem vitae formam elegit. Meminique dictum fuiſſe hoc: agitauiſſe Regem, vt hunc ſibi Cardinalem expoſceret inter eos, quos Catholico Imperio, honorique & tutelae eius dare conſueuit Apoſtolica ſedes. Ea conſtans in Vrbe fama fuit, nulla ipſius cogitatione rei eius, nullaue ambitione, ſed quia tantummodo dignus erat. Litterae fuere ei, & ſapientiae ſtudia praeſertim illa, queis iura legeſque continentur, tanta profunditate, tantaque memoria rerum omnium, vt crediderint prudentes antiſtiteſque ſcientiae eius potuiſſe ipſum ſuo marte condere ius ciuile nouum, ſi qua temporum, aut hominum iniuria monumenta illa intercidiſſent. Sed & omnia veteris memoriae monumenta comprehenſa animo tenebat: omnes hoſce recentioris aeui; atque aetatis mediae hiſtoricos attente peruolutarat. Imperij,

perij, caulas controuerfiasque principum, iura finesque prouinciarum, & quicquid ciuili prouisu, excogitatum, repertum, cautumque est, nemo melius percalluisse creditus fuit: magnusque in eo genere commentandi, & scribendi labor ei, magnaque subtilitas; Styli quoque delectus aderat: & qui veterum, quiue nostrorum, grauius limatiusue scripsissent, hos & in manibus habebat, & laudando commendandoque efficere volebat, vt in honore haberentur. Nusquam bonis artibus in Catholica Regia largius faciliusue, quàm hoc Regente praemia obtigerunt. Vt Magistratum, honoresue alios quis adipisceretur, non commendatione vel ambitu opus erat. Innotuisse satis. Probus animus, & ingenij dotes satis ipsae, per se prensabant. Sunt hodie in Vrbe Senatores, alijque, qui latumcl. & Regia munera, neque petentes, neq; sperantes de manu fere ipsius accepere, quia meriti erant. Decessit Anno LX. aetatis, septimo die postquam decubuerat. Febris maligna fuit. Incusauere medici labores nimios, & anxia curarum. Amici proximique dixere propriè tormenta solicitudinesque mentis, quod proditionibus, & rebellione Prouinciarum angeretur. Formam habitumque eius sanè monstrant simulacra multis in Vrbe locis, prout quique vel beneficijs affecti, vel admirati nomen, & famam, tùm contemplari ipsi lineamenta haec

tùm

tum contemplanda alijs offerre, atque exhibere ſtuduerunt. Sed lineamenta eiuſmodi, pictoſque vultus abſumet vetuſtas, quae marmora etiam exedit. Noſtra haec pictura fortaſſe perennior erit. Statura cum decoro procera fuit: gracile corpus: pallidum os: torrida macies; abditi introrſum oculi, toruum ſimul quiddam, & mite tuentes, qualis acies eſſe contemplantium ſolet.

Reliquit ſolatium vnicum Vrbi Senatorem
Ioannem Arias ab materna ſtirpe con-
nexum Domui ſuae, duplicique
Matrimonio, & ſuſcepta hic
prole Ciuem Patriae
huius,
cuius hodie ſtudia, & animum, magnitudi-
nemque ſapientiae, ceu Regentem
ipſum intuemur.

## DE ARIALDO MARTIRE
*addenda ad libros Hist. Eccl. Med.*

*Ex Bibliothecae Ambrosianae manuscripto.*

IN Arialdi huius vita & fine, tantae varietates implicant, & authorum, & rerum, vt pene pudeat huius historici negotij, siquidem clarorum virorum memoria intra breuis aeui spatium confundi ita & corrumpi, dum vindicatur, potest. Apud alios, pro concitore seditionum & satellite turbarum habitus iste fuit, vnde postea caedes & populi concursus in ipsum: alij versa in contrarium ea nota, sanctis hominem adnumerare non dubitauerunt, Martiremque appellauere. Media inter hos sententia fuit, quae nec inserit celo Arialdum, nec turpi fama dehonestat; sed tertia quadam via retinet inter egregios conatus, & ancipitem exitum, dubiosque sermones hominum, qui spectatores vitae illius, aut certe proximi temporibus fuere. Natus erat Arialdus ex illustri Alciatorum stirpe: parentum nomina perierunt: Cusagum loco nomen est, qui virum edidit, obscurus antea pagus haud procul à Canturio Mediolanensis agri municipio, post Arialdum ipsum aliquandiu eo nobilior. Miracula quoque natalibus addunt. Matrem,

cùm vterum ferret, instaretque puerperij tempus, vidisse cubiculum insitato repente lumine compleri : inde claritatem vicini partus haud obscuro praesagio auguratam. Secutum postea aliud magnae futurae virtutis, & sanctimoniae praesagium. Cùm enim Matrem & sorores per iocum ac lasciuiam, in aequalium coetu terentes tempus vidisset, fertur puer increpando saepius blandimenta vitiorum, author fuisse, quod virgines, quod ingenuas, quod matronam deceret, integre pudiceque agendi, domumque ita disciplina & modestia composuisse priscum ad morem. Haec prima rudimenta Arialdi, specimenque magnae indolis retulere, qui nomen eius à sinistra fama vindicare studuerunt quod mihi quoque faciendum reor, quando honestius clementiusque est augere bonis exemplis Ecclesiam, & retinere publica decora, quàm premere ea & abolere veluti per inuidiam. Ita natus igitur, ita spectatus, prima statim aetate Arialdus, posteaquam exculto quantum tempora patiebantur, litteris, ac disciplinis animo, prodire in publicum, & aliquid inter homines agere coeperat, mouerat eam apud optimum quemque de se expectationem, vt quasi datum aduersus Ecclesiae mala diuino munere iuuenem intuerentur. Inciderat Arialdus in ea tempora, quandoquidem nullum aliud in praeterita mala remedium est, & pudere semper, & pigere

Populum

Populum, Ecclesiamque Mediolanensem oportebit. Non alia solutior nominis Clerique Ambrosiani aetas fuit, siue inter certamina partium & publica arma, communesque corruptelas, partem etiam hanc licentia incesserat, siue plurimum semper licentiae est, vbi maxime abundant opes, & auertunt propria pericula eos, quos penes, officium & cura coercendi. Archiepiscopus erat Guido Velates de quo in superioribus libris memorasse me existimo, nusquam ille quidem plane oblitus muneris vigiliaeque pastoralis; caeterum inter temporum eorum turbas, & factiones, atque familiae suae alternantem tristia & laeta fortunam, saepius intentiusque memor priuatarum rerum, quàm vt laxamenti vel otij satis ad tollendas labes, & castiganda hominum peccata haberet. Ita, in diuite & magna, & luxui semper parata vrbe, alia ex alijs vitia nata erant, haud aliter quam sicuti aegra diutino morbo corpora, morbos subinde nouos sibi gignunt. Erant impliciti scortis Clerici praediuites, & in connubiorum morem, iustis palam vxoribus, ac sua quisque prole publicè contaminati: Rari ad templa & aras: in aleam comessationesque effusi: venando peragrare saltus: factionibus diffidijsque trahi, & trahere secum diuisam in partes Ciuitatem. Ac ne sumptus in ista deesset, grassari foenebri per auaritiam impudentia, luxuriaeque labem

contrario vitio augere. Exciderat omnis amor cultusque litterarum. Adeò agebant importunè plerique flagitiosè, petulanter, foedantes incessu ipso vrbem, ac vita, moribusque suis exempla circumferentes noua ac terribilia multitudini. Et erat multitudo ipsa, sicuti assueta talibus magistris, ita perdita & nequam. Haec Vrbis & Ecclesiae dehonestamenta, cum indignitate angerent Arialdi animum, coepit ille obuiam ire, cunctaque detestari concionabundus, nunc se circulis inserendo, nunc prehendens manu castigansque singulos prout in peccantem quemque inciderat. Municipia pagosque maxime circuibat, siue vt vim, fructumque concionum ibi experiretur, siue stragem eam animarum praecipuo dolore miseratus. Audiebatur ab alijs cum admiratione & motu nonnullo animorum: plures probra contumeliasque concionatori nouo ingerebant. Et pulsatus alicubi mulctatusque est itaut nocentiores ea iniuria faceret quos emendare voluerat. Fuere qui tantummodo ceu vana dicta eludentes cauillantesque leuiter, dicerent; iret potius in vrbem, vbi & maior peccantium numerus, & fructus concionum vberior. Exerceret ibi fulmina illa verborum potius quàm apud simplicium agrestium aures sese iactaret vbi contra hiscere posset nemo: non defuturos in Vrbe qui proteruiam ipsius & contumeliosa dicta confutarent. Haec aliaque

his

his similia cum saepius Arialdo exprobrarentur, statuit ille inutili circa pagos peregrinatione, vrbem aggredi ipsam, & pugna conatuque maiore palmam tentare quam inuenit, Ea postquam sententia steterat, coniungit sibi Landulphum Cottam, & gerendae rei consilia cum eo communicat, vt vno animo labantem Ecclesiae statum erigere, ac firmare ingrederentur. Erat is Cotta ex Templi maximi Canonicis, ardentis animi etiam ipse iuuenis, & pietatis violentia nihilo deterior. Ad hunc animi ingenijque feruorem addiderat ipse dicendi vim, & è sapientiae studijs quantumcunque in tam corrupto seculo honestè natus, honestè educatus assumere potuisset. Ita duo isti, & disciplinarum adiumentis, & spiritus ardore pares, suscepto aduersus Cleri vitia bello ingredi statuerunt vrbem haudquaquam interea otiosi, quin arces & castella Daemonum in itinere ipso excindere conarentur. Erat res minime alioqui speciosa in frontem, minimeque sacrarum concionum officio similis, cùm diuina oracula, celesteis monitus, hortamenta virtutum ex vnius ore promiscua multitudo audit; sed ad flagitia & dedecora Clericorum audienda populus tantummodo congregabatur, & nihil aliud fere, quàm probra spargebantur in eos. Infandae nuptiae Sacerdotum, contaminata sacra, nati per labem dedecusque parentum liberi, sublatae ex

Ecclesia

Ecclesia litterae, & disciplina ritusque caeremoniarum, inductae illuc compotationes; & rixae, venatici canes, & scelerum omne genus; haec & alia conuitia, nec ex toto falsa, & haud dubiè onerata verbis materia concionum erant; voluebanturque atrocia dicta etiam in vrbem ad Archiepiscopi aures. Et venerant nonnulli vltro conquestum in Aulam, detuleranque nouae rei crimen: exortos nuper, qui Clerum & Ecclesiam, & sacra publicè infamarent, concitarentque populum, quò praeceps magis in sua vitia contemptu regentium iret. Adeò cum viritim modestiam & virtutem plerique exsuissent, dedecore tamen ordinis, & ignominia solicitabantur. Archiepiscopus Guido, non parum eo negotio commotus, accersit ad se concionatores istos, Arialdum atque Landulphum, & benignè vtrumque appellatos interrogat, quid ita temerarias sine vlla publica autoritate serere conciones ausint? alienare ipsos ab Ecclesia populum: odia conflare Clero, & insigne ad inuidiam facere, quicquid tegi potius occultarique oportuerat, si cura esset ea publicae salutis, qua moueri ipsos arbitraretur. Proinde melius erit, inquit, quieuisse, & abstinuisse munere isto concionandi, aut si pergere vtique placet, saltem abstinuisse conuitijs in Clerum, ne ad id quod satis superque est gratuitae contemptionis, nouus in sacrata capita furor accedat. Dixe-

rat

rat haec in modum fere cohortantis addideratque verbum; non eamdem suam fore lenitatem, si querelis eiusmodi verberatae suae aures postea essent. Arialdus ab hoc sermone dimissus inhibuit vim suam ardoremque compescuit hactenus scilicet, vt omissa frequentia & celebritate concionum per colloquia priuata potius apud singulorum aures gereret rem. Nihil cum populo ageret; sed vt in quemque pessimi exempli, siue Sacerdotem siue Clericum incidisset, hunc remotis arbitris increpito excussoque luxu, nequitiaue alia, reuocare ad frugem in meliusque mutare conaretur. Suberat fortè dies, quo die, Celsi, & Nazarij Martyrum ossa tunc primùm effossa ex hortis maximo Cleri populique totius concursu, qualis ad noua omnia fieri solet ducta per vrbem pompa deportanda essent, vt mortale corpus vtriusque Diui quod fuerat, collocaretur in sede honesta, qui Sacris Reliquijs inter mortales honos praemiumque est. In ea celebritate & pompa, magnoque solenni, cum presbyterum quendam nomine Anselmum Arialdus seueriore verbo perculisset, percitus ille ira colaphum monitori infregit, commotis indignitate rei omnibus praeter ipsum, cui facta iniuria erat. Occupauerat namque animum cura diuini cultus, auerteratque ab aliarum sensu rerum, vt poneret in lucro, quod Christi causa caesus fuisset. Enimuero videns

parum

parum profici modeſtia & lenitate, & ardens cupidine Martirij, ad priſtina reuolutus concionari rurſum in compitis è ſuperiore loco inſtitit, animo & libertate tanto maiore, quia nihil iam medium, nec pericula, nec praemia, ſed necem & gloriam aeternam, abrupta inter haec omni alia cogitatione meditabatur. Summa finiſque concionum in eo erat. Aut moribus alijs viuendum eſſe Clero: aut populus polluta ſacra, ſacrorumque miniſtros auerſaretur, & Eccleſiae poſſeſſione deijceret. Inſignis mihi viſa eſt forma orationis vnius, qua per eum habita conſternati ſunt ad tumultum ciues, vt Eccleſiae fructibus & adminiſtratione diuinarum rerum arcerent iſtos, quibus impurae manus, impura vita eſſet. Nam poſtridie diei eius, quo translatae Reliquiae erant, conſcenſo ad Templi valuas ſuggeſtu ita peroraſſe fertur. Viri Mediolanenſes. Saluator liberatorque noſter, abſoluto humanae Redemptionis opere, cùm rediret in celum, duo mortalibus reliquit inſtrumenta ſalutis, verbi ſui diſciplinam atque Magiſtros, & vitam exemplaque Magiſtrorum. Ita Numen aeternum, infinitaque ſapientia conſulere voluerat, tam rudibus & imperitis, qui ſpecie tantum, & oculorum ſenſu mouentur, quàm alijs, qui capace doctrinarum etiam animo momenta rationum expendere poſſent. Nunc vtraque ſpes, vtraque vox perijt, & illa ſcilicet, quae

per aures, & altera, quae per oculos immissa salutem animo affert. Nec Euangelij verba pati iam possunt, quibus ea parata disciplina erat & vita Sacerdotum, quae magistra simplicibus esse debuerat versa in contrarium est. Nutus & verba istorum, status, incessus, motusue quilibet, & quicquid in occulto, quicquid in aperto agunt, ipsae preces, & sacra eorum, & foeda omnia inceptu, foeda exitu, peccare docent rudes animos, & pectora imbecilla sexu vel aetate. Haec salubria sunt, haec frugifera documenta, quae in moribus, vitaque ipsorum intueri possint pueri, foeminaeque, quibusue alijs promptius fuerit imitari quae vident, quàm intelligere quae dicas. Nomen tantùm isti Sacerdotum, vestemque habent; caetera profani, & incesti, & nihil cum Ecclesia agentes, nisi dum bona illa, patrimoniumque Christi interuertant. Haec & alia Arialdus plenus irae cùm dixisset, inflexerat postea non nihil vim indignationemque sermonis, & tamquam praesentem flebili lamentatione Clerum appellans, orare ac petere institit, vt quoniam ministri Saluatoris ipsi essent, illius etiam instituta, quantum possent diuina mortales, imitarentur. Mansuetudinem, & paupertatem, adeò cordi fuisse Christo, vt haec retineret, vtramque totae vitae cursu, & in extremo etiam spiritu profiteretur, tunc scilicet, cum è Cruce pendenti defuit Regi Regum vbi ca-

 put

put ipse acclinaret. Ad exemplar monumentumque illud assiduè respicientes, erubescerent fastu suo & luxu: nundinis, & mercatu diuinarum rerum abstinerent: desinerent Ecclesiae spolijs ornare villas: desinerent tectorum altitudine pulsare ac perrumpere celum: monstra denique illa, presbyterorum vxores ne videret amplius sol, neu terra sustineret. Cùm ab Arialdo peroratum ita esset, Landulphus Cotta suggestum protinus eundem occupat, & spiritu eloquentiaque maiore, qua dote conciliatus Arialdo fuerat, orditur incusare praesentia, minari futura; populoque iam sua sponte flagranti faces addidit eas, vt iusto pioque bello persequendum esse clerum cuncti fremerent, ni melior aliqua noua forma consuetudinis vitaeque eorum adspiceretur. Id ipsum sublatis altè vocibus significauere; clamorque fauoris index Landulpho, & Arialdo plaudebat; ac ex eo die, ceu vindices Ecclesiasticae dignitatis, & veros Dei praecones vtrumque complectebantur. Clericorum verò, vt quisque antea nequissime vixerat, ita maxime trepidare, horrere multitudinis iras, horrere sacra, horrere denique vxores ipsi suas, causam initiumque caedis. Nam posteaquam perculsus altiori illa concione populus, sentire publicam ignominiam, sentire rei indignitatem coeperat, adeo secutis diebus animi exarserant, vt Sacerdotes alios ab ara, sacrisque diripe-

rent, ab aliorum latere mulierculas abſtractas, in conſpectu maritorum, & quaſdam vna cum maritis ipſis obtruncarant; exemplaque iſta, documentum caeteris praebuerant, cauendi nequid tale paterentur. Si, quod metus fuerat, fuiſſet virtutis, & caſtimoniae amor, ac ſi quieſcere Clerici in eo ſtatu rerum potuiſſent, penè refecta erant, Eccleſiae dignitas, fama Cleri, & cultus cuſtodiaque ſacrorum. Sed malus virtutis, & pudicitiae cuſtos timor, & ſemper infida quies vbi ingrata & coacta, deſiderium, conſuetudo, neceſſitudines amoreſque inueterati, rem ad priſtina redegerunt. Non tanta Clericorum ira erat aduerſus populum; populiue principes, quos repente ſibi cenſores appoſitos eſſe videbant, quanto odio Arialdum & Landulphum authores ipſos funeſtae illius cenſurae proſequebantur. Itaque coetibus inter ſe habitis, & coniuratione facta, externa aduerſus illos auxilia moliri ſtatuerunt, quandoquidem abſciſa omnia domi & deſperata infeſtaque eſſent. Ac miſſis per totam prouinciam circa Epiſcopos litteris, aut legatis, expoſitoque rerum ſtatu, obſecrauere, vt Metropolitanum Clerum populi violentia & furore oppreſſum ſubleuare vellent authoritate ſua, neu orientem morem exturbandi, interficiendique per populi ſeditiones Clericos, inultum paterentur. Archiepiſcopum Guidonem, ſiue occupatum rerum aliarum curis,

 ſiue

ſiue corruptum etiam ipſum ſtudio & fauore in partes, torpere nulla remedia tanto malo adhibentem. Niſi in praeſentia ſubuentum ſit, breui rem ad vltimum eſſe venturam. Orare vt ferant opem. Haec ad Prouinciales Epiſcopos legatio fuit. Romam ad Pont. Max. cum querimonia precibuſque ijſdem, alij legati excurrerunt. Pontifex erat Stephanus, qui, ſiue atrocitate rerum, ſiue credulitate ſua facilis erga ſupplices, Guidoni Archiepiſcopo mandat, vti Prouinciali Concilio expediat rem. Quòd plures pro ſententia dixerint, eo ſtetur, ne in publica cauſa, vnius alteriuſue cognitio, aut iudicantibus anceps; aut ſuſpecta reis, & aduerſa in publicum fama eſſe poſſit. Synodus Nouariae habita eſt. Eò conuenere Patres delegeratque Archiepiſcopus eam Concilio ſedem magna illa ratione, ſicuti creditum eſt, ne cui contumeliae in tam irritatis animis, tantaque colluuione rerum, ſuam Patrumue caeterorum maieſtatem obijceret, ſi Mediolani potius ad eius turbulenti negotij iuditium conſtitiſſent. Per aliquot dies collatis capitibus, & re multum agitata, verſataque in omneis partes, cum & acerbiſſima quaeque ſententia parum tuta videretur, & indecora Concilio nimia indulgentia eſſet, ad id deſcendêre, quod inter extrema haec medium eſſe cenſuerunt. Per quos turbae illae concitatae erant, Arialdum & Landulphum damnauere abſentes, vt

ipſis

ipſis aqua & igni interdiceretur, quae Romanis temporibus triſtiſſima forma Senatuſconſulti, Religionis poſtea Regno in priuationem Eccleſiaſticae communionis vertit. Concilium deinde dimittitur,ita vt infeſtiora cuncta fierent, quàm ante motum actionemque eam fuerant. Odiſſe populus, ac perſequi Sacerdotes & nomen omne Clericorum, per quos illa in Arialdum & Landulphum procella excitata eſſet: odiſſe & contemnere Guidonem Archiepiſcopum, cuius ad eam diem verecundia vtique aliqua tenuerat animos: concionatoribus verò duobus illis tantò magis fauere, & vtrumque amplecti ſtudijs multitudo, ſectari, attollere ſicuti non immeritò; ità nec modice quemadmodum ſolet. Ipſi verò Arialdus & Landulphus capite diminuti, alienati iure ſacrorum, inuſti triſtiſſima nota, nihil aut fauore multitudinis, aut inſectatione Clericorum mouebantur, ſed tam atroci de ſe iudicio Patrum, velut fulmine afflati in luctu & ſqualore iacebant; ac Romam proficiſci decreuerunt. Id ingreſſi iter Placentiam vſque peruenêre. Parati ibi percuſſores erant, per quos vulnerato non tamen in mortem Landulpho, deſtitutus comite alter, quod reliquum erat viae aegerrime emenſus, quaeſito, & poſt aliquot dies impetrato ad Pontificem aditu, conqueritur ſuos & patriae caſus, Concilij ſententiam, & penè interfectum in itinere Landulphum, ſeque

reſperſum

resperfum sanguine illius. Ibi quoque praeparati, qui refellerent crimina, partesque Cleri tuerentur; ac praecipua inter temporis eius Cardinales authoritate Dionysius quidam, fortè, siue data opera tunc adfuit, cum Arialdus introductus audiretur. Is Cardinalis, & princeps Aulae Dionysius aegre inhibito animo, quominus exsequentem pauca Arialdum interfatus, congereret in ipsum inuidiam, culpamque omnem, postquam ille conticuerat, plenus irae, conuitijs onerat hominem, vltroque incusat, turbasse seditionibus Ecclesiam, nefaria arma aduersus Clerum induisse populo, vulnerum caediumque causam fuisse, & authoritate Concilij ob ea meritò damnatum. Eadem alij ex composito iactauere, Pontificem inquietantes, velut religione obiecta, ne quid mollius clementiusue de turbatore rerum Arialdo statuere aliquandiu posset. Ille tamen, siue instinctu lumineque diuino, siue ratione prudentiaque sua gnarus denique veri, repudiatis eiusmodi criminatoribus, qui multi & violenti reum vrgebant, rescidit acta Concilij, dirisque vinculis exsoluit Arialdum, & benigno insuper alloquio ad coepta strenue prosequenda confirmauit. Sed adstrepebatur vndique à proximis, à longinquis, quos causa ea attingebat, quosue isti corruperant. Eoque strepitu & tumultu, simul magnitudine Vrbis & Cleri & tantis rerum motibus, quanti

ad

ad eam diem inter Mediolanenſes fuiſſe dicerentur, Pontifex inductus adiecit animum curae huic, vt non ſolùm componeret in praeſentia Ciuitatis Eccleſiaeque ſtatum, ſed prouideret etiam in poſterum, nequa eiuſmodi portenta ibi exorirentur. Miſſa igitur eſt ad inſpiciendam componendamque rem cum ſumma poteſtate legatio, cuius Princeps Cardinalis Hildebrandus fuit. Epiſcopi duo Lucenſis, & Oſtienſis participes conſiliorum, & dati gerendis rebus adiutores iere. Hi quaeſtione habita, factaque diligenter in ſingula capita percunctatione compererunt etiam foediora cuncta, quam quae delata eſſent. Inter caetera, Guidonem Archiepiſcopum indicia manifeſta, teſteſque iurati arguebant vendidiſſe, alienaſſe, diſſipaſſe, diſtraxiſſe, traieciſſe, contaminaſſe pretio mercedulaque interpoſita res diuinas, quale ſacrilegium auſa tentare antiqui Simonis impudentia turpiſſimi nominis infamiam inter nundinas eiuſmodi propagauit. Hanc in Archiepiſcopo labem legati reperiſſe dicuntur, caeteraque & caeteros ad eandem formam, nec vltra morati, quàm dum exſcripta exſignataque cuncta in tabulas referrent, coercitionibus, vinculis, remedijſue quibuſdam creſcenti malo impoſitis, hortati Arialdum (eum quoque enim ab Roma ſecum adduxerant) ne priſtino muneri deeſſet, ad Pontificem rediere. Landulphus interim, de quo Arialdi Comite

ad Placentiam penè interfecto antea memoraui, sublatus ex militari via penè exanguis, atque inter piorum manus in diuersorium hospitale deportatus, dierum aliquot ancipiti curatione conualuerat, idque ad diuini fauoris omen trahebat Arialdus haud minus, quàm honorifica de se iudicia Pontificis primò, deinde legatorum. Viciſſim ipſe, quod confoſſo vulneribus corpore, ſanguineque exhauſto, ſpiritum tamen vitamque retinuiſſet, munus eſſe diuinum interpretabatur, ſeque adeò reſeruatum operi, cuius inuidia petitus foret ad necem. Hoc vterque tam pio ſenſu, mutuaque conſpiratione animorum, ad id quod ſua ſponte concupiſſent, & Numinis praeſentia, & fauore hominum, Pontificijſque decretis euocati, repetunt munia ſuggeſtuſque ſuos, ac veluti miracula, vterque conſpiciebantur, alter ab Roma vim nomenque Pontificis in ſuo capite ferens, victor iniqui Concilij, victor anathematis, alter ferri vulnerumque victor. Ea duorum Concionatorum dignitas ad Populum erat, id pondus authoritaſque verbis. At Clericorum animos haec ipſa efferauerant; quantoque magis vident attolli fama hominum & admiratione inſectatores ſuos, tantò magis accenditur eis furor. Vtrumque deſtinabant neci; ſed flagrantius, impotentiuſque Landulphum. Namque is validior etiam in auditorum animis, & eloquentia efficatiore

habebatur.

habebatur. Accepto pretio, ſed & propria ira Clericus vnus impiger ad eiuſmodi facinora rem ſuſcepit, vulneratoq; iuxta aram concionatore fugiens cùm penè euaſiſſet, à medicamentario forte homine comprehenditur ac detinetur. Viderat ille relicto in vulnere telo fugientem, cùm rari alij vel fortaſſe nulli eius horae momento circumſtarent. Additurque, quod rei admirationem augere poſſit, hominem fuiſſe claudum, qui ab facinoris indignitate concitato curſu, parricidam aſſecutus ſtiterit tenueritque, donec clamore orto plures validae manus vincula iniecere. Comprehenſus ille ductuſque in carcerem, alia quoque multa, ſed illud praeſertim inter tormenta confeſſus eſt, cognitis antea venenis rapidum ſibi virus fuiſſe, quo tinxiſſet imbuiſſetque gladium, vt ſerpens paulatim ad vitalia peſtis efficeret lenta tabe, ſi quo minus effici potuiſſet vi ſubita. Landulphus tamen paucis poſt diebus integer incolumiſque prodijt, obſtupeſcente ciuitate ad illud ſecundo iam miraculo inuiolabile corpus. Sed non miracula vlla praeſenſque Numen, non Pontificis authoritas, non conſenſus & ſtudia populi amentes ira Clericos inhibuere, quominus nocendi vias omneis, & ingenia cuncta experirentur aduerſus iſtos, quos Deus hominesque tutela amplexi cuſtodirent. Ac verſo in Arialdum furore, hominem ipſum violare non auſi, in villam patrimoniumque

eius rabiem exercere coeperunt. Statuerant nocturno impetu sic vastare ac diripere cuncta, vt nulla felix arbor, nihil frugiferum in agris relinqueretur. Inseriturque hoc etiam loco simile miraculi; arbores & loca illa, quae excidio ac ruinis interdiu destinata & notata habuissent, nocte sublustri aggressos ita fefellisse, vt neque tramites vllos explicare ipsi possent, neque ictum aciemue ferramentorum reciperet tellus obdurata, stipitesue sentirent. Pro Arialdi arboribus vulneratas quasdam caesasue finitimorum, laetiores ab ea iniuria feracioresque comparuisse. Diuulgata per vrbem, & multum celebrata sermonibus ea quoque res, sicuti confuderat magnopere aduersarios, ita Arialdum spe roboreque nouo firmarat; non sanè quod hortorum & villarum cura vlla ipsi; sed rebus conatibusque suis interesse magis quotidie Numen laetabatur. Clerici ipsi, qui antea vno animo consilioque omneis aduersus Arialdum Landulphumque stetissent, tot intra breue tempus perculsi tamquam telis, vt quisque flecti sanariue faciles, siue pertinaces in malo erant, in factiones contrarias abiere. Pessimi isti furorem auxerunt: pars altera fractis atque conuersis ad poenitentiam animis ducem & authorem vitaeque suae Magistrum ex hoc tempore sequebantur, quem antea insectando fuissent ipsi principes coniurationis; quae ad

necem

necem deinde illius erupit. Tantaque ea ſubita mutatio fuit, vt multi, qui empta Sacerdotia habebant, monitu hortatuque Arialdi vltro ea abdicarent. Et fuere quos ea religio, idque obſequium exſueret omnibus bonis, cum per Eccleſiaſtica compendia diteſcere properantes nefario mercimonio quicquid habuerant pecuniae occupaſſent. Hi deinde ipſius liberalitate Arialdi ſuſtentabantur, qui ſicuti praediues erat idem & contemptor opum, alios ea abdicatione redactos ad egeſtatem excipiebat alebatque domi, alijs id ipſum quod pecuniae perdidiſſent de ſuo repraeſentabat. Cumque mutuo conſenſu nonnunquam, qui vendiderant ea Sacerdotia pariter, & qui emerant, ab ipſo contendiſſent, vt inter venditoris ſcelus emptoriſque poenitentiam vacua illa ſuſciperet, ſineretque in ſuo capite rectius meliuſque locari, perſtitit abnuere id nefas, vt pro concionatore quadruplator interceptorque rei alienae dici vnquam poſſet. Quantò rarior in animis hominum contemptus auri, tantò magis authoritas hinc increſcebat viro; alijque, & alij quotidie ei gratificantes, tum à conditionibus infandis ſacrilegoque mercatu refugiebant, tum reſcindebant, atque deteſtabantur, ſi quid in ſacris rebus antea contraxiſſent. Et cum inter Clericos ea inclinatio animorum fieret ad omnia, quae reſtricti moris authori Arialdo placerent, tum verò apud po-

 pulum,

pulum, qui ſemper ei fauiſſet, momenti plurimum ad omnem honeſtatem eo concionante, poſt illa quae narraui, vel miracula, vel exempla fiebat. Quippe inter caetera, licentiam inueteratam, religioſis vetere inſtituto diebus matrimonia ineundi, cùm nulla Apoſtolica interdicta comminationeſue nullae ad eam diem inhibere potuiſſent, temporaque ſacrata Aduentus & Quadrageſimae laſciuia nuptiarum promiſcuè foedarentur, id etiam ſublatum eſt nutu & authoritate eius. Traditurque memorabile illud; cùm ipſo Natalis Chriſti peruigilio, magna vna opulenta domus verſa tota in nuptiales apparatus eſſet, reſque iam inibi vt ſponſa deduceretur, intraſſe repente Arialdum, & increpita iniuria, quae myſterio auguſtiſſimo fieret, diſieciſſe cuncta; nec modò nuptias illas ad praeſens eſſe dilatas, ſed in poſterum quoque magnitudine exempli, tantae rei diſciplinam firmatam atque ſtabilitam. Inter haec, pars ea Cleri, quae nec vitia ſua, nec bona aliena pati poterat, accenſa vtrinque, ac dolore, & inuidia, & ſcelere ardens, turbando omnia, infeſtandoque & perſcindendo quicquid compoſitum ſubinde ſanatumue erat, eò adduxerat rem, vt non ſiſti vltra ſuſtinerìue poſſet. Satis apparebat, nequicquam parti vni ſubuentum, ſi pars altera domitis fraenis in praecipitia cuncta ferretur. Extremo malo remedia extrema quaerenda

eſſe,

esse, & auxilium vtique non infeliciter expertum iam semel ab vi maiestateque Romana petendum. Erat tunc in eo fastigio patria Mediolanensis Alexander, quem huius Ecclesiae Canonicum Guido Archiepiscopus minime sibi opportunum, minimeque consentientem in ea Pontificatus & vitae forma, quam exposui, dum procul amouere studet, ad summa extulit. Namque proficiscens is forte Guido in Germaniam ad Caesarem, eduxerat hominem eo consilio secum, vt specie honoris negotijue alicuius occupatum, quam longissime ablegaret. Ita commendante ipso, demandauerat ei Caesar Lucensem Ecclesiam, quae tunc in sacra potestas, siue licentia Imperij fuit. Ex Lucensi dein Episcopo Pontifex Max. factus iste erat, Anselmus antea nomine, & priuatis rebus Arialdo ipsi similitudine studiorum consiliorumque societate familiaris, statum insuper conditionemque rei totius optime edoctus, iam inde ab eo tempore cùm principi legationis Hildebrando Collega additus Mediolanum, sicut demonstraui, venisset. Hoc Pontifice fretus Arialdus Romam iterum proficisci statuit. Et quò plus spei secum ad rem feliciter atque ex animi sententia gerendam ferret, socium itineris negotijque nactus erat Herembaldum Cottam, Landulphi fratrem, qui pace belloque bonus, pietatis insuper laude florebat, & adito Christi sepulcro commodum ex

ea

ea peregrinatione redux, cùm res tanta patriae ageretur, appellatus minime recusauit, iereque vnà. Siue authoritas, & dignatio viri huius, siue vetus amicitia cùm Arialdo siue cura Patriae, discrimenque summae rerum, siue omnia simul apud Pontificem valuere, vt quae postulauerant Apostolica decreta auferrent. Nec litteras, & decreta solum abstulere, sed imperij vim etiam, atque maiestatem in contumaces, vt potentiae terrore subigerentur, quos interdicta mouere non potuissent. In Archiepiscopum praecipuè Guidonem armati litteris mandatisque praeterea opportunis aderant. Pecunia quoque instructos venisse accipio, quandoquidem nequitiae humanae lege semper factum istud ita est, vt caetera omnia magnarum rerum instrumenta torperent, vbicunque hoc deesset, sed ad ea quae ab Roma attulerant arma & tela, efficaciora alia quaedam ipsi abdidere, vitae nempe formam, quae ipsa per se frangere, ac debellare animos posset. Habitabat Herembaldus ad D. Victoris Aedem, quà Martyres Quadraginta Templo cognomen faciunt. Arialdo sedes, quà nunc Canonicae Seminarium dicitur. Et sicut separati domicilijs, concordes vnanimesque sensibus fuere, ita mores & instituta diuersa in frontem, vnum idemque spectabant. Herembaldo splendor palam apparatusque principalis, & cateruae seruorum,

&

& ſemper armati circa limen : intus parca, & aſpera, & compoſita cuncta velut in animo domoque vnius, quem ſolitudini, celoque imminentem, nihil aliud quàm vtilitas publica inter homines caeteros attineret. Alter ille, interiore pariter & externa diſciplina tetricus, ſeuerus cum ſodalium grege viuebat, quaſi ſpirans moribus, inſtitutiſque ſuis ea, quae caeteris perſuadere vellet. In hunc modum duo duces authoreſque reſtituendae & firmandae religionis, ab ſuo vterque caſtello, alius alia ope, ille nutu & maieſtate Romani nominis, quia Vexillifer Eccleſiae à Pontifice factus erat, hic humilitate ſubmiſſioneque animi, & qua ſuper caeteras virtutes pollebat facultate ſermonum, ſubactis antea, ſicut memoraui, compluribus, maiore aduerſus paucos conatu nitebantur, vt probi etiam iſti, caſtique fierent. Sed quo pauciores iam, eò potentiores improbi reſtabant, factioque ea quotidiè amplior atque violentior fiebat, inclinantibus ad eam ſubinde nonnullis, quos priſtinae licentiae dulcedo vaecordes agebat, & hi deinde trahebant caeteros. Nolim equidem credere de Archiepiſcopo; ſed traditum ita vulgatumque fuit, factionis eum fuiſſe principem, non vtique ob vitia alia, ſed quia ſemel adamato quaeſtu illo, quem è ſacris rebus ſibi inſtituiſſet, neceſſe haberet ſocietate, ac defenſione partium redimere mutuam diſſimulationem

flagitij

flagitij eius fraudiſque Simoniacae. Aduerſus hanc vrbis & Eccleſiae labem, quae fere vna deformabat etiam ſi quid antea purgatum elutumque foret, capeſcenda pugna erat, Strenueque aggreſſi Duumuiri ſtatim exturbauere Abbatem, quem Archiepiſcopus, pecunia, ſicuti fama fuit accepta, Celſiano Monaſterio impoſuiſſet. Et cùm alius mox, pactione mercedeque pari ſuffectus eſſet in eius locum, qui deiectus fuerat, hunc quoque arreptum, ab ea praefectura remouerunt. Atque animoſius deinde caetera exſequendo, leges Pontificia authoritate tulere duas; vnam, qua matrimonia illa ſacrilega Cleri, alteram, qua mercimonia tetra damnabantur; in eaſque leges, & Archiepiſcopum ipſum, & quoſdam è primoribus Eccleſiae iurare coegerunt. Cuius Sacramenti, ſiue, quia inuiti iurauerant, ſiue ab libidine & leuitate auaritiaque inſita adeò nulla fides fuit, vt mox in authores ipſos legum earum hoſtilia cuncta fierent ab ijſdem, qui iurauerant. Herembaldus ob potentiam & armatos, quos circa ſe habebat, minus opportunus iniuriae furorique huic fuerat. Inermem Arialdum non tamen violare auſi, per filios, clienteſque ſuos, irruptione in Canonicae aedes facta, cùm forte ipſe abeſſet, cuncta ibi diripuere. Clericos duos, quorum ille opera praecipue vtebatur Archiepiſcopus Guido in vincula coniecit. Inde ira mota

Herem-

Herembaldo, hos quidem carcere effracto eximit in libertatem, Archiepiſcopum verò promulgato in ipſum anathemate illigat diris. Concitat ipſe populum atrocitate rei, docetque impoſitam eſſe Ciuitati notam hoc ipſo, quod duo ſeditioſi homines damnare publica ſacra, profanare Metropolitam auſi fuerint. Congrueratque opportunè ad irritandos animos, vt per eos forte dies Arialdus in concione diceret; quae ieiunia ſolenni ſupplicationum triduo ſeruantur, nulla Eccleſiae lege, ſed laudabili inſtituto, piaque conſuetudine tantùm eſſe ſancita. Id Archiepiſcopus ad haereſim trahebat. Ob eam rem ſtrepitu, tumultuque populari ciuitas tota permiſcetur. Penè opprimitur in Templo Maximo Arialdus. Herembaldus aegre propulſat vim, euadunt vterque tamen; & eo quidem motae ſeditionis die, ad S. Sepulchri Aedem, quae tunc Baſilica Rozonis dicebatur, praeſidio magis amicorum, quàm religione loci incolumes manſere: poſtea nuſquam conſiſtere potuerunt. Nam promulgato per Archiepiſcopum anathemate in omnes, quicunque fauerent ei adeſſentue in re vlla, quodque efficacius, & infeſtius fuit, diſtributis, oſtentatiſue pecunijs, digreſſi paulatim vniuerſi, deſolatos, & nudatos vtrumque praeſidio reliquerunt. Promiſerant etiam aliqui pretio accepto Arialdi necem: & ſiue maneret in vrbe, ſiue rura adiret, parati per-

cuſſores in eum fuere. Quòd cum plena omnia inſidiarum cerneret Herembaldus, aſſumpto clam Collega cum equitibus paucis arripit fugam eo conſilio, vt Romam proficiſceretur, vbi certa perfugij ſpes, vbi auxilia in hoſtem; ac ſilentio noctis elapſi Placentiam vſque peruenere. Ibi comprehenſi ab Archiepiſcopi emiſſarijs, deinde dimiſſi, retro Ticinum, inde ad Legnanum agri Mediolanenſis pleni trepidationis, ac fugae per errores, & inuia pleraque delati, non amplius futuri vnà, digrediuntur. Sed tradiderat Herembaldus Arialdum presbytero cuidam, flenſque ſocium proditori futuro commendarat, rapiente ſcilicet Deo ſeruum ſuum ad Martyrij coronam, de qua re narrabo ſicuti perſcripta traditaque eſt. Archiepiſcopi fratris filia erat Oliua nomine ſupra foeminam atrox, immixta temporum eorum turbis, & cupidine ardens per aequa per iniqua patruo gratificandi. Circa Verbanum lacum opes, & praeſidia mulieri, Aronaeque habitabat, illinc ex longinquo iam inde ab ipſis motarum rerum initijs perſecuta Arialdum, dederatque mandata interficiendi eius. Huic foeminae presbyter ille prodidit hoſpitem, qui circumductus aliquandiu quacunque voluerat ipſa, demum in Inſulam patrandae neci deſtinatam aſportatur. Dubitauere aliquandiu quibus mandatum primò fuerat; cumque manus admouere tentaſſent,

ſuſpenderat

ſuſpenderat ſemel iterumque timor ictum.
Id ipſum Oliua ſuſpicata ſubmiſerat alios, de quorum prompto ad ſcelera animo dubitare non poſſet, quin illico exſequerentur. Hi poſteaquam ſuperuenere haeſitantibus, increpita cunctatione ſegnitieque eorum, ſaeuitiam ipſi ſuam depromunt; & ad crudelia facta verborum quoque contumelias addunt; ac primum omnium eludentes interrogauere, cenſeret ne legitimum Archiepiſcopum eſſe Guidonem. Id enimuerò abnuere ille; tantoque atrocior impudentia carnificum circumſcindere, lacerare, ferire, ſternere humi, nullam abſque vulnere ſinere corporis partem, nullum inferre ſine conuitio vulnus, conuitijs ipſis rabiem, impetumque vulnerandi ciere. Adeò mancipia illa dominae nutus, imperiumq; accenderat: adeò muliebrem animum furiae occuparant. Quaſi meditata, & deſcripta in ſingulos ictus probra ſecum attuliſſent, ita laniando membra parteſque ſingulas inſultabant exprobrabantque frueretur nunc, & digna factis praemia haberet. Honor auribus habitus ſit. Cum verenda ipſa detergerent, atque abſcinderent, cauillum addidere hunc; viueret iam caſtè quantum vellet: Nihil obſtare virtuti, quam deſideraſſet in Clero; cuius laudator ad populum fuiſſet. Inter hos cruciatus, & cruciatibus foediora ludibria cùm expiraſſet Arialdus, nulla vnquam edita voce, quae degene-

 rem

rem animum argueret, carnifices ipſos admiratione conſtantiae confuderat, & ſtolida illa pectora verterat ad poenitentiam, quae nonnullis eorum etiam in poſterum ſalutaris fuiſſe fertur. Corpus deinde ipſius, ſiue potius partes, & laniamenta corporis, latebrae magis quàm ſepulturae modo, quà commodum, fuit adduntur, atque defodiuntur. Sic Oliua mandarat. Sed lux, vti ferunt, diuina, ſpledorque inuſitatus prodidit caeſpitem, quo reliquiae tegebantur. Cumque auertendi eius indicij cauſa, aliae ſubinde, & aliae latebrae quaeſitae eſſent, ac ſaepius mutata cadaueri ſedes, caeleſtis illa flamma veluti translata ſimul indiuidua comes ibat. Sane ego ſatis habeam ſi quae probabilia ſint, ea ciuiles animi pro veris accipiant; iſta, quae ad oſtentationem ſcenae gaudentis miraculis, vel conficta, vel in maius aucta videri poſſunt, vtcunque aeſtimata erunt, haud in magno equidem ponam diſcrimine. Poſtquam nulla occultando corpori latis fida cuſtodia reperiebatur, Oliuam tradunt verentem, ne qua ad noue rei famam concitatio populi fieret, deflagraretque patratae necis inuidia patruus Archiepiſcopus vn. ſecum, demergi iuſſiſſe Verbani vndis, qu.. ſumma altitudo lacus conuulſa membra Martyris adnexo ſaxo, cuius pondere ad ima traherentur. Aquilam cum magno clangore circumuolitantem, & inuſitato ſtrepitu alarum

repetentem

repetentem eosdem saepe gyros, suspicionem primò praebuisse, dein concursu pastorum ad eam rem facto, cùm starent illuc obuersi omnes, integra specie corpus Arialdi supernatasse, fluitasse aliquandiu, postremò in litus eiectum absque cicatrice, vel deformitate vlla, manente etiam vigore oculorum, qualem eum agrestes illi peragrantem rura concionibus vidissent. Hunc exitum Arialdus habuit, vir si in alia tempora incidisset, magnum in Ecclesia Mediolanensi nomen, magnamque famam ad posteros sibi facturus. Sed quia infensum habuerat Guidonem, proximosque eius, & totam Arciopiscopi domum, quia insuper non facile alia nostrae vrbis aetas turbidior, incuriosiorue fuit; inde factum credo est, vt & memoriam viri potentia inimicorum penè obrueret, & inter Ecclesiae ritus, ac monumenta, ea ipsa quantulacunque conseruata est memoria debito honore fraudaretur. Ac nisi Andreas quidam Monachus aequalis eorum temporum, quae viderat ipse perscripsisset, fama, quae apud multos anceps & dubia fuit, nulla fere extaret. Caeterum, vbi de Arialdi nece rumor primò varius, fama dein certa manauit, versa in misericordiam ira est, apud eorum animos, qui certamine partium, qui Guidonis instinctu saeuierant. Amici, fautoresque eius, quos vltima illa procella non mutauerat, haud aliter moti sunt, quàm sicuti

parente

parente interfecto proles generosa aliqua concitaretur. Hi saltem recuperare corpus parant duce Herembaldo, qui reparatis interea viribus, authoritateque resumpta, arma rursus, & speciem dignationis pristinae retinebat. Mittitur ab eo Andreas Monachus idem ille qui haec ipsa litteris consignauit, vt de cadauere explorata per se cuncta, & certa referret. Refert iste sublatum fuisse ex eo loco, vti quemadmodum demonstraui, lacu ab imo diuinitus repentè constitisset. Sustulerant autem asportauerantque sacrum pignus ijdem illi carnifices, familiaresque, Oliuae iussu ipsius verentis scilicet, ne crimen, & inuidia facinoris augeretur, si post decimum ab nece mensem (tantum enim temporis exierat) non solum inuiolatum solita tabe cadauer, etiam absque caetera omni iniuria populus adspexisset. Equidem plura scribo de hac re quae etiam credo. Monachus tamen ipse scriptor vitae, Martyrijque huius affirmat, cùm Oliua corpus exanime Arialdi ad obruendam miraculi famam per canes, operasque suas haud minore in contumeliam saeuitia lacerasset, quàm quantis in mortem ictibus antea laniarant, integrum rursus, nitidumq; defluxisse placida illuuie medio amni, dum Herembaldus diuino monitu progressus ad Ticini ripam intentis in flumen oculis, caelestis promissi fidem exspectaret. Venerat armatorum manu subacturus mulie-

rem,

rem, cùm vox humanâ maior audita eſt; deferre vltro Ticini vndas, id quod per arma peteretur. Poſtquam in conſpectu fuit, enatauitque ſua ſponte in ripam, ſuſtulere venerabundi Sacerdotes, atque ſicuti erat in candida toga, fabricato ad id aptè ferculo impoſitum cum pompa, & luminibus in vrbem deportauere effuſa omne multitudine ad ſpectaculum quacunque ducebatur. Et multos veteres morbos tranſiens ille depulerat, vt quique meruerant, ſiue popoſcerant eam opem.

Situs eſt in Aedicula D. Nazarij,
quae ad D. Celſi fuit, nominique, & memoriae eius
honos habitus eſt,
donec
ſatietas humano more, deinde negligentia, demum obliuio
inceſſit.

# FRAGMENTVM HISTORIÆ CATHOLICÆ NOSTRORVM TEMPORVM IN QVO FONS RAPIDVS SIVE FONTERABIA OBSESSA GALLIQVE INDE SVBMOTI

ANNO M DC XXXVIII.

AD D. PHILIPPVM GVZMANVM EXCELLENTISSIMI DIDACI F.

NAVARRA & Guipuſcoa & Catalonia ſunt aſperae terrae: paſſim aſſurgunt in montes, ſiue in vallium abrupta deſcendunt. Id Regno quaſi munimentum. Nec minus munitur inope agro aduerſus tam opima arua poſſidentes Gallos. Neque enim magnopere concupiſcendum ſibi quicquam facilè ibi inuenerint, niſi ſi Regnum id cupiant, & terram habere ipſam velint. Hae cauſae fecerunt, vti ſperneretur fama aduentus irruptioniſque Gallorum, cum per ſex fere menſes increbreſceret vltro diſſipatus hic ab hoſte rumor, cùmque congruentia comminationi ac denuntiationi huic afferrent etiam quotidianae litterae iſtorum, qui fabulas, & acta Vrbium, hoc eſt miſta veris multa falſa perſcribunt ad id mercede conducti. In terra Guipuzcoa praeſertim, quae regio finitima Nauarrae eſt, mira ſecuritate viuebatur, illic ſcilicet, vbi homines prouerbium fere vſurpant, & iactare ita ſolent: nulla ſe requirere praeſidia aduerſus Gallos: ſtare praeſidij loco naturam, ſituſque ipſos contra finitimum hunc imminentem penè ceruicibus hoſtem. Ita remiſſa, ſoluta, neglectaque omnia iacebant. Sine milite naues, quae recens aedificatae habebantur, bombardaeque, & inſtrumenta belli, in proximis itineri ſabuletis velut obiecta praeda hoſti. Numerus armatorum, qui duceretur

ad prouinciam inuadendam, variè augebatur etiam in terrorem: Et erant, qui nuntiarent, ſtare quinquaginta millia in procinctu, porròque ſubinde centuriari & cogi ad ſigna alios, vt nubes & procellae planè copiarum expectari deberent. Condaeum eſſe Principem electum ab Rege Gallo Imperatorem belli huius: hunc tantò intentius, animoque maiore geſturum rem, quò maius ei ſtudium, maiorque neceſſitas oblitterandi recenti hoc merito vetera etiam, tum infauſta, tum infida illa, quae nunquam in Regum animis, vbi ſemel haeſere, oblitterantur. Afferebantur quotidiè haec, atque conſtanti iam etiam rumore iactabantur irridebanturque ſimul: & quò terribiliora erant, eò minor fides. Nec numeros modò famamque exercituum, ſed totam ex vano rem eſſe autumabant ob eas quas dixi cauſas, ſterile nempe cupiditatibus humanis, & militari praeſertim auaritiae ſolum, & difficiles aditus, quibus haec aduerſus Galliam Hiſpana terra munitur. Mox Condaeus ipſe cum exercitu aderat, adeò reſolutis incolarum animis in ſecuritatem, atque contemptum, vt ne cura quidem vlla fuerit muniendi ac firmandi praeſidio arces, cùm ille iam in limine ſtaret inferretque pedem. Crediderant primò incolae Regijque praefecti omnes, poſſe aditu arceri ac prohiberi hoſtem, quod fruſtra euenit. Atque inceſſerat ſanè timor animos, paſ-

ſimque

ſimque trepidabatur. Sed & accendebat ira Gentem, quae iam inde antiquitus fortis & ſtrenua inter paucas habita eſt, quaeue, multa virtutis, multa praeclari animi ediderat facinora, quotieſcunque pro aris & focis, ac pro patria illa dimicandum fuit. Ipſo Cal. Sextil. die prouinciam ingreſſi Galli traiecto flumine abſque difficultate impedimentoue vllo corripuere protinus & inuaſere parua quaedam obſcuri nominis caſtella, & deſertas fere arces, & quicquid ibi obuium opportunumque proſtabat. Hac ſatis felici irruptione facta, quae excurſui, vel itineri, quàm vlli militari operi ſimilior fuit, pergunt inde ad Fontem rapidum ire obſidendum. Id ita meditatum, deſtinatumque habebant: & iere, cùm ipſo rerum curſu, tum natura & opportunitate Arcis freti, propterea quod, neque foſſam in ambitu habebat, neque caetera ex arte: procideratque pars vna muri, quae mediocriter quidem inſtaurata, & refecta erat, ſed hiatus adhuc & ruinae cernebantur. Aſſurgit praeterea tumulus, ſtatque contra arcem, vnde quati, ac verberari ea facillime poteſt. His freti, obſidium pariter oppugnationemque incipere ſtatuerunt: atque ad III Nonas Sextileis, profecti illuc, poſtero die tormenta in colle diſponebant. Didacus Iſaſius Regiorum praefectorum vnus in ea terra erat. Is nocte eadem, quae diem ipſum coeptae obſi-

dionis antecessit, subsidij nonnihil intromiserat, & cogitabat subsidia intromittere maiora deinceps, quod difficile erat. Iam enim & circumsedebatur vndique Fonterabia & oppugnabatur. Tunc enimuero erectae curae solicitudinesque omnium. & auxilia vndique, quanta maxima fieri posset celeritate accersebantur, Cantabri, Galloeci, Alabanses: caeteraque ad resistendum omnia summa ope apparabantur, stimulante animos etiam verecundia negligentiae prioris, qua penè recepti vltro Galli ità in Prouinciam admissique essent. Perlato in Regiam nuntio Gallicae irruptionis, statim hae copiae in itinere erant. Simul ibant etiam ex Regia ipsa, atque ex regijs Aulae ministerijs viri militares ad octingentos, emeritae militiae laboribus, praemijsque clari, & imperitando, siue imperatoribus alijs parendo facti iam penè senes, & apti tamen adhuc ad bella exercitusque regendos: Castellae Almirarchus, & Marchio Velez ad summam rem in tali discrimine regendam ire atque adesse iussi proficiscebantur ad nouum hoc bellum, & aduersus minitantes Hispaniae toti Gallos. Res maritima simul adornabatur: & quinquaginta rostratas sperabant nostri sese habituros, atque deducturos antequam hyems aduentaret. Nam & classem ingentem hostes expectabant, vt simul, terra, simul mari gererent rem. Interimque consilium Hispanis erat diminuere

minuere nihil ex ea copia, quae in Brasiliam, in Flandriam, in Italiam, alioue mittenda esset. Adnotabatur, in principio motus huius, terrestres maritimasq; copias etiam solito largius quoquò versum ex Hispania destinatas fuisse: & Gallorum animos, ea res, vel pupugisse potuit, tamquam manifesto contemptu irruptionis armorumque suorum, vel confirmasse, tamquam negligentia haec sibi adderet vires. Habuere Hispani in id bellum principio duodecim haud amplius naues, tredecim millia peditum, equites quingentos: Galli peditum vigintiduo millia, mille equites, naues aliquot, primo statim ingressu adduxerant, exspectabantque maiores ab domo copias, & classem ex composito validiorem. Disposita autem consilia habuere in hunc modum. Volebant, capta, sicuti spes fuerant, intra octiduum Fontera bia protinus ad S. Sebastiani arcem ire oppugnandam. Ea quoque, intra spatium idem, sicuti augurabantur, redacta in potestatem, extenderant spes animosque ad Pompeiopolim, quae statim vbi sui iuris foret, nihil deinde morae futurum, quominus victricia ad Nauarram signa promouerent. Habentibus deinde tenentibusque Nauarram, promptum item expeditumque illud, vti Castellae toti dominarentur. Haec destinata Gallorum, spesque conceptae, non modò solita exercituum iactantia & rumore vulgabantur, sed etiam ab

ipsis

ipſis Chriſtianiſſimae Aulae arcanis manabant, prout ſcilicet inter conſilia & meditamenta Regum nihil occulti mutua inter ipſos neceſſitas & cura relinquit. In circulis autem & ſermonibus volentium hominum etiam futura addiuinare, proculdubiò ſpernebatur hic imaginariae victoriae tenor haud aliter quàm laetiſſimi ſomnij vana ſpecies. Intraſſe forte fortuna Gallos eam terram: patentes reperiſſe portas: intraſſe cuſtodibus veluti ſopitis ac prohibente nullo. Mox, conſurrecturos vndique omnes ad prohibendam excludendamque Gentem ſemper inimicam, nunc etiam dominari volentem. Ipſos quin etiam, faſtidio ſuccedente, vltro relicturos incepta, abituroſque retro domum, vbi ſenſerint inutile cum ſaxis rupibuſque bellum, ſeque ad nihil aliud quàm ad expugnanda teſqua veniſſe. Sed & admirabilia per eos dies verè multa euenerant, victoriaeque Catholico Regi partae multiplices, tanto atque tam praeſenti Numinis fauore, vt Imperio huic adeſſe Numen, fateri cogerentur etiam praui inſanique quibus infra celum & ſydera infeliciter atque impiè animus haeret. Afflicta & penè fracta notabili praelio res Hollandica per Cardinalem Infantem. Detracti ab S. Homeri obſidione Galli per Principem Thomam. In Italia Marchio de Leganes Mediolani Gubernator eiecerat à Bremo hoſtes eoſdem: ſtrauerat

humi

humi Gallici exercitus Imperatorem Cryç-
quium, & emendato Parmenſe, reconciliatis
alijs punitiſque rebellibus, etiam capta Ver-
cellarum Vrbe, ſanxerat ingens illuſtre exem-
plum, ne qui Principum Italicorum deſciſcere
poſtea auderent, & ferre arma in Catholicum
Regem. Naſſaus apud Braſiliam ſpe deuora-
ta occupandi Regni eius, atque coronandi ita
rebelles Hollandos, amiſſis impedimentis exer-
cituque penè toto, aufugerat nocturnus, ac
petierat ita aegre ſalutem. Et volentes in
Belgium irrumpere Gallos Dux Lotharingiae
Catholicis armis caſtigauerat item magna cla-
de, reliquiaſque agminis infauſti, ſuper damna
cladem que praeſentem confuderat etiam deſ-
peratione in poſterum. Haec igitur vno fere
tempore nuntiata omnia, veluti Catholici No-
minis hoſtes vndique profligante Numine, ceu
praeſagium de Gallicae huius nouae expedi-
tionis fortuna exituque haud obſcurum dabant
caeteris omnibus. Ipſi tantummodo, & proſ-
pera omnia augurabantur, & verò etiam proſ-
perrimè cadebat res huic exercitui Imperato-
rique eius. Iam primum omnium, obſepſe-
rant intercluſerantque Catholicis auxilijs à
mari aditum, ne qua venire ac duci inde ad
Fonterabiam poſſent. Cumque principio pau-
ca admodum in id nauigia armata ac deducta
habuiſſent, ita minore nauium noſtrarum
numero perfringi ſuperarique clauſtra illa ex-

peditum foret, in ipso penè tentandae rei articulo ac momento, superuenere duae validissimae Gallicae classes, vna, quae rediens ab oriente commodum aderat appuleratque illuc: altera, quam Burdegalensis Archiepiscopus coegerat in Britannia, auxeratque Hollandorum etiam nauibus opportunè adiectis, vt specie ipsa & numero, terrorem secum minasque portarent. Ita Tirolensis & Tirconelus, & ex Galloecia naues, & auxilia, quae isti adduxerant, spesque ab ea parte conceptae cecidere omnia ad irritum, & absque exitu fuere: resque Gallica ad eam diem non superior modò videri poterat, sed victoriam ipsam penè manibus tenebant. Nuntij de tali statu rerum, cùm in Regiam subinde afferrentur, cumque strepitus armorum illuc quodammodo resonaret, turbata magnopere commotaq; Aula erat, indignatione quidem & verecundia, quòd penetrare sic auderet in ipsa penè viscera Gallus; sed & metu apud quosdam de summa rerum ab ea parte, si Fonterabiam illam tanti momenti arcem hostes illi obtinerent, Regem ipsum, ob eam rem in solicitudine ac moerore fuisse ferunt. Itaque, praeter nouem millia peditum, equites trecentos, quae copiae proficiscentibus Almirarcho & Marchioni Velez attributae fuerant, iussit Rex exercitum ad Burgos apparari maiorem, atque suffecturum, si quid tristius Almirarcho

copijsque

copijſque eius fortè accidiſſet. Ad XII. Cal. Septembris in caſtra venerat Almirarchus cum Marchione Collega ſuo. Eo die Galli Renteriam & Letium quae iam habebant occupata loca reliquerunt. Poſtero die, quod mirum videri poſſet, etiam aditum à mari ipſum & clauſtra deſeruere. Vis tota belli ad Fontarabiam auerſa eſt. Illuc, & curarum, & virium vniuerſa moles incubuerat: neque ab Gallis in vlla obſidendarum vrbium arte ingenioue ceſſabatur. Cuniculo multifariam acto patefecerant varijs locis ruina iter, diſiecerantque muri aliquantum, & ſimul in ſublime proiecerant fabricas operum, quibus vita indiget. Incendiarias quoque naues adornauere, quae noſtris immiſſae nauibus, vento adiuuante (& erat ſaeuiſſimus turbo per aliquot dies) inuoluerunt omnia flammis, & nautica miniſteria nauesque ipſas foeda ſtrage diſſipauerunt. Id noſtri ad Gallicae claſſis dedecus inuidiamque trahebant. Egregiam laudem, fortes Nauarchos, ſtrenuum Imperatorem, quibus centum fere roſtratae inualidae fuerint aduerſus duodecim lignorum fere claſſiculam, niſi praeſidium ab fraude, & furto, violentiaque elementi peteretur. Sed quis inter bella, momenta requirit haec aut ſeruat? Ad Fonterabiam interim res erat iam in vltimum adducta diſcrimen: & nondum quidem ventum erat ad deſperata illa egeſtatis & patientiae

humanae exempla, coria sutrinae, pellesque mollitas, & foeda animalia versa in cibum: sed haud multum ab ea miseria & necessitate obsessi aberant. In extremo iam languore & fatigatione virorum, foeminae etiam pugnabant, quarum vna comperta notataque est eripiens viro lanceam, vt deficienti subueniret. Emissa furtim epistola significauerant Almirarcho, non posse rem vltra sustineri, ac nisi subsidij quamprimum aliquid intromitteretur, augereturque praesidium idoneo armatorum numero, sese propediem impares fore necessitatibus humanis & conatibus hostium, qui, non die, non nocte interualla vlla quietis relinquebant. Vt paucos ad resistendum, ita nimis multos ad consumenda alimenta esse iam ibi intus. Statuerunt, his ita cognitis, Almirarchus & Marchio non vltra differre quominus experirentur, si, vel submouere obsidione hostem, vel ferre subsidium obsessis possent. Super ea re sententiae variae dicebantur ab ducibus praefectisque alijs: & erant, qui plus damni docerent in conatu irrito pugnaque aduersa, si res ita caderet, quàm vtilitatis in arce firmata ad breue tempus subsidioque intromisso. Esse, & numero superiores hostes, & conditione locorum, quae insessa tenerent. Si quid sinistri in pugna conatuque illo euenisset, quàm deinde in re subita reliquam spem aut sibi mansuram aut obsessis? Ipsos, pauci-

tate

tate imminuta illa manſuros infirmiores : creſcere Gallis audaciam, creſcere deſperationem obſeſſorum, ſi conſpexiſſent ibi cladem, vnde opem auxiliumque ſperauiſſent : nec deinde dubium, quin dederent ſeque & arcem. Satius, expectari paulisper ſolita taedia Gentis adſpernaturae mox ſaxa rupeſque illas, & abſceſſurae facilitate eadem, qua veniſſent, illucque ſubiſſent. Minimis momentis verti res ſaepe maximas : id expectare beneficium, prudentiae eſſe maioris, quàm dare illico cuncta in diſcrimen. Aliaque porrò his ſimilia, ſpecie prudentum ignaui diffidenteſque ſuadebant. Quae adſpernati omnia Almirarchus & Marchio pridie Cal. Septembris cum exercitu ſubiere ad montes, atque ſubductis illuc etiam in cacumina bombardis volebant obſeſſorum illorum cauſa Hiſpano, Gallicoque cruore nobilitare ſaltus antea obſcuros. Obſtitit procella atrox, tanto repente deiecta impetu per totum eum diem, vt omnia obtinentibus aquis, homines & iumenta penè praefocarentur, intercludente ſpiritum etiam vento, qui mixtus imbre tranſuerſa corpora huc illucque rapiebat : ac diffugiente paſſim milite, duces ipſi ſuffugia nequicquam & tegmina aliqua in monte illo aſpero pariter & nudo quaeſitum ibant, inter celi quaſi ruentis minas pugnae iam immemores, & humana imbecillitate ſibi quiſque ſolicitus & clemens. Galli ab tentorijs ſtatio-

nibuſque

nibuſque ſuis, quae ipſae violentia illa conuellebantur, conſpecto initio pariter & fine motus illius conſilijſque noſtrorum, non modo laetati erant commoditate ſua incommodoque noſtro, & intercepta ſiue impedita fine armis ope, quae ferebatur obſeſſae arci: ſed etiam erexerant velut laeto in poſterum augurio animos, ac dimicaſſe pro ſe celum, inter ſe gratulantes ferebant. Tentauerat Condaeus, ſi fortè poſſet Praefectum elicere ad tradendam arcem, praeſidiumque deducendum, miſſo ad eum praecone cum litteris, quae ſcriptae in hanc ſententiam fuere. Poſſe ipſum videre, quemadmodum ſit res iam in vltimum adducta diſcrimen, neque iam ſpes vlla ſuperſit retinendae arcis. Satis approbaſſe Regi ſuo fidem: nunc etiam ſaluti conſuleret, donaretue ſiue venderet id quod amiſſum atque deſperatum foret. Si intempeſtiua & inutili conſtantia ſperneret oblatam ſalutem, mox abſque diſcrimine incluſos caeſum iri ad vnum omnes, ipſiuſque caput ab reliquo corpore diuiſum oſtentui fore. Ne porrò admiraretur tantam in hoſte benignitatem, qui mallet ſeruare quos occidere poſſet. Nam ſe quoque eſſe Catholicum, & Catholico plane ſenſu moueri erga ſuae religionis homines, & conſortes ſpei ſecum eiuſdem. Caeteris, qui in exercitu ſuo eſſent, & qui ad irrumpendum iam accingerentur, vt non eandem religionem, ita, ne

clementiam

clementiam quidem futuram esse in captos. Scripserat talia Condaeus ad praesidij Praefectum hunc eo die, quo subsidium obsessis ferre conati nostri, ob subitos imbres, vti memoratum est, frustra id inceptum habuere. Praefectus responsum ad ea dedit Principi inter aulicam vrbanitatem & militare robur egregio temperamento. Facere ipsum, quod Regio sanguini, quod caritati Catholici conueniret, vt seruare, quàm trucidare mallet. Caeterùm, neque sibi, neque suis tali nunc beneficio opus esse. Habere intus omnia, quae ad resistendum pertinerent: & eo animo esse vniuersos, seque in primis, vt nonnisi mortui venturi essent in eius potestatem: hanc vnam sequi ipsos & optare salutem, vt occidendo Gallos ipsi quoque si foret ita necesse occiderentur. Cum res in hoc statu esset, ac mitescente iam celo, redditaque serenitate, vellet Almirarchus experiri iterum, atque in id apparata & disposita omnia haberet, fortè congruit, vt litterae Regis in castra perferentur huiusmodi scriptum habentes. Si Fonterabia amitteretur, noxam eius rei fore penes duces: nullum excusationi locum: data & emissa, quae mitti, quaeue dari debuerint. Haec scripta fuere Regis manu sicuti ferunt: poteratque intelligi id etiam, quod regij silentij altitudine tegebatur. Inuisum fore Maiestati quisquis in eo negotio deliquisset, ipsùm prolemque eius.

Has

Has regiae litterae minas in castra attulerunt. Inerat etiam comminationi mandatum, in speciem terribile atque atrox, re ipsa consentaneum, & magnanimitati Regis, & indignitati rerum. Si belli fortuna contra daret, ac praeualerent hostes, arcemque tenerent: tunc enimuero irrumperent victi in victores: per aequa, per iniqua ruerent in tela & caedem: Scanderent muros, & in ipso recuperandae arcis conatu, exercitus ille totus, si foret ita necesse, ad internecionem vsque pugnaret. Credidere homines hoc tempore gnari consiliorum animique Regis, in eo rerum discrimine, nulla magis re conturbatam, atque stomachatam fuisse Maiestatem, quam quia comperisset: in consilium iri super eo capite, an confligendum cum hoste esset: an repraesentanda pugna, & faciendum virorum armorumque discrimen: quasi verò controuersum id ancepsque caput, & non simplex ac sua sponte definitum id, decisumque foret. Irrupisse temerè Gallos: esse, & numero, & virtute multum infra famam; ne stationes quidem, & situs, & munimenta locorum inexpugnabilia habere: & supersederi adhuc tanquam metu, siue indulgentia in hostem hunc? Exacerbauerant ista Regem accenderantque. Sed & misericordia inclusorum ferentium ibi omnia, quae patientiam vincerent, tantoque magis indignorum ea calamitate, mouerat Regi

animum.

animum. Et super omnia, motus ille erat pio quodam suo & grato instinctu erga tot beneficia Numinis vno tempore collata in Imperium domumque suam. Impium enim ingratumque rebatur, si non & pares exitus in pari nunc causa exspectaret. Accepto regiae comminationis regijque mandati chirographo, Almirarchus & Marchio Velez, quibus par potestas, arbitriumque rerum in exercitu erat, inter se colloquuntur, conferuntque capita. Aduocant deinde concilium. Neque verbis opus fuit. Dicta tantummodo haec. Non de pugna, sed de pugnae die, horaque & momento esse consultandum. In id promerent, quae sapientia & militari quisque astu prouisa haberet. Aderat dies Deiparae Virgini natalis, quem diem humano Generi salutiferum gentes eae festa hilaritate praecipuaque religione semper exspectant coluntque: sacrata etiam ad Guadalupen Aede, & imagine Diuae iam inde antiquitus inclyta miraculis: pugnaque ad Norlinghen illa ab Cardinale Infante pugnata notabili euentu, famam habuit hanc, quasi ab Guadalupensi hoc celesti in res Hispanas fauore prouenisset. Eum diem elegerant submouendis à Fonterabia Gallis, operique patrando, quo nullum fortasse vnquam maiore admiratione auditum spectatumue fuit, ex quo spectacula cruenta haec exhibere coeperunt discordiae mortalium, & cupiditates,

& cupiditatum pessima libido imperitandi, inuadendique aliena pessimus mos. Gerendae rei omen, & regia mandata protinus exsequendi laetissimum augurium accepere, quòd ex foedo imbribus ac ventis celo, quae per aliquot dies iniuria dissipauerat nostros praecipuè milites, sustuleratque castrorum ordinem, effulserat purissima repentè lux: ceciderant venti: recreatae, & in vnum ad signa ex varijs effugijs collectae legiones: atque sedato illo hominum syderumque tumultu tranquillata ad rem peragendam omnia diuinitus erant. Itaque, primùm omnium expiato Sacrificijs & mysterijs exercitu, diuinam cum lacrymis & gaudio suppliciter opem exposcunt, duces militesque simul, faciuntque singuli vota in id, vti effundendi sui alacriter sanguinis, & mortis oppetendae praemium victoria contingat haec Regi Catholico aduersus Religionis & Imperij turbatores, aduersus Gentem inquietam ipsam, & alios inquietare volentem. Precantur ab Virgine Deipara in primis, vt propitia coeptis adesse velit ad eijciendos ex deuota sibi terra homines, qui ad tollendum inde cultum Nomenque ipsius irruperint, vel certè quibus haud perinde fortasse impijs, monstra certè Caluiniana haec immixta adsint, & ferant vnà cum illis arma. Partiuntur deinde munera & vices, describuntque incessus & itinera bello in hunc modum.

dum. Torrecuſa duceret ſecum pedites bis mille trecentos, primique agminis ductor iſte ſuccederet propius ad ſtationes & caſtra Gallorum ab ea parte, quà maxime promptum opportunumque cenſuiſſet. Copiae caeterae deinceps eum ſecuturae erant. Marchioni Mortariae, qui cum legione Comitis Ducis, alioque Hiſpano & Irlando peditatu, iuga ad Iachiuellum (id loco nomen) tenebat, negotium datum, vt per decliuia montium deſcenderet iretque ad munimenta & caſtella, quae ſibi hoſtes ab ea parte, & latere feciſſent. Duo millia & ſexcenti pedites attributa huic fuere. Gironus cum legione ſua, itemque cum legione Sebaſtiani Graneri iuſſus occupare, atque inſidere loca ſituſque opportunos ad Irum; vnde ſcilicet hoſti conſpiceretur, terrorique eſſet ac fraenaret conſpectus ita Gallos, tum, ne per eos anfractus ire plures ad circumuallandam arcem, eo ſcilicet deſuper incurſaturo auderent: tum ne cogitarent, aut ſtationes interim inuadere relictas à noſtris, aut obſtare, quominus alias caperent occuparentque noſtri. Dubitatum primò pauliſper fuerat: noctu an interdiu aggrederentur rem: atque in hanc illamue ſententiam dicta prudenter à militaribus viris nonnulla erant. Honeſtiſſimo aduerſus hoſtes furto, & commoditate tenebrarum poſſe patrari deſtinata tegique, vt coepta ſimul & peracta ſentirentur. Ibi plurimum eſſe prae-

ſidij, ne ſentiret hoſtis motum impetumue noſtrorum, antequam impetu deprehenſus atque circumuentus eodem foret. Haec dicta pro tenebris, & pro ſecuritate quam afferre poſſet nox. Rurſus alij, confuſionem, & incerta omnia, ictuſque etiam ancipites, & tumultus varios, qui obſcuro noctis exiſtere poſſent, ad ſequendam eligendamque in clariſſimo hoc opere lucem, proponebant. Accepta ſententia eſt haec amica diurnae lucis, ac ſtatuerunt inuadere caſtra Gallorum, conſpecti pariter, & ipſi cuncta conſpicientes.

Dixerat & aliquis eiuſmodi ſententiam. Non vno totum exercitum agmine debere dari in id diſcrimen, neque ſub vnum fortunae ictum cuncta debere committi. Tutius generoſiuſque viſum ire omnes. His ità diſpoſitis, Torrecuſa, capto per montes ambitu quaerendo molliores atque clementiores per confragoſa & arrecta illa aſcenſus euaſerat in cacumina, vt libero quacunque viſum foret excurſu daret impetum, prout, hic aut illic ſpes melior & momenta occaſionum laceſſerent, ſiue inuitarent. Almirarchus & Marchio Velez capita rerum, cum robore exercitus (ea erant armatorum millia quinque & quingenti) per cliuos rupeſue eaſdem cepere dexterum iter, vt venientem ab laeua Torrecuſam iungerent ſibi, viciſſimque cum eo iungerentur, atque ſtationibus hoſtium tota mole ſuperfuſi miſcerent

rent ingenti animo suis ipsi corporibus pugnam, neque ad rem gerendam tantummodo consilijs imperij(ue adessent. Hi, praeter eas quas dixi copias, praefectosque earum, ducebant secum inclytos militari prudentia viros, veteresque bellatores, ad subita & ancipitia praesto scilicet futuros: Guascum nempe, & Issassium, & Granerum atque Tuttauillam, & alios, prout quisque in tanto summae rei discrimine momenti aliquid facere posse videretur. Antonium Gandulphum cum legione Francisci Messiae praemiserant ad occulta & imperuia saltuum reconoscenda, simul ad insidias quoque retegendas, si qua per nemora eiusmodi fraus lateret. Condaeus elegerat sibi stationem in rupe scopuloue vno, quà Guadalupensis Anachoretae tugurium fuit. Ibi, simul natura & munimento loci, simul copiarum numero fretus (habebat namque sub signis decem & octo millia peditum, equites inter derupta illa sanè paucos) in tantam iam ipse quoque securitatem euectus erat, vt exercitu conspecto nostro, crediderit, ad nihil aliud venisse & adesse Catholicos, quàm vt fiduciam obsessis in re desperata, nonnullam, & spem subsidij propinquantis, ostentarent. Habebat in exercitu, praeter Archiepiscopum illum Burdegalensem Episcoposque treis alios, rem maritimam vnà cum eo Metropolitano Pontifice regentem etiam magna nomina pro-

pinquorum amicorumue Regis, Valetam, & Agramontium, & Fortiam, & Pedraeum, adiunctos ab Rege Principi scilicet, tamquam in spem Hispaniae debellandae, siue emercatos eblanditosue ipsos vti adiungerentur, atq; mitterentur in aliquam huius nouae fortunae partem. Hi posteaquam, adesse certamen. & deceptum vana opinione Principem senserunt, struxere aciem protinus aduersam, & praelio commisso, vehementer incubuere nostris, planeque & multitudine superiores, & pudore etiam ac desperatione accensi, ne pro nouo Imperio cladem, internecionem, ignominiamque referrent domum, in singula momenta v maiore praelium ciebant: & stabat iam victoria penes ipsos. Mox, Almirarchus & Marchio cum quinque millibus vt dixi quingentis adfuere, fortunamque praelij mutarunt: & omnia statim aduersa Gallis. Nam, praeterquamquod, ingruerat hoc subitò robur, & fatigata statim suo more ferocitate hostium horum, integras nostri vires attulerant, etiam incesserant steterantque ab ea parte, vt prouisa illis receptacula in rebus trepidis, effugiaque intercluderentur. Inde caedes & confusio maior, terrorque vltimus, vbi nouam aciem, nouosque duces è superioribus adhuc locis adesse & gradum inferre animaduerterunt. Quippe, Rhaudensis & Marchio Mortariae cum agmine suo aderant mouebantque signa

in

in partem eandem. Neque terroris vltimum id fuit. Sed penitus auersi à certamine sunt animi Gallorum, ideo quia acies etiam alia cernebatur Aulae principum, qui cum lancea voluntarij venerant ad bellum, in cuius euentu, aut dedecus, aut gloria sempiterna ageretur, prout, prospera, siue secus Gallis fortuna euenisset: hoc est, siue fixissent isti in Hispania pedem: siue pulsi atque eiecti, documenta in patriam aeterna retulissent, ne furores vnquam in posterum eiusmodi admitterentur. Principi Condaeo, postquam nulla seruandi exercitus via ostendebatur, pretium fuit petere sibi quacunque posset via salutem. Digressus ab statione sua clanculum descendit propere ad litus stetitque paulisper ibi fugam trepidè circumspectans vnà cum Archiepiscopo Burdegalense, qui pauoris aduersarumque rerum ei socius erat. Aufugerunt vterque nauicula eadem Locoam versus, nec ante quieuisse dicuntur, aut respirasse, quàm delati fuerint in eum portum. Principum ea fuga, sicuti par erat, exercitum quoque coniecit illico in pedes. Per saxa, per cautes ad instar ruinae praecipitabantur execrantes seque Regemque suum, & terram hanc ad quam capiendam possidendamque venissent, & suam pariter illam ex qua educti forent ad miserias luctusq; tantos. Qui stare contra, & principibus indecore dilapsis, manere ipsi tamen, & pugnam

instaurare

inſtaurare voluerunt, hos, aut infenſius trucidauere noſtri, aut ipſos quoque demum fugere tentantes vndae hauſerunt. Capti, quoſcunque habitus facieſue liberalior in eo ſtrepitu ac tumultu commendauerat, vt capi, quàm trucidari potius deberent. Et fuere qui petierint ab Hiſpanis vltro hoc vti caperentur, haberenturque in vinculis. Reliquiae exercitus huius ex varia trepidatione collectae, ad Mendelum & Irum in ſtatiua ſua confugerunt. Inde ſine duce, ſine ſignis, conſenſu militari, nocte eadem, per Beobiae fauces, quà venerant, intrauerantque Hiſpaniam, in Galliam rediere. Bombardas in ſtatiuis reliquere tres & viginti cum vexillis ad quinquaginta, & impedimentorum omne genus. Satiſque conſtat, pleroſque militum noſtrorum praeda fuiſſe ditatos, reperto ſcilicet argento & pretioſa ſupellectili, quae Condaei Principis fuiſſet. Aera militaria, zonaeque plenae nummorum paſſim in ſarcinis repertae ſunt, prout in fuga vel caede ſemper iſta negliguntur amittendi metu id quod carius pretioſiuſque eſt. Quaeſtores profectò diſpenſatoreſue ipſi, aurum, quod exercitui diuidendum acceperant paratumque habebant, in tentorijs reliquere. Tanta trepidatio ſiue conſternatio omnium fuit. Potuere deleri ad vnum, niſi per coenoſas quaſdam traiecto amni voragines aufugerent, etiam tegente equitatu latera & tergum; neque

insequendi copia nostris fuit: an verò satis habuere, profligauisse Gallos, recepisse Fonterabiam, & tanti nominis tantique momenti arcem obsidione liberasse, sicuti liberata planèque receptaque est. Almirarchus & Marchio, per quos res gesta erat, nocte eadem Nonis Septembris ingressi locum, stetere flexis genibus in Templo, dum solenne victoriale carmen non sine musica etiam symphonia caneretur. Laudauere deinde verbis amplissimis Regis nomine incolas praesidiumque illud, & gratias egêre, quod strenuè ita fideliterque perseuerassent: affirmauere, cordi futurum Maiestati ipsi vt ea res praemio & honori singulis vniuersisque foret. Dicta haec in commune omnibus. Dominico Eghio Cantabro praecipua gratia & commendatio fuit. Arcis & praesidij praefectus iste manebat quidem post magna virtutis & fidei edita exempla superstes: caeterum virtute eadem fideque aequauerat animos omnium, qui in praesidij alicuius defensione occisi ac defuncti olim, inter annalium adhuc monumenta viuunt, semperque memorantur. Ob haec, & alia virtutis egregia facinora laudatus vnicè praefectus: praemiaque ab Rege destinata ipsi posterisque eius. Captiuorum hostium numerus ad duo millia relatus est. Inter eos, multi ductores ordinum, multique voluntarij nobiles fuere. Multitudo mortuorum incerta, quia plerosque inter fugiendi & ena-

tandi conatum aquae abſumpſerunt : & lethi genus hoc ab deſperatione ſiue moerore complures optauere. Deſiderati è noſtris haud amplius centum : vulnerati totidem : captus nemo. De captiua praeda hoſtium illud quoque comperi : quicquid domi charum atque pretioſum Galli habuiſſent in his caſtris ferme repertum eſſe : cauſaque ſpoliorum ita veluti opimorum ex eo, quod venerant certiſſima ſpe ad figendos in nouo Regno pedes, ſedemque & domicilium ibi pro ſe quiſque collocandum. Ideo, tamquam non redituri vltra domum, patriamque nouam habituri hanc, attulerant ſecum pro habitu ſuae quiſque fortunae omnia lautiſſimae ſupellectilis inſtrumenta paratuſque principales. Quinquaginta Principes vtique venerant in eam expeditionem, quorum neminem vnum in Galliam rediјſſe comperimus, indeque ita perſcribunt. De Archiepiſcopo Burdegalenſe, quem vnà cum Principe Condaeo aufugiſſe retuli, varia fama eſt. Aiunt ſuiſſe ſanè in caſtris eo die, quo irrupere noſtri: ſed in fuga, quam potiſſimum ille viam inſtiterit, ambigitur. Non enim deſcendiſſe ad litus: potiuſque exiſtimari in S. Elmi Caſtellum ſeſe abdidiſſe, cui poſtero die ſubdidere Galli reſidui flammas, indeq; abierunt occoecata tormenta relinquentes. Nos in tradenda Archiepiſcopi fuga ſequuti ſummus exemplum epiſtolae, quam ad Re-

gem

gem Almirarchus ipse perscripsit. In ea epistola nihil item reperi, neque de octo millibus aureorum nummûm, qui singuli duplicati binos pendunt, neque de ipsius Archiepiscopi veste, quam cum ea pecuniae summa in tentorio repertam litterae aliae vulgauerunt. Et pleraque alia demum in incerto. Non de captiuis, non de mortuis, non de armorum vexillorumque numero conuenit: & pleraque horum, post aliquot ab victoria dies in syluis, atque nemoribus abdita & occultata quotidie reperiebantur. In victoria hac, & in magno isto Catholicorum armorum die, sicuti Galli ipsi credidere, ac dixere fuisse summum virtutis opus aufugere potuisse: ita nostris vitio datum est, quod reliquerint fugae locum, atque non deleuerint ad Fonterabiam eo die vniuersos. Id dictu, quam factu, sicuti pleraque facilius fuit, nec tamen obscurum vtique illud. Totam ex diuino rem, cunctaque diuinitus illic potius gesta, quam consilijs humanis & ope mortalium. Referam verba Regis ipsius, quibus plane verbis Maiestas illa Comitem Ducem affata est ipsomet die, quo parta victoria est. Nam fuere qui audierint, notarintque & nobis quoque significarint. Ad Nonas igitur illas Septembris, hora diei fere secunda, cùm Regia tota trepidaret atque haereret expectatione suspensa tantae rei, fermeque omnes ad deteriora credenda inclinarent, & per aliquot

iam dies, neque nuntij, neque litterae vllae venirent è castris, accersito in conspectum suum Comite Duce, dixit ei serena vltra solitum etiam fronte Rex. Comes Dux carissime & optime amicorum! Hodie ad Deiparae Virginis honorem purgato ritè animo celesti pane refectus sum: atque, quod ad Fonterabiam attinet, tranquillitas tanta mihi est, quantam verbis explicare non possum. Arcem negotiumque illud in diuinae Maiestatis sinu penitus relinquo. Cùmque in hunc diem nunquam precari destiterim ab eadem Maiestate & Numine aeternae mentis, vt submouere inde hostem, & Imperio huic munimenta seruare illa ac retinere dignaretur: nunc desisto precari id ipsum: & tantummodo precor, vt animi mei obsequium atque sacrificium hoc, quo arcem eam, meque, & cuncta haec trado in supremae illius prouidentiae nutum, clementer ac benigne respexisse atque admisisse velit. Tanti Regis verba haec in colloquio arcano ita sicut retuli pronuntiata; deinde vulgata inter proceres Aulae sicuti assolet, mox in publicum etiam elata, postquam victoria nuntiata est, victoriae praesagium ipsius haud dubiè habita sunt. Sed & mandata, quae ad exercitum subinde mittebantur, diuini quiddam habere visa hoc ipso, quòd ibi in castris administrabantur res planè ad eandem formam, sicuti administrari praecipiebat Rex; & ante-

 quam

quam regiae litterae afferrentur, iam acta erant ea, quae agi ex litteris fierique oporteret. Nuntiata victoria litterisque allatis, triumphatum Madriti est studijs & alacritate Populi, & gratulatione siue plausu gentium, quae ex vniuerso semper Orbe conueniunt illuc, frequentantque Aulam. Ac fuere sane publici apparatus, & omnia illa quibus laetitia significatur, supra solitam omnem in re simili, non Regnorum modò aliorum, sed Imperij quoque huius pompam, vltra solita ingenia, & effusas per ingeniorum commenta opes: sed multò effusius apud indigenas triumphabatur interiore gaudio supra solitos istos humani animi motus, cum victoria ipsa Regis, tum eiectione Gallorum laetabantur. Ac si diuidi compararique ista inter se possent, praeualebat hoc, quòd fusi essent fugatique Galli. Haec tanta populi gaudia Regem ipsum in publicum euocauere: ibique inter vulgi voluptates nox acta Maiestati est, qua nocte nulla diurna lux illustrior esse potuit.

EFFIGIES

# PRIVATI CHRISTIANI

QVAM

VIRGILIVS MALVETIVS

EX

COMITE DVCE EXPRESSAM

PHILIPPO IV. REGI CATHOLICO

DICAT

REDDITQVE MAGNITVDINI

AC

MAIESTATI EIVS.

EMINENTISSIMO CARDINALI
# D. AEGIDIO ALBORNOTIO
CATHOLICORVM EXERCITVVM
APVD INSVBRES IMP.
GVBERNATORI MEDIOLANI.
I. R.

PRiuati Christiani effigiem ex Comitis Ducis actionibus, atque consilijs à Virgilio Maluetio politissima arte expressam, his quoque exprimi, & circumferri litteris, quae terras omnes nusquam peregrinae adeunt, intererat omnium, qui regnant, quive etiam regnantur. Sed eorum praecipuè intererat, quos virtus, aut fortuna sua euexit in eius fastigij praecipitium, vel certè praecipitij discrimen, vt continui, atque intimi regnantibus sint. Nam, sicuti Christiana Politica mens, vnde haec ducta imago est, consilijs institutisque suis, Maximo Imperio, Ma-

ximeque

ximoque Regi ſecuritatem praeſtat, & ſecurè interim ipſa tranquillêque agit: ita poterit etiam in quamlibet aulam Regiamve delata imago eadem, vim ſalutiferam offerre intuentibus, ſi non parem, certè ſimilem veteris diuini ſimulacri miraculis, ab cuius adſpectu manabat ſalus. Hoc igitur, breue quidem in frontem, ſed in receſſu multa rerum Volumina complexum Opus ſtatim vbi prodierat in lucem, ego tridui labore latinè tranſcripſi properans exhibere quoddam induſtriae meae ſpecimen, vt ſalutifera effigies, & Moſaicum, veluti ſimulacrum, externarum quoq; linguarum hominibus ſub Eminentiae Veſtrae nomine illico attolleretur. Nam, & Moſen ipſum Eminentia Veſtra, generoſitate ſui animi, paternoque, & mitiſsimo ſenſu repraeſentat: ac verè talem quaſi Patriarcham huic Prouinciae dedere, Deus, & Rex, & ille ipſe, qui inter haec monumenta animus ſpirat.

GASPAR Guzmanus est hodie III. Oliuarj Comes. Genuere, Henricus Guzmanus, & Maria Pimentella: quorum decora, & virtutes pluribus memorasse iniuria tantorum nominum fuerit. Philippi II. Legatus apud Pontificem Maximum erat Romae Pater, cùm ibi natus ille est. Actaque per honestarum artium cultum prima aetate, Patri socius ad grauissima quaeque ibat: Neapolim: in Siciliam: quae Regna pro Rege aliquandiu administrauit. Ita, adolescens ex contubernio Patris hausit vnà cum litteris etiam indocilem illam vsus, & experientiae disciplinam, quam nullae satis vnquam litterae tradiderunt.

Inde ductus in Hispaniam, sedem ac magistram iuris prudentiae Salmanticam habuit, Vrbem, ex ingeniorum elegantia, opibusque principum iuuenum mistam, ac magnificè compositam. Ibi Academiae Regimen ad eum defertur, quae summa inter nobiles iuuenes dignatio est. Neque ille licenter, vt plerique, titulum studiorum ad lasciuiam, aut humiliter studia ipsa ad lites, & emolumenta fori vertebat. Sed cognoscere antiquitatem: cognoscere statum, & arcana conditionemque imperitantium: tractare militares artes, situsque terrarum, imperij causas, certamina, & momenta dignitatis, atque honoris; repetere à Philosophiae fontibus, vnde, & principiò manauere leges: haec, & alia studia, & meditamenta iuueni erant, qualia, vel magnae fortunae, vel magni animi esse solent.

Interea, frater natu maximus, & aliquantò postea

Pater, ei decessere. Quo duplici funere afflicta Domus; & iura successionis incubuere in ipsum: ac sese in Regiam contulit. Ibi varie aliquandiu conflictatus est, vt dato inter ancipitia sui experimento, per tristium laetorumque vices ad summa perueniret. Romana legatio oblata ei fuerat cum spe haud dubia Magnatis quoque praerogatiuam titulumque adipiscendi, qui honor Patri destinatus, interpellatus eius morte fuerat. Sed repudiata Legatione, spes etiam illa iuueni differtur. Mox insidijs petitus ad necem, & non sine miraculo superstes, regnanti hodie Philippo admouetur, quo tempore Regina sponsa ad Principem ex Gallia deducenda erat.

Id fortunae initium. Mouitque siue auxit aditus ille curas, & artes, aegritudinemque nonnullorum. Eò vsque profecerunt, vt in quodam sermone, non sine arbitris dixerit Comiti Princeps: fessum iam se esse taedio, ac satietate ipsius. Vltima fortunae malignitas, conatusue supremus hic fuit. Excepitque Guzmanus atrox id telum, siue potius vitauit verbo vno, quod amor in Principem, & Euangelica disciplina, sed & nobilitas insita pronuntiarat. Namque flexo reuerenter poplite, Principi supplicauit, vt quandocunque castigandus in posterum ita, coercendusque esset: spectatores aemuli tantummodo ne adhiberentur. Ex eo carior acceptiorque esse coepit. Iuuit & orta dissensio inter eos, quibus haec incrementa Guzmani non placebant. Voluerat postea tamen abire ex Regia Comes in ipso capessendae summae gratiae articulo, & momento: tunc scilicet, cùm aduentante per morbum

fine

fine Regis Patris, initia Principi filio adesſent. Inhibuit, tenuitque Princeps, totam ſibi ſpem ſuſtinendae tantae molis, ſi decederet Pater, in eius fide poſitam eſſe perquam benignè teſtatus.

Mortuo Rege patre; nouus Rex, cuncta rerum atque conſiliorum, velut vnico, vel certè fidiſſimo amico permiſerat, commendaueratque huic. Et ipſe negotij ſibi ſatis in tuenda Regis vita, domoque fore arbitratus, caetera Balthaſari Zunicae reliquit, atque commendauit, hactenus neceſsitudini, & ſanguini obſequutus, vt virum eum integritatis & prudentiae ſummum ad regia negotia adhiberet. Alioqui, ſanguinis, & neceſsitudinum gratiarumq; omnium fere neſcius egit, anteponendo, & producendo ad ſumma quaeque munera etiam alienos, ſi potiores, melioreſque eſſent. Et Caſtellae Praeſidem ita, ſua apud Regem commendatione teſtimonioque fecit Cardinalem Treſsium, cùm alterum facere poſſet, qui domui ſuae adnexus, ideòque fidus magis, vel minus certè ſuſpectus haberetur. Nam fuerat Treſsius ex intima Lermae Ducis, & Demarchi ſeptem Eccleſiarum amicitia: quorum hic, ſub Comite Duce, vltimo ſupplicio affectus fuerat; ille, ab loco deciderat eodem, in quem locum Comes ipſe ſucceſsit. Rarumque eſt, vt eiuſmodi ſucceſſores rectis oculis adſpiciantur inter factionis eius reliquias, quae fortunam candem tenuerant prius.

Prima noui Regni conſilia fuere: reuocati ab exilio nonnulli procerum, quorum alioqui celebre nomen, & inclyta virtus meruerat, vt ea per iram offenſionemue nonnullam irrogata poena remitteretur.

mitteretur. Coerciti mensarum, & luxuriae apparatus. Sublata, quae ministri, siue aulici repererant in quaestum, quaeve reperta sic, atque exercita, non ipsorum modò manus, & animos, sed Regiam quoque inquinabant, in qua institutum iam inde antiquitus hoc, vt sit venale ibi meritis, & virtute quicquid fortasse alibi venale auro habetur.

Dum haec, & alia agerentur, Zunica moritur, quo participe consiliorum omnium, atque adiutore Comes vtebatur, vt & Regis mandata oportunè exequi, & ea, quae decernenda, mandanda, statuenda essent, disponere facilius posset. Eo mortuo, tres statim elegit nominauitque alios, qui de negotijs omnibus ad Regem subinde relaturi erant: atque id III. Virorum Consilium institui Comes magnopere concupiuit, ne solus vnquam omnia ipse obiret. Sed, & Consilium aliud, approbante Rege instituit, quod finiendis negotijs, terminandisque esset, pertaesus nempe moras, & taedia dilationum, quae apud Consilia, ordinesue alios, magni discriminis deliberationibus ob inania nonnulla saepe interuenirent.

Excogitauerat verò etiam inueneratque hoc: vt ex regio conclaui fenestellae quaedam in conclauia aperirentur, quacunque Ordo aliquis sederet. Id non modestiae tantùm, sed ad caetera quoque vinculum posse esse crediderat, si adesse ibi, & prospectare inde Regem suspicari possent, etiam, cùm neque prospectaret, neque adesset. Regi ipsi ad omnia honesta studia sua sponte propenso author fuit, vt Domus potissimum annales, & auita monumenta peruolutaret, atque adsumeret hoc etiam

optimi

optimi Imperij instrumentum. Cui consilio benignè assensa Maiestas ad Auorum deinde normam referre ac dirigere pleraque in quotidiano regimine instituit. Inprimis autem illud, siue ab exemplis & consuetudine veterum, siue proprio inuento magnoque prouisu, Rex Comesque instituerunt, vt ne consilijs interessent tunc cum de magistratibus sacerdotijsue disponendis deliberandum consultandumque est. Ita namque liberam & absque vinculo respectuve vllo solutam integramque consultationem posse relinqui.

Rem monetariam fraude multiplici corruptam, adulteratamque restituit Comes atque emendauit. Per amnes impatientes antea nauium, inuenit, ac muniuit nauibus iter. Auri quoque venas aperuit, quamuis eius metalli magnus ipse contemptor. Quodque caput fuit, regium omne patrimonium, & vectigalia, quae tuendae Maiestati sunt superiorum temporum prodigentia, necessitatibusue, dissipata, exhausta, inquinata vsuris, oppignerata etiam atque alienata recepit, atque liberauit: & sustulit ex regia Domo portentum illud, vt egere videretur Rex, cuius Regna Reges alios ditant: intra cuius fines nascitur quicquid fere auri mortales vident.

Ad rem militarem, recte, atque ordine disponendam, & pro sua parte administranda bella, quae ab Catholicae Religionis hostibus, eorumue amicis, multiplicia, & magna statim incidêre Regi, tantò maiore excubauit cura Comes Dux, quantò maior atque validior in eius animo cura Religionis ipsius: ob quam & gesta fuere bella semper in hoc Imperio, & gerentur, donec diuisi inter se mortales, ac

diuisa

diuisa Imperitantium studia circa Religionem erunt, & donec fiat illud, quod ore diuino Veritas ipsa denique futurum esse promisit, VNVM OVILE ET VNVS PASTOR.

Satis constat, ob eiusmodi curam, & verè datam è celo solicitudinem hanc, accidisse haud semel, vt acerrima illa, atque ad Imperij custodiam vigilantissima Mens, ab ipsis Imperij vtilitatibus aberrasse videretur, si Catholici Regis, & Catholicae Fidei vnquam diuersae inter se vtilitates, diuersa emolumenta esse possent. Idque tunc praecipuè accidit cùm Infans Maria Regis soror, Angliae Regis filio peteretur in matrimonium, eiusque negotij causa Madritum in Regiam Princeps ille venisset. Quippe, nisi conuenisset res, ac nisi nuptiales tabulae obsignatae essent, bella inexplicabilia minitabantur haud obscure Anglus, & Anglo coniuncti, Danus, Holandi, Mauri, Turca, Gabor, & nonnulli etiam è nostris, quò plus terroris ea coniuratio idve foedus haberet. Singulas Imperij Catholici partes vno tempore inuadendas inter se isti diuiserant: vrere, vastare, capere, dein partiri Prouincias, commutare Vrbes, & alia, quae irrita fuere, siue etiam aduersa foederatis. Cùmque in tanto turbine rerum concilia apud Regem super eo negotio quotidie haberentur, an Infans danda Anglo esset: Comitis Ducis vna sententia semper fuit, in quam & Rex sua sponte ibat: haud aliter scilicet, neque alia dandam esse conditione, quàm si Religio Catholica sub certis legibus in eo Regno sarta tecta conseruaretur, idque geniali pacto pretium fieret. Atque id Comitis Ducis singulare meritum Mens Apostolica

&

& diuina Pontificis Vrbani benignissime amplexata est; & litterae Apostolicae cum honorifica testificatione venêre ad eum, longè anteponendae praemijs illis possessionibusque terrarum, quas coniurati sibi destinarant.

Par constantia Comitis Ducis spectata est alio quoque consilio, quod ad salutem securitatemve Regis incautè, ac velut ineruditè, susceptum fuisse plerique crediderunt cum haerentem in Rupellae obsidione Gallum Hispana classe adiuuandum esse censuisset: quo subsidio debellatum illic, constitutumque Regi regnum est. Nam ea victoria, sicuti rem effecerat tantam, dederatque verè Gallo Regnum, ita cubilia rebellium stabulaque Haereticorum illa purgarat: eiusque negotij exitu nihil Catholici Regis Maiestati, neque conuenientius, neq; gloriosius esse potuit.

Consilia autem haec, & instituta Comitis Ducis, magnique pro Religione simul, & pro suo Rege conatus, possunt vno quidem, ac perpetuo tenore exhibere hanc Priuati Christiani effigiem, quam exprimere hinc volumus. Sed discrimen inter se tamen habuere quoddam. Et veluti diuersa tempora fuere morum animique eius, cum fuerit animus semper ipse idem. Nam, quamdiu fuerat Comiti Duci spes, & cura aliqua successionis stirpisque continuandae: etiam cogitationum consiliorumque partem, spes, & cura illa occuparat. Vt verò filia vnica, quam habuerat, exanimem partum edidit, & paulò post ipsa extincta est: coepit ità viuere, sine filia pater, sine nepote auus, quasi mortuus ipse sibi esset. Ex tota noctis, & diei conuersione, ad curandum quiete corpus, curandam

pietate animam, velut dicta inuiolabili lege, desumere horas fere octo: impendere Regi, ac Reipublicae reliquum tempus: consumere per pietatis officia quod inde superesset.

Indici commercij grande emolumentum, & vnà cum eo emolumento oblata à Rege donatiua alia, quorum magnitudine, quaelibet etiam vna modica domus, fortunas, & domos, subitò aequare, vel anteire opulentiorum posset, alienato penitus ab hisce rebus animo repudiauit. Stipendia tantummodo legitima, & debita labori muneribusque suis instituit accipere tamquam vnus è multis ille scilicet, cuius dispensationi, atque arbitrio cuncta permittuntur. Ex ea ipsa stipe munificus in omnes: in egenos praecipuè misericors: fautor nobilitatis eximius. Ac si, qui vrgente senio, haud vltra fungi muneribus possint, his vacationem honestam, & haud inopem requiem petere, & impetrare à Rege solitus est. Et nota, multumque celebrata res; vti Emmanuelem Menesium, classi apud Vlysiponem splendida in primis dignatione praefectum, falsoque accusatum, suo aere sustentarit, cùm in causae defensione, ob res attenuatas ille penè succubuisset. Celebre item alloquium eius ad Praesidem Castellae Contreram, & cohortatio plena mitissimi sensus, quo die magistratum ille inibat: vt nobiles innoxios aduersus petulantiam temeritatemque satellitum, & aduersus fori fallacias, quae multis exitio fuissent, defendere is meminisset.

Iam promptus aditu: facilis alloquio: alloquijs exclusae mulieres: scripta libelliue earum accepti benignius, quàm si adessent ipsae coramque supplicarent. Propitius etiam inimicis. Ac sicuti offen-

larum in Regem aliosue acerrimus sanè vindex: ita penè sine sensu, si quis ipsum facto vel dicto, vel etiam, vti nonnullorum lasciuia est, propositis publicè libellis, carmineue offendisset. Tantaque in eo genere moderatio, siue aequitas animi eius, vt, cùm fortè diceretur: Magni Regis, magnum alium Priuatum, non assentiri famae, quae rerum ipsius magnitudinem tantopere extolleret: seriò tranquilleque responderit nihil in suis rebus esse magnum, praesertim, si, cum ijs, quas gereret ille, compararentur. Mitis in reos, vbi quidem errores & culpae aliquae mortalium, non flagitia in iuditium vocentur. Eaque indulgentia, Ariscoti Ducem, in magno illo Belgicae rebellionis negotio, ad Regis interrogata responsis ambiguis implicantem, siue vltro implicatum, ac veluti deprehensum adiuuit, vt carcere simul atque suspicionibus clementissime eximeretur, queis ille, sese onerarat. Nusquam in sententia sua defendenda pertinax: nulli sententiae inimicus, quam non ipse attulisset: nullius vnquam nisi necessarij belli suasor: auxilia dominationibus externis, nisi Religione discreparent, mittendi semper author fuit.

Profectio quoque Cardinalis Infantis in Germaniam, quae constituit, & liberauit Imperium, ac de rebellium vecordia praelio vno decîdit, ea, per prouidentiam destinationemque Regis ab Comite Duce manarat: & impedimenta omnia obstantesque difficultates ille amoliendo, soluendo, rumpendo, bellum in occulto aliud, cum tanti negotij mole gessit,

Haec summa rerum est: caetera de Heroe Maluetius Heros heroice exponet.

# LECTORI

## Maluetius.

NVNQVAM ego, laetitia maiore animi mei, sed ne periculo maiore quidem, vllum scribendi argumentum suscepi. Obtrectatores atque inimici Viri ipsius, de quo scribere aggredior, me quoque destinabunt sibi inimicum. Aemuli, magnitudini eius adulatum esse criminabuntur. Amici, imparem Argumento stylum dicent. Alij, maiora veris scripsisse; alij minora esse quae scripsi. Et erunt, qui ipsam scribendi audaciam damnent, atque insectentur.

Ab ipso Comite Duce, atque ab omnibus, qui nomini gloriaeque eius fauent, peto, vt tenuitati ignoscant: caeteri sciant, nihil adulatorie, nihilue seruiliter me esse facturum. Procul etiam obtrectatio in alienos liuorque erit.

Lubrica sanè atque anceps oratio de eo est, quem nescias, gratia, an odio excepturus sit ea quae dixeris. Et mihi fides authoritasque omnis abrogata erit ob eam fortasse causam, quia nulla politica praecepta concipi tradiue posse videantur homine ab vno, qui ipse in rerum suarum vsu, & consuetudine vitae, planè expers disciplinae huius rudisque reperiatur. Respondere possem: conflandi quoque fraena, & infraenandi equos, artes esse distinctas.

*distinctas. Sed, neque architectonicam principemue artem, seruilis artificij similitudine foedari oportet: neque magistri nomen assumere ipse debeo illic, vbi ne tyro quidem artis sim.*

*Respondere poteram item: si non idem sint, parua vna domus, & magna Ciuitas: ne Principis quidem, & hominum singulorum eandem esse prudentiam. Sed, vnde gloria mihi speratur, ibi excusationes haud vltra quaesiuerim. Sanè fateor, nihil in me esse politicum; quia, ne vtilitatum mearum quidem vlla mihi cura est. Prodesse amicis, inseruire Dominis, ea mihi vnica vtilitas, & cura vnica semper fuit. Talemq; animi mei sensum, & mores huiusmodi meos nouere quicunque me ipsum.*

*Ab incipiendo Opere, & posteaquam partem absolueram exegeramque hanc, ab diuulgando & edendo, nulla re magis aliquandiu deterritus sum, quàm quia videbam, tempora esse plena adulationis, sensuumque eorum, qui adulationem inuenere ipsam, & quibus adulatio seruit. Scilicet, haud nescius eram, è suis moribus de me quemque iudicaturos, & sua ipsorum vitia, adulationem causasque adulationis in hoc meo studio, ac labore cauillaturos.*

*Verumenimuero, in hac innocentiae meae defensione, orationem ad te, Magne Priuate, conuerto meam: testor Excellentiae Vestrae conscientiam: & coram ipsa, publicè profiteor: me, vt ista scribere statuerem, studio tantummodo veritatis, & quae veritati socia est, grati animi pietate esse inductum. Nam, & Excellentiae Vestrae inclyta facta, illustrius etiam, ac memoria nobiliore debuere custodiri: & mea quoque studia circa eiusmodi memoriam, acriora, & maiora esse oportebat,*

*ob*

*ob Excellentiae Vestrae benignitatem aerumnosissimo meo tempore mihi declaratam, atque oblatam. Ac venia sit, precor, si gloriam famamque ipsius detriuero culpa ingenij, nihilue effecero quod gratum atque acceptum esse possit.*

*Et rursus tamen, si apud eandem Excellentiae Vestrae magnanimitatem atque clementiam, haec mea flagrantissima voluntas, praemio fortasse aliquo digna visa erit: praemia sint: Excellentiae Vestrae gratia, ac de meis hisce studijs liberale iudicium ipsius, lausque nonnulla. Caetera, si quae insuper fortasse darentur, in contumeliae penè locum acciperet Musa, atque repudiaret, & quod dicere nefas sit velut ingrate data sorderent.*

*Maiores mei, non stylo, sed gladio, & sanguine, non atramento consignata praemia ex Catholico Imperio retulere. Eorum ego vestigijs insistens, passuque vadens eodem, non titulos opesque reportare, sed pericula adire paratus sum.*

*Non ego animum gero vilem ita atque abiectum, vt qualemcunque stylum hunc habeam mercede vlla venalem. Non tantum assumo mihi, vt mortalium vllos meis erudiri posse litteris credam. Sed ita modeste sobrieque vanus sum, vt non aliqua laudis cupidine ducar, quae mihi debetur, si minus, quia meruerim adhuc; certe, quia mereri volo; ac, si non dignus, certè auidus sum. Estque cupidini huic, si non habendus honos, certè venia danda, quae scilicet cupiditas, nascitur vnà nobiscum semper, raro ante nos extinguitur: & saepe vitam hanc vltrà mortalis aeui terminos profert.*

*Ab omnibus peto, in quorum manus haec mea cura peruenerit, vt, si vnquam vlla scriptorum meorum parte sensere, vel triste sibi leniri otium, vel conciliari adimiue somnos, referant facilem nunc mihi gratiam, credantque*

&

*& ea quae scripserim adhuc, & ea, quae hoc tempore scribere institui, omni carere veneno, tamquam, vel principum, vel hominum aliorum vlli obliquè obtrectare voluerim, aut velim.*

*Scilicet, neque obseruantia mea vnica erga eos, quos mihi ad obsequium cultumque delegi, neque sensus tenerrimi amoris erga minores amicos, flexere flectentue vmquam mihi animum ab debita reuerentia in principes alios, ab iusto officio in omnes. Nulla mysteria, nullae callidulae ambages litteris hisce continentur: ac proinde tortuosa etiam interpretamenta abesse debebunt. Spiritus vnicus ille est, quo scilicet spirant: non more scribimus Aegyptio: sensusque verborum idem qui & sonus est: ac feceris lector amice humaniter, si ea, quae non posui dixiue ipse, ne tu quidem affinxeris, erisue suspicatus.*

*Et disertè hoc palamque denuntio: si quis ob interpretationes, atque suspiciones fortè suas, capessere volet aduersus haec mea scripta pugnam, me vtique silentio cuncta esse transmissurum, vt verberet ille scilicet arbitratu suo auras: neque stylus vnquam contra distringetur. Nam, si ea, quae dixi quispiam oppugnabit: haec, aut innocentia sua & simplicitate defendentur; aut, ne defendenda quidem erunt. Multò minus defendere volam ea, quae quisque sibi cogitatione depinxerit, eritue falsò, ac temerè imaginatus.*

*Caeterùm, hic mihi commentariolus inchoatus tantummodo, non autem perductus ad finem absolutusque est, neque poteram de Operis fine cogitare, vt non simul, & de illius fine cogitarem, quem viuere semper, & extingui nunquam, publicae salutis interesset. Omnia, quae scribendo ipse exsequar, ne credideris omnia esse,*

*quae*

*quae à Comite Duce gesta sunt in hanc diem, quaeue post gerentur. Sunt autem ea tantummodo, quae ex mole penè infinita consiliorum actionumue eius excipere, atque nancisci mihi licitum fuit. Et haec mea dextera, cui, Mercurij alarum vna aliqua pinna ad sulcandum felici volatu iter hoc exoptanda erat, digitum vnum illius habuerit saltem, quem caeteris intendere ad cursum possit. Fortasse enim liber hic meus, ceu musica manus sublata paulisper, cycnorum choros excitabit, vt nobiliore aura per spatia faustissimi celi explicent alas. Sed & vota interim facienda erunt, ne inconditum simul streperumque melos signo motuque eodem excitetur illorum, quibus rustica importunitas est, purissimos veritatis, ac sapientiae latices confundere, ac turbare, si possint.*

# EFFIGIES
# PRIVATI CHRISTIANI
## QVAM
## VIRGILIVS MALVETIVS
## EX COMITE DVCE EXPRESSAM
## PHILIPPO IV. REGI CATHOLICO
## DICAT

AD Maieſtatem Veſtram, ſiue potius de Maieſtate Veſtra ſcribo. Scribo de Priuato ipſius; hoc eſt de Principe amicorum, quod interioris gratiae nobile vocabulum etiam apud antiquos Reges fuit. Tenet fama, traditumque ita eſt, in Montis vertice Moſen cum Deo fuiſſe collocutum: Angelique tamen vnius id cum diuino Patriarcha potius fuiſſe colloquium nonnulli autumant. Repreſentant celeſte Numen interdum Angeli nobis: Angelorum loco Principibus intimi amici ſunt: Et vim Maieſtatemque diuinam, hominum generi Principes ipſi offerunt imagine quadam. Magnanimus ille, cuius Victoriae beabant victos, haud exuebant, tunc cum ad intimi ſui pedes proſtratum Reginae captiuae corpus forte vidiſſet, ſibi glorioſam duxit rem, quam fortuna ſua exhibuerat,

euecta scilicet in tantum, vt facere ipse posset etiam Alexandros.

Si clarissimi Scriptoris testimonio summa laus olim tributa Principum vni est ideo, quia egregium ministrum nactus ille esset: quantò gloria maior, hoc etiam nomine Maiestati Vestrae accedet, quòd vnico suo ac singulari Ministro dederit ipsa, vt tantus talisque spectaretur, quodque elegerit feceritue talem? Quid enim in tota illius magnitudine reperietur, quidue capite in illo considerari, ac monstrari potest, admirabile, ingens, in cuius contemplatione, non simul Maiestatis Vestrae opus occurrat; siue, quia benigno, ac largo sui fauoris, & gratiae influxu dederit contuleritue quicquid ab Regali fastigio dari conferri ad speciem absolutae magnitudinis potest: siue, quia sapientia vere, & altitudine sua partes & singulas dictauerit atque animarit. Adumbrabo ego, Magne Priuate, effigiem imaginemque vestram, non veram vtique & viuam, sed quae proxime ad verum viuumque accedat. Ne Maiestas quidem ipsa Numinis, si corporis humani simulacro expressa, atque adumbrata sit, talem sui cultum auersatur, non quia summum, aeternum infinitumque illud ita repraesentetur; sed quia ad tantae Maiestatis similitudinem ea directa imago fuit.

In arduo quidem, caeterum salutare frugiferumque humano Generi est, eorum, qui

nondum deceſſere facta egregia memorari, atque conſignari litterarum monumentis. Ea monumenta litteraeque, & legentium oculis ſubiecta exempla, vulnerant ſimul faciuntque medicinam. Sed ibi tantummodo remedij efficacis ſunt, qua etiam intulere vulnus. Nec feriunt alibi, quam illic, vbi prae ſe item egêre ſalutem, & vitam. Strepitus hic ſonituſque vitalium plagarum, ciet animos, & quacunq; increpuit, hortamenta, ſtimulos, exprobrationeſue fert ſecum. Inter inertiam & otium, & otij querelas, tabeſcere non ſinit, vetatque angi, fluxa nimium tempora, & mortalis vitae breuitatem accuſantes. Si quis verè vir, & ſi qua eximia virtus nata eſt: haec fama nomenq; vnius, mille alios ad formam eandem ſimilitudinemque producit. Niſi foecunditas ea eſſet: iam in vnius penè nomen & famam Mundus conceſſiſſet vniuerſus. Quippe ſteriloſcens interdum atque effoeta natura ad vnum redacta eſſe potuiſſet.

Veluti Rex apum gloria mortuorum dici poteſt. Maieſtate fulget, eminetque magnitudo eius: aculeo caret interim: nuſquam ferit. Non animat: examinat: nam ſi examinetur, exanimis eſt. Is faſtus cogit illacrymari conditioni ſuae mortalitatem: vertit in contemptum, atque in ludibria reſoluit gloriam, quae ab animo extorris, profuga, exul, nullo cadauera ſenſu attingens, intra corpus vana olim,

poſtquam

poſtquam ab corpore abdicata & relicta eſt, vanior etiam inaniorque reperitur. Accidens haec venienſque extrinſecus, vult in ipſam inſinuare ſeſe naturam: vbi munimentum atque adminiculum concidit hoc, ipſa quoque decidua, & pariter ſtrata humi, non aſſurgere, non conniti vltra ad agendum moliendumue quicquam poteſt.

Res & facta mortuorum, ſi claris ſcriptoribus memorata ſint, pretium inde ſtatim claritudinemque acceperunt, haud aliter, quam ſicuti ſimulacra laudantur quae peritus nobiliſue artifex fecit. Non legentium animi ſcilicet, non oculi intuentium magnopere attendunt, quid veri, quidue falſi, aut in narratione ſit, aut in lineamentis. Nam, neque archetypa, neque teſtimonia extant iam, quae artificem ſcriptoremue conuincant. De viuo quiſquis prodere, quiſquis depingere ſpirantem aggreditur, virgulam illico cenſoriam etiam ab imperitiore expectet. Non enim, aut ſpiritum & robur dare chartis, aut inſtruere voce linteum queas.

Carent oculorum acie mortales interdum: vel praediti quamquam oculis, & ſenſu hoc inſtructi, colorem tamen haud fere diſcernunt ideo ſcilicet quia ipſos non ſine colore oculos habent. Pro ſuo quiſque ſenſu; de rerum ſcriptore iudicium facit: & prout iudicanti tentatur odio, vel amore animus: ita, effusè,

ſeu maligne agi ferrique Hiſtoricum etiam cenſet. E ſacro venerabili ore tanti Herois ob beneficia pendere mihi ſpiritum, haud equidem eo inficias. Sed nunquam probrum hoc dedecuſue ſuſceperim, vt contaminaſſe potius & inquinaſſe quam expleſſe videar atque perſoluiſſe officium, quod ab excelſa magnanimitatis virtute profectum ſordida pretia adulationis abnuit. Et flagitij tanti notam animo quoque meo abominandam in leui ducerem tamen, ſi apud emulatores tantummodo Priuati ipſius ſubeunda eſſet, ac non iudex ille ipſe mihi cenſorque reſpiceretur. Facilius erubeſceret ipſe, & hoc verecundiae colore ſuffunderetur, quàm contraherent iſti pallores ſuos. Plus licentiae datura mihi inuidia horum eſt, quam quantum ab modeſtia Herois exſpecto: & ab illa, quàm ab hac parte ſolutior atque ſecurior ſum. Non enim in aequo ſtant, vitium & virtus: magiſque pudet Heroem, quam quomodo inuidi agitantur atque inquietantur.

Exoranda mihi denique Maieſtas Veſtra eſt, vt clementer ac benigne ferat hoc, ſi quanta nobilitas & magnitudo ſucceſſuum fuit, haud tantum facultatis in tradenda eorum memoria ipſe habuero. Facilius eſt (fateor) dicere quam facere, tunc ſcilicet cùm ea facienda ſint, quae dicta prius fuerunt. Verùm, vbi iam patrata narrare quis velit, difficilius iſte fortaſſe

verbis

verbis expresserit, rem quam quanta mole eandem gessere alij,& plus negotij in segni hoc munere habebit. In poetarum etiam arte carminibusque Vatum, Drammatica Epicis ad permouendas omnes animi partes antecellunt: semperque efficacior scena est. Et haec ipsa tamen, spiritu licet ac voce, in oculos auresque incurrens, pulsansque animos, veritatem & efficaciam rei parum assequitur, quam inductae illae personae repraesentant. Animam scena quandam habet: sed rerum ipsarum animam habere nequit.

Attamen, gratiam, vt spero, habebunt inuenientque haec scripta similem ei, quae apud oculos animumue amantis sequitur & commendat pictos fere vultus. Nam si, neque pennicillo pennam stylumue, neque verba coloribus, conditione & honore posthaberi par est: Maiestati quoque Vestrae haud ingrata facies poterit esse rerum earum, quae tanti fuerunt, vt Regius ipsius animus, Regia Mens consultandis eis atque agendis generosè adijceretur. Caeterum, haec tanto Regi subijcienda effigies, debuerat alicuius Apellis esse Opus, & Apellis nempe illius, qui omnes virtutes ac dotes ingentium animarum, quascunque gratia fauorque Regum extulit atque nobilitauit, colligere ex omni memoria potuisset, vt Maiestatis Vestrae oculis in hoc ipsius Priuato spectandae proponerentur.

Gaspar

„ Gaſpar Guzmanus Oliuarij Comes III.
„ natus Romae eſt, cùm pater eius Henricus
„ Catholica illic legatione fungeretur. Mater
„ Maria Pimentella celebratae virtutis fuit.

Si partem animi imaginatricem, ad id pollere cenſemus, vt conceptui tenerrimo tranſmittat imprimatue nonnihil: ſi virtuti, quae format fingitue partum, euolantia inde rerum ſimulacra obijciuntur: ecquas demum imagines & ſpecies, quaeue ſenſuum elementa potuit, concepto, nec dum edito partui ſiſtere atque offerre mater, quae nullum niſi Regiae Maieſtatis intra praecordia ſimulacrum aleret: nullos niſi de Rege, & de obſequio erga Regem fere ſermones audiret. Neque hoc ita dicitur, quaſi, non prima interim eſſet pietas in Deum, potiorque & prior illa animo inſideret. Nam, nunquam hi ſanctiſſimi Reges obſequia vllius probauere, niſi antecederet religio, & comitaretur.

Cùm vxor alicui quaeritur, ſi virtutes, haud minus quàm fortunas ſanguinemque conſociandi cura eſſet: firmior atque ſtabilior virtutis quàm fortunarum hereditas, & magis fida ac diuturna poſſeſſio tranſmitteretur ad poſteros. Id namque patrimonium, & ab hominum inſidijs, & ab impetu fortunae tutius eſt ſemper, feliciuſque perennat. Virtuti curſum interdum abrumpere fortuna poteſt: vim naturamque eius euertere non poteſt.

„ Romae natus, duodecim annorum peregrinatione ad aſperrima & duriſſima quaeque
„ Patri continuus iuit. Neapolim & Siciliam
„ pro Rege adminiſtrauit.

Patria mortalibus, non in cuius ſolo, ſed ſub qua natus quiſque eſt. Alta ſapientia veterum, hominem arbori inuerſae adſimilauit, ea ratione ac myſterio, vt quemadmodum patria arboris, ſolum & terra illa eſt, in cuius viſcera & glebas, radices ipſa defixit, ita patria vnicuique noſtrum intelligeretur plaga illa celi, quae plantis obuerſis radicibuſque ſpectaretur. In natali conſiſtere ſolo, agere inter proximorum pignora radices, atque adhaereſcere totis ibi fibris: id verò nihil aliud eſt, quam ſi quis hanc ſibi ſortem vltro elegerit, vt recta arbor, & praepoſtere poſitus truncus humani corporis ipſe fiat. Tales qui fuere, quiue agere aeuum ita voluerunt, ad plantarum adoleuere, atque conſenuere inſtar, quae plantae in opima & praepingui ac felici tellure late ſanè explicuere comas & ramos, ſed vim frugiferam eaedem ipſo vbere terrae perdiderunt. Cerrus alumna montium, alumna ventorum, patientia & conſuetudine, vſq; eò corroboratur, vt aquilonum vi contumax & inconcuſſa maneat: Eadem, ſi in amoeno fortè campo nutrita altaque eſt, luxurians & inerma molles tantummodo zephyros patitur; venti alij, ſi dedere impetum: aut conuulſa

uulſa radicitus nutat: aut extirpata procumbit.

„ Iam ſpatia virtutum ingreſſus, iamque ad „ ſerena templa ſapientiae patefacto feliciter „ aditu, redijt in Hiſpaniam, & ius ciuile didi- „ cit, non ille quidem, vt *Titi* Sempronijque „ perſonas & nomina cauſis agendis leguleio- „ rum more venditaret: Sed Imperij ſtatum, „ & Reip. cauſam hac aſſumpta prudentiae par- „ te defenſurus.

Lex, prudentia ciuilis eſt: ſed pauci hodie periti legum ſunt, quos prudentiae participes eius, hoc eſt, verè politicos appellare poſſis. Sanè politici erant, qui primi ſcripſere leges quiue totum ius ciuile condiderunt: Sed. diſciplinae huius gregales, ab nomine ac dignitate parentum, ſeu magiſtrorum plane degenerauere. Satis enim habent cognoſcere quid in quaque re & cauſa factum ſit: initia, & finem, cauſaſque contemnunt. Percallucre multi hodie leges, atque intelligunt pauci. Qui ratione omiſſa, authoritatem exquirit, ratione caret. Hanc qui ab lege remouerit: ſpiritum & animum ademerit legi ſimul ſibique. Haec adeò fiunt, quia lex, miſerijs atque indignitate quorundam è ſuo politico ſtatu ad ſeruile penè miniſterium redacta eſt. Cumque Iudicij & prudentiae ſeſe filiam gloriari poſſet, memoriae data in adoptionem, & abalienata iure ſuo, reliquias & veſtigia priſtinae digni-

tatis aegre admodum tuetur. Periti legum ipsi deiecti ex rationis patrimonio, quod amplum atque honestissimum antea obtinebant, ad quotidianum quendam vsum, & lucra captantem experientiam, pudendo casu deciderunt.

" Salmanticae, Rector Vniuersitatis Academiaeque illius creatur.

Lynceos oculos etiam occultissima & abdita quaeque penetrantes, si quis fortè haberet, cernere is posset, opinor, vna cum pueris pueriliter ludentes apud cunabula stellas interdum: necnon indignatio manifesta cerneretur earundem, vel quia impedimenta aliqua materiae reperirent, vel quia materia certè ipsa non adiuuaret, praestoque esset ad munera quibus attollere animas gestirent. In ea aetatula scilicet, atque in vitae primordio, magis certi, licet minus efficaces & validi solent influxus esse stellarum. Et forsitan visum ita Numini: earum coerceri vim aduersus aetatem tunc sanè infirmam, sed dominaturam aliquando ipsis.

Sunt autem influxus isti stellarum, & adspectus, afflatusque & adspirationes semper eaedem. Caeterùm, non ita videtur, quia variant mortales ipsi, nec hominibus semper iisdem ista de celo immittuntur. Vt influere ac penetrare, & exequi possint, praeparatum atque expeditum ipsum esse oportet qui talia

exceptu-

exceptūrus ſit. Stella, quae complexa fauore ſuo Cyrum, imminebat, vt clarum magnumque faceret, quia repererat in puerorum coetu hunc, puerile ſcilicet ei Regnum aſſignauit. Mox eadem repertum in exercitu ipſum, ingenti Perſarum Regno donat. Aſtri benignitas, quae Salmanticae nacta Comitem, fecerat Vniuerſitatis eius caput, eadem eſt, quae deprehendit in maxima totius Orbis Regia Virum, & in regiae gratiae culmen euecto huic, eum fortunae gradum dat, vt nulli mortalium praeterea ſecundus haberetur.

„ Hieronymus eius frater natu maximus hoc
„ tempore moritur: atque ipſe, qui ſecundo
„ loco natus erat, in iura illa ſuccedit fitque
„ primus.

Primo loco geniti, ſicuti naſcendi ſorte donum obtinuere illud: ita ſortis fortunaeue ipſius dona alia, mortalium ipſorum munere aſſequuntur. Idque, non tam pro honore ſortaſſe, quam ſubſidio neceſſitatibus ita inſtitutum. Quibus accidit, vt poſtremi naſcerentur, hi primam virtutis & gloriae palmam adipiſci interdum ſolent. Ipſum ita naſcendi infortunium argumento eſſe poteſt. Crediderim, homines, praeſagitione quadam, & occulto animi inſtinctu, cognito diſcrimine hoc, ſubſidia auri congerere illuc, vbi de futura eſſe munimenta virtutum vident, atque originem fuiſſe hanc effuſae liberalitatis erga

primos illos, vt, quod animis deesset, opibus diuitijsque expleretur.

Benignius atque munificentius fortuna cum eo decidit, quem intra secundum locum aliquandiu continuit, vt deinde assumeret in primum, quàm cum eo, cui locus statim hic obtigerat. Nam diuitiae, si praecurrerunt atque antecessere Virtutem, saepe fiunt impedimenta Virtutis: vbi subsequuntur, adiuuant. Maternum vterum qui aperuere priores, his fere persuasum est, posse ipsos decora, splendoremque maiorum retinere splendore auri, tamquam scilicet alimenta ignorantiae esse debeant opes. Ita praemia laborum, quae fuerant olim, inuitamenta seu ministeria otij haec fiunt saepe nequitia otioque primogenitorum. At secundi, cum praereptam atque occupatam sibi fortunam videant, ne saeuire vltra & insultare haec pergat in sinum atque complexum sese contulere Virtutis & laboris. Hoc praesidio superant antea deiecti afflictique. Saepe documenta mortalibus ipsi fiunt: iniuriam in nascendo fortunae, summam esse fortunam.

„ Paulo post, decessit ei Pater etiam. Inde
„ necessitas, omissa dulcedine contemplationis,
„ rem actionemque capessendi.

Studia, otium sunt. Si negotium haec dicere velis: otij negotia dices, libido quaedam essent, nisi mentis animique essent. Emollit libido haec infringitque animos: resoluit debilitatque

bilitatque corpora. Damnum est interea suaue quia non sentitur. Intra librorum aceruos iacere demersum: id verò nihil est aliud, quàm mori inter viuos; viuere cùm mortuis: & qui sic viuit, moritur omnibus: ac ne sibi fortasse quidem viuit. Veterum Rerump. institutum fuit; nulla, nisi rigidae atque actuosae Virtutis Opera honore prosequi· ac si secus fieret, rem fore perniciosissimam censuere. Ab delicijs & languore scientiarum, vt animi abducerentur, videbant, eas, sicuti sine fructu essent, ita sine gloriae praemio esse relinquendas. Gloriam mortalitas vniuersa expetit, nisi si qui stolidi vecordesque sint. Cùmque tempora haec, & mitior aetas, tam scire, quàm agere, rem esse gloriosam velit, ac praemia vtrisque proponat, & ijs scilicet, qui oblectamentis otioque litterarum, & ijs, qui periculis ac labori sese dediderunt: pars maior eò decurrit, quò naturae ipsius ductu, atque ordine rerum inclinat magis. Nam omnes homines, ad contemplandum prius, quam ad agendum moliendumue quippiam apti sunt, atque feruntur illuc, vbi principiò etiam adhaesere. Fortasse omnium esset ea via, nisi prouisu ac dispensatione naturae, iuuenta, sicuti agendo inhabilis est, ita ab studio abhorreret. Si quis, obtentum & velamenta desidiae quaerens, studia, rem esse laboriosam ait, idque causatur: aut ego fallor: aut ipse

fallitur:

fallitur: aut fallere vult. Studium non voluptas eſt, non labor: dolor quidam eſt, ſine moleſtia, ſine aculeo, haud intrans fere materiam continuumue diſſoluens.

„ Proficiſcitur in Regiam exculto iam ſapientiae ſtudijs animo, non autem bonarum artium rudis.

Non Aula litterarius ludus eſt. Nec dantur ibi prima alimenta: nec prima etiam elementa traduntur. Non lacte diffluit menſa illic, ſugiturue lac. Raro gignit: expolit ſanè & limat. Non inter ſe congruunt ſtudia litterarum, & officia, ſeu munia ſeruitudinis: vt recte ſeruire poſſis, ſtuduiſſe prius ac didiciſſe debes. Saepe Principibus Miniſtri ſapientes deſunt, quia, non faciunt, gignuntue tales: facerentque & veluti gignerent prudentes ſanè ſeruos, ſi quidem ſeruientium etiam ſtudia pro meritis acciperent. Nunc, quoniam ita mos & conſuetudo fert Aulae, vt ſeruiendi & benemerendi idem initium ſit, contra verò, mereri, quam ſtuduiſſe poſterius, id nimirum cauſae eſt, cur aetatem eam, quae litteris & muſis dicanda fuerat, homines iuuenes dicare principi malint. Inde poſtea fit, vt ipſorum merita, annorum numero, non actionum pondere aeſtimentur, talique aeſtimatione ſaepenumero poſtponantur neceſſe eſt, ſericeo vni, qui prior in Aulam venit.

„ Legatio Romana ei offertur cum haud „ dubio

"dubio promiſſo, fore propediem, vti Magna-"
" tis quoque titulus adijceretur, quem hono-"
" rem ipſius Patri deſtinatum interceperat mors,"
" ſiue diſtulerat. Legationem abnuit Comes,"
" curſui ſuo remoram inde proſpiciens niſi prius"
" titulum eum adeptus fuiſſet."
" Nuſquam hominis eſt conſiſtere ac manere."
Sub caelo degit, in Mundo habitat, cuius mo-"
les perpetua vertigine circumagitur ac rota-"
tur. Si non progreditur homo, retrogradum
vertit: ſi non illuc, vbi fuerat prius, certè
illuc, quò mente & cogitatione ſpectarat.
Semper in itinere atque in curſu mens huma-
na eſt: ad felicitatem propere contendit: hanc
ſibi ſcrutatur, neque reperit vſquam. Niſi
reperiat, inquietatur: & nequit inuenire niſi
moritur prius. Adeò naturale homini eſt
moueri ingredique ſemper, vt ſi procedere
non poſſit, retrocedat, non taedio, ſed deſiderio
felicitatis, quam fruſtra exquiſiuit: & exquiren-
di adhuc cura, ſaepe ſe quidem eſſe praegreſ-
ſum, illam verò poſt terga relictam putat.
Etiam aqua ſuopte motu vergens inclinanſque
deorſum, interpolato curſu, potius quam vt
ſiſtat iter, ſalit; atque expectationi impedi-
mentiſue obiectis diu colluctatur; donec in
ſuae quietis ſedem contrario motu deducta "
denique eſt. Ne quietem admittat naturae "
ſuae alienam, praeter naturam vltro moue- "
tur id elementum. "

„ Licet Comes, nulla quemquam iniuria la-
„ cessisset vnquam, neminemue offendisset: atta-
„ men ita accidit. Latrones armati quatuor in
„ aedium ipsarum vestibulo, occidendi destina-
„ tione subsiterunt donec rediret domum ipse,
„ expectantes. Iterum alij treis in occasionem
„ occidendi eius intenti, carpentum in quo so-
„ lus vehebatur, diu sequuti fuerunt. Insidias,
„ & periculum vtrumque, ipso inscio, benigni-
„ tas diuina discussit.

Fortuna per totum Vitae iter limpida, & serena, rarissimi sunt qui vtantur. Nam & rarissima astra radios vsquequaque sinceros gerunt. Ne sydera quidem ea, quae, praecipua benignitate mortalium vitam adspiciunt, violentiae portiunculam abdicauere. Hinc illae felicium quoque calamitates, siue mista calamitatibus gaudia, quae passim cernere est. Gaudia felicitatemque syncerant, frustra, nec iuste optaueris in Mundo, qui insita concretione confundit omnia & miscet: vbi, ne elementa quidem pura reperias. Aerumnosum & triste quiddam illud, quod in omni quoque magna fortuna reperitur, ab nescio qua nascitur ea particula malignitatis qua stellae maiores etiam infuscatae micant.

„ Cùm Regina Sponsa ex Gallia ad Princi-
„ pem deducenda esset, atque nuptiarum earum
„ expectatione, delectu Procerum Aula supple-
„ retur, inter Cubiculi Proceres Guzmanus
„ electus asciutusque est. Mo-

Modeſtè dictum ſit. Ille, qui tunc Aula potiebatur, quiue Regi proximus, habenas & gubernacula rerum tenebat, aut continuandae ſibi, gratiae parum anxius curioſuſue fuit: aut gratiam Virtutemque Comitis minime introſpexit: aut errauit in eo lapſuſque eſt, quod pro nihilo duxit, admouiſſe Principi talem Virum. Circumdare alienos ei, cum admoueretur, vanum irritumque foret. Nam Virtus, cui latera cingit prudentia cuſtos, vnum habet inimicum, à quo extingui & cadere poſſit, nempe mortem. Conſultius fuerat, ſpecie honoris ablegaſſe Virum: mandaſſe Prouincias, & Imperia nonnulla ei, quod honeſti exſilij genus parum felici Virtuti iam inde antiquitus repertum fuit. Non pulſat ab eiuſmodi exſilijs, ingentium rerum fama dominantis aures. Longinquitate locorum & interuallo fatigata ea dilabitur, fitque minor: aut, ſi integra peruenit: diuertit ad Priuatum prius: per eum Principi offertur: ita, non qui geſſit, ſed qui nuntiat rem, in honore eſt, gratiamque rei, non deflorat ac delibat ille ſolùm, ſed occupat etiam atque habet.

Virtus ad inſtar radij vnius eſt, quem radium nullus occultabit vnquam, niſi qui extinguet. Imò, Solem vnum credi Virtutem dicique fas eſt, ſuo ſemper fulgore micantem, & nubium quamuis obiecto liuore ſpargen-

tem incrementa lucis. Non tanta illarum denſitati obſcuritas eſt, vt non & luce ſua exſuperet Sol ipſaſque perrumpat. Aut diſſipantur halitu regnantis eae nubes, aut radijs abſumuntur eiuſdem, demumque conſerenat. Verum, vbi extra noſtri orbis vias deflexit Sol, longeque abſceſſit: aut, non iam lucet ille nobis: aut ſi lucet micatue nonnihil: radius ille tamquam alienus adſpicitur, qui nec aduerſo verbere ferit, & reflexus retuſuſque languet.

„ Poſteaquam, Comes in familiam Aulamq; „ Principis venit, vidit ſeſe numero circumfu- „ ſum eorum, qui herilem animum aureſque „ onerabant, & alienare conabantur.

Hominum generi haec dicta lex eſt, vt quamdiu mortalem hanc vitam viuunt, in aciem perpetuò adſiſtant. Itaque, quiſquis, aut, non dimicat iam: aut non eſt in procinctu ad dimicandum: vel non viuit iſte, vel perperàm & peruersè viuit. Infenſi atque alieni nobis homines, vbi circumſtetere, niſi ſuccedit, vt obterant opprimantque, vim & incrementa addunt. Nec verò elidere, & praefocare poſſint, niſi mollities atque debilitas ipſa eſt, quàm ſumpſere obterendam. Tenuis exiguuſque calor, vt durare queat, calore indiget alio, per quem parua illa ſcintilla alatur atque foueatur. Sin autem robuſtis iam flamma viribus adoleuit: quo acrius atq;

violentius contra insurgat, insultetue quispiam: hoc validior ipsa ardet atque multiplicatur. Pugna illa naturae rerum, quae philosophantium vocabulo vulgata est, assignataque elementis, inter hominum quoque certamina simile quiddam edit: atque hic etiam conflictu contrariorum strenuè prouocantur eliciunturque vires.

„ Inter tristia & amara pleraque die quodam
„ dixit Comiti Princeps: iam ipsum sibi esse
„ fastidio. Tuncque supplicauit Principi Co-
„ mes, vt quandocunque vellet eiusmodi ver-
„ berare verbis, ne faceret in eorum conspectu,
„ qui sibi emuli essent.

Inter paruulos filios equitantem arundine Agesilaum, cùm legatus ille reperisset: petijt ambitiosè ab eo Rex, ne, id quod ipse vidisset, narrare vellet alijs, quibus filij non essent. Castigatur à Principe Comes. Supplicat, ne resciscant beneuolentiae expertes homines. Affingendo finitima virtutibus vitia isti credidissent, incensum illum amore animum esse seruilem, & patientiae, quam pietas atque obseruantia faceret, stoliditatis turpe nomen imposuissent.

Non ipse causam cognoscere auet, rationumue momenta contra affert. Quippe amoris sedes, non in cerebro, sed in corde est; Huius entimemata affectus sunt: affectus ipsi, amor. Sed ne cura voluptatem quidem,

amanti

amanti eſt dolor ex eo quod non ipſe redametur. Si amare ipſum per ſe iucundum eſt: quo flagrantius quiſque amet, hoc maiore iucunditate perfundetur. Ac ſi pro amore reddatur odium: creſcit amor, ſi amor ille eſt. Forſitan etiam ita fit, vt, vel praeſentia non credantur, vel certe futura ſperentur. Dumque ſeſe amari diffidit aliquis, ita ſperat amorem in poſterum, vt ſperando, mereri etiam & ſibi conciliare poſſit. Puncta haec & momenta amoris dum induco ego ſic atque perpendo, de amore loquor eo, quem Virtus mouet, non de eo, quem Venus. Eſt vterq; tamen alteri finitimus: vtrique radices in animo ſunt. Ignobilior ille, quòd afficit titillatque corpus, id quidem non amoris natura, ſed modo fit eo, quo Sol etiam extra iubar orbemque ſuum, lucem radioſque diffundit. Alioqui, corpori, quod quiſque dilexiſſet, illata vis, amanti ſatisfacere poſſet. Senſerat illico Comes, Principis id verbum, non dictum fuiſſe, ſed dictatum. Exterruerat eum vox: ſed momento eodem, oculorum lumina ſolatium exterrito attulerunt. Neque Princeps ipſum confirmare ſuperſedit: idque conſtantiſſimi amoris pignus. Tunc errorem ſuum agnoſcere ac reputare coeperunt temporis eis potentes, vt quiſque validiſſimus in Principis animo erat.

„ Remedij vias tentauere: inprimiſque illam,

„ si fortè nullum Principi Comitem ad Regis
„ ipsius ministeria traducere possent. Sed non
„ Comiti pretium fuit, pro oriente Sole sectari
„ occidentem.

In Principem incidere posse vacuum adhuc, optabile in primis est. Nam si velit quis eos dimouere, qui iam occupauere locum, ne Virtuti quidem negotium facile erit. Astutijs & sagacitate experiri turpe atque indecorum. Et, siue hac, siue illa via peragatur res, aut certè tentetur, nusquam sine nota malignitatis fiet. In vacua qui venêre facile locum, honesteque habebunt.

Non ariete incusso machinamentisue admotis, hunc murum quatere aut superare est. Suggerunt Principi, per quae patientia Comitis tentetur. Manet inconcussus atque imperturbatus, & sua merita constantiae magnitudine auget. Tentant honoris illecebra, nouisque inuitamentis. Cuncta recusat, & ea recusatione approbat Principi suam fidem. Demum, vbi spes exempta aemulis est, posse molem deijci hanc, ac posse ipsos calcare ruinas; munimenta supergredi tanta conantur, & fidei scalas in id arripiunt. Sed frustra: Iam altius educta moles erat, quàm vt praebere cuiquam ascensum posset.

„ In ea rerum varietate fluctuata fortuna Co-
„ mitis est ad id vsque tempus, cùm orto inter
„ aemulos dissidio, certi, & firmi aliquid ad
„ consistendum inuenire coepit. Ve-

Veteris Aulae peritiſſimus ait, difficile eſſe, eodem loci reperiri potentiam & concordiam: idque cùm ille ita pronunciaret, eiuſmodi ſocietatem inſociabilium rerum alicubi repertam eſſe cenſebat. Non fortaſſe ille animaduertit, eos, quos potentiores ipſe eſſe crederet, aut non fuiſſe: aut hactenus fuiſſe tantummodo, quia proximi erant, neque arterias, ſed proprie intimeque venas Imperatorij ſanguinis attingebant. Scriptorque idem exſequendo res Romanas, in duos poſtea alios incidit, aeque inter ſe concordes ac potentes: Quae duorum potentia concors non ſanè referri potuit, aut ad mores aequitatemue alterius, qui, ſi in foediſſima cupidine diuitiarum temperare ſibi non potuit, multo minus in ſtudio illo dominationis etiam acriore temperaſſet: aut ad ſtudiorum vtriuſque diuerſitatem, cum ciuilia vnus, militaria alter ſectaretur. Continuus enim intimuſque Principi, ſi bellum & arma tractare ipſe abnuit, mandare alijs poteſt: Et facultas ei ita erit, abſque diuiſione vlla fauoris, munera ordineſque diuidendi. Rationem igitur cauſamue concordiae eius in pari potentia ego attulerim hanc: Non iuſti legitimique Regis, ſed tyranni impotentiſſimi aula animoque potiebantur. Saeuitiam, feritatemque dominantis horrebant, non ipſi quidem vllo vero affectu chari dilectiue huic, ſed ſuſpecti formidatique. Nulla ſatis prouida

tutaque

tutaque ratio est aduersus eos, qui ratione «
vtuntur in id tantummodo, vt ea carentibus «
nequiores ipsi peioresque fiant. Casum in «
singula momenta atrocem aliquem, & ex casu,
fortunae vitaeque suae ruinam exspectantes
hi duo grauissime angebantur. Nunc hic,
nunc ille contremiscebant. Is, qui forte im-
perterritus impauidusque steterat, alteri mon-
strabat inuitamenta constantiae, sociumque
sustentabat. Demum vnius ruina traxit alte-
rum, & vterque abiere in praeceps. Verus,
integer, syncerus, legitimus, honestusque fa-
uor apud Principem, impatiens Collegae est,
neque socium admittit, nisi vt & inimicum
eundem habeat. Qui sibi vltro quaesiuit ad-
misitue socium, idem facit tyrannidis accusan-
ti Principem, palamque professus est, indi-
guisse praesidio aduersus barbariem immanita-
temque eius. Sane impar homo maxima-
rum administrationi rerum, assumere partici-
pem laboris, atque ad communicanda consi-
lia fidum amicum deberet. Sed contra suadet
ambitio. Rursus communicatio quaeritur &
societas. Hancque metus admittit. Nam,
cui lubrica, & incerta, & male fida apud
Principem gratia est; is idoneus aptusque
subleuando fortasse labori eius, ad pericula
propulsanda minor, inualidusque erit.
„ Philippus III. in Lusitaniam proficiscitur:
„ & affectatus Regem in eo itinere Comes, ad

 „ rem

„ rem suam familiarem inspiciendam inde di-
„ uertit: nec multò post in Regiam ab domo
„ ei redeundum fuit.

Tiberius tantum momenti in eo posuerat, ne longius à Principe abscederet, vt exanime quoque corpus affectaretur, eique adsideret, cùm jam adsidere viuo non posset. Etiam, vbi desierat ille esse, neminem fieri propius volebat, cadaverique adulabatur. Comes, de longinquitate, seu praesentia, plane securus animi fuit. Principis amor erga eum, verterat in naturam. Falluntur, qui habitum naturae esse germanum dicunt. Non effigies, sed exemplar ille est, naturaque altera dicitur, non quia non sit; sed quia non erat. Nascitur ab nobis, in nobis, etsi non vnà nobiscum. Ars, quae naturae imitatrix credita est, imitatur eam; Saepe post ea etiam creat, saepeque vincit. Amor, qui habitum naturamue contraxit, non est in potestate locorum. Vim & robur ei stimulosque longinquitas addit, excitatque ad agendum. Nam habitus ab actione quidem necessariò procreatus est: Sed non procreat ipse gignitue necessario actionem.

Qui Principi Minister magno vlui est, si paululum ad breue tempus abscedat, haud parum sanè profecerit. Dum concinunt alternantque Chori, si pausa vna intermissioque vocis fiat; solitaria quidem ea delecta-

tionem auget : supprimit autem aufertq; vniuersam, si multiplex & coniuncta cum alijs eadem fuit. Suspensae exspectant aures harmoniam, quae secutura cessationem, tamquam in vicino est. Ea, si propere redijt, cupidissime excipiunt, atque complectuntur : Sin autem est cunctata diutius : adspernantur, oblitaeque concentus, aliò sese auertunt. Expectatio breuis desiderium ciet, atque inflammat: desiderio accenditur amor. At expectatione diuturniore, desideria pariter amoresque senescunt : nec fere resumit amorem qui deposuit semel atque abiecit. Captiuitatis instar atque seruitij est amor: eaque suauis, & iucunda captiuitas animi est, si non sentiat animus se esse captiuum, nec sentit nisi solutus idem ac liber. Vtile Priuato est, sentiri damna absentiae eius : sed non vtile abesse tamdiu, sentirique ita, vt eiusmodi damnis occurratur, remediumue paretur. Namque id vbi eueniat, exitus ille consequetur, vt praesentia Ministri opportuna quidem, atque vtilis, sed non ita necessaria eadem Principi caeterisue sentiatur. Si Ministro destinatum id propositumque est, efficere, vt absque opera consilijsue suis, intelligatur, non posse administrari rem : efficiendum est, ne spatium tempusue detur administrationi huic.

„ Philippo III. cum morbus ille accidisset, ex „ quo non conualuit : pridie quam expiraret

„ Rex, Principem Comes in haec verba allo-
„ quutus est.
„ Positis humi genibus, ab Celsitudine Ve-
„ stra peto supplex, vt cum bona ipsius venia,
„ Hispalim vsque proficisci mihi licitum sit,
„ atque abesse tamdiu, donec Celsitudo Vestra
„ vnà cum ijs, qui res hodie administrant, pri-
„ mordia sui Regni capessat. Ad ea Princeps:
„ Grauescit admodum valetudo mei Patris. Si
„ decretum ita Celo est, vt capiti meo tanta
„ calamitas incidat: in nouo difficilique regimi-
„ ne neminem habeo (Comes) quo magis in-
„ sistere possim, quàm opera fideque vestra:
„ Sic mihi persuadet cognita vestra virtus &
„ fides. Decessit Rex. Princeps Imperij pos-
„ sessionem adijt. Comes in gratiae possessio-
„ ne retinetur.

Princeps ille, quo prouidentior adhuc for-
tasse nullus ex omni temporum memoria fuit,
die appropinquante successionis, Imperijque
adeundi, verba vultusque componit, tam-
quam inuitus & abnuens. Et Comiti, quem
inter Priuatos intimosue Regum, nullus om-
ninò prudentiae magnitudine superauit, dissi-
mulatio sumitur eadem, quasi primum in noui
Regis amicitia locum posset magis obtinere
quàm vellet. ProcerumSenatorumue animos
alter explorare volebat, alter huius animum.

Ego, quò magis cuncta temporum negotio-
rumque istorum intueor, adducor vt credam,

nihil

nihil à Comite Duce, vel potuisse fieri, vel esse factum, quo moderationem atque continentiam animi sui magis ille declararet, non tam, quia recusandi fauoris, potentiaeue fugiendae constantiam & robur ostendit, quàm quia pondus & momenta rei cognoscere potuit, animumque habuit vere parem contemplationi huic.

Extra caput animumue hunc, vbi potuit mens vna reperiri, quae delabente sibi in sinum, & oblata fortuna, fortunis penè anteponenda omnium, eluctaretur atque effugeret gestientis laetitiae manus, seque ad circumspicienda cuncta conferret, ac de magnitudine rerum in eo articulo ratiocinaretur. Quietos, & rectissime compositos, & nihil se se efferentes, restrictosque spiritus ratiocinatio requirit. Laetitia verò, ceu concepta animo violentia venti alicuius, introrsus illic velut intra centum flat, spirat, spiritusque ipsos in superficiem latè eijcit, miscet eos, confunditque & turbat.

" Primum noui Imperij consilium authore
" Comite fuit, vt nonnulli Procerum spectatae
" Virtutis, ab exsilio reuocarentur. Eratque
" in eo numero Petrus Toletanus Marchio
" Villaefrancae ex Consilio Status.

Remittere poenam exsilij magnis Viris, eosque redonare Patriae, vel certe Patriam & Penates redonare ipsis, id sanè tanti est,

vt

vt Agrippina ſagaciſſima foeminarum, ſtatim vbi dominationem adepta fuiſſet, ſcelerum cumulum aboleri poſſe crediderit, ſi exſul tantummodo Seneca reſtitueretur.

Si quid extorres ſortè iſti commeruere, promereri conditio & animus eorum poteſt. Male ſeſe res habet, vbi, hominis cauſa, Virtutes eijciuntur: Sed longe peſſimum eſt, ſi Virtutum cauſa eijciantur homines. In condemnando condonari Virtuti nonnihil, fas iuſtumque eſt. In contrarij vitij probrum Iuſtitiae Virtus corrupta dici poſſet, ſi trutinae eius lances, auri coenique libram aeſtimatione pretioque aequarent ideo quia pari materies vtraque pondere libraretur.

Apud Populum nunquam non fuit Virtuti pretium & honos. Multauere ſcilicet etiam & puniuere aliquando eam: ſed fere, nonniſi tunc, cùm formidabilis & tremenda facta erat. In Monarchia omni, Imperioque vnius, hic Populo mos fuit ſemper: fauere Virtuti, quam timere non poſſent: plauſum dare eis, per quos honorata ea ſubleuataque eſſet: damna coercitioneſque illatas accipere haud aliter, quàm ſi merita, non delicta punirentur. Reſpublicae anxiae & ſolicitae ad cuſtodiam ſuae libertatis, itemque trepidi Principatus & pauentes omnia Reguli, quibus vmbrae nonnunquam ipſae attulere terrorem, haud iniuſtè fecerint, ſi graues irrogauerint ijs etiam

 poenas,

poenas, qui magnis olim meritis praemia ingentia obtinuerant, & postea offenderunt. Nam non tantum aliunde periculi ibi est, quantum ab optimo quoque si deterritus idem pessimusque euadat. Tyrannico dominatui nihil tam terribile odiosumque est, quàm Virtus. Raro, in populari dominatu, ventum est eò corruptionis, vt odio illa haberetur: ad timorem quidem solicitudinumque omnium formas illic facilè itur, quotiescunque honestissimi aliqui, & clarissimi extitere. Inuidetur autem hisce nunquam, siue sub tyranno, siue in libero populo extiterunt. Nam inuidia, neque essurgit, neque descendit vsquam. Optimates, & inuident talibus, & timent & odêre eos, finguntque timorem, etiam si ille non adest. Clypeum infirmitatis scilicet Aristocratia circumfert atque ostentat, vt notam effugiat propulsetque malignitatis. Vbi potentiae securus validusque Princeps, seque & Imperium Maiestate sua tuetur: ibi sanè esset tuta felixque Virtus, nisi Principum horum Regumue loco, tyrannidem isti exercerent, quibus arcana Imperij, & Imperitantium consilia fere innituntur. Et ipsi quidem, siue bene instructi munitique Principes, siue Reges iusti & magni, nulla vident finguntue pericula, quibus de statu sese dominationis exturbari posse credant, aut credi velint. Eorum verò Priuatis, amittendae gratiae periculum

riculum assiduè obuersatur, ac ne Regno illo exturbentur, ad tyrannica consilia eunt. Nec possunt aliorum esse tyranni, nisi prius id Principi suo iugum imponant. Ita, optimi quoque Principes tyrannidem exercuere cùm
„ tyranni ipsi non essent, quia habuere tyrannos.
„ Summam rerum, atque totius Imperij re-
„ gimen, ita diuisit, vt penes Balthasarem Zu-
„ nicam Consilia Prouinciaeque essent: ipse,
„ Regem, Domumque Regis, & domestica cuncta tuenda haberet.

Non quisquis Consilij caput est, idem Gratiae principatum etiam tenet. Non Imperij vtilitas & causa, sed affectio atque inclinatio animi est gratiae interioris mater. Illa caros, haec dilectos amatosque facit. Illuc prudentia consilijsue peruenire aliquis potest: huc via vna est, si ita natus factusue sit. Huiusmodi discrimen, atque definitio anceps, Scriptori Tacito caliginem offudit. Vidit ille: non explicauit: aut explicare ipse non possum. Ambigit, contingat ne gratia & sorte nascendi: an sit aliquid in nostris quoque consilijs. Vtrinque contingit. Totum naturae munus est, vt ametur Minister: prudentiae magna ex parte munus, vt carus sit.

Geri atque administrari cuncta ab Priuato, odiosum est: sine eo geri administrarique nihil, perinde odiosum. Alterum fieri non potest, vt gerat administretue cuncta vnus: alte-

rum

rum fieri necesse est, vt alij quoque in parte rerum sint. Supremus orbis circumagit tantummodo se ipsum, orbesque alij motum eius sequuntur: atque tunc etiam cùm sequi desiere, si non mouentur vnà cum ipso, per ipsum certe mouentur. Haud ego ambigam, nullum in celo motum esse primo licet orbi contrarium, quem non supremus ille motus efficiat, ita vt si cessaret consisteretue forte ille, caeteros pariter inferiores orbes consistere & cessare ab cursu suo necesse esset. Neque dixerit contra quispiam, haud posse orbes cieri istos contrario alioque motu, quamquo feratur etiam ipse & voluatur. Videmus enim, & homines ipsos, & animantia caetera, ob vim à primi Orbis motu acceptam contrarium ei motum agere. Is, qui credidit, proprium esse Solis, ab occidente moueri in orientem, ideoque Iosue minus propriè esse loquutum (si dicere liceat) impropriè ipse loquutus est.

„ Maiestas, & Iudicia, & sanctum Iustitiae
" nomen quandocunque agerentur, nullae ei
" necessitudines, nullique, vel propinqui, vel
" amici erant. Rex ipse successerat in omnium
" necessitudinum vicem. Id adeò declaratum
" insigni ad memoriam exemplo est, cùm Orso-
" nae Ducem & Rodericum, Calderonum,
" propinquum illum, hunc familiarem suum,
" quos eximere discrimini & conseruare potuis-
" set,

„ ſet, vtrumque iudicijs & carceri reliquit: ibi-
„ que Dux mortuus eſt. Amicitiae iura, quae
„ ſibi cum Calderono fuiſſet, in proximos eius
„ deprompſit.

Sicuti Sol parens vitae mortalium eſt: ita ſubiectorum omnium pater eſt Rex: idque gerit erga ſuos nomen, aequale certe paternae caritati, ſi minus vnica illa & propria voce accomodatum. Atque caritatis & neceſſitudinis, vinculique huius cauſas habet regia maieſtas, quae, ſi non ſingulos certè vniuerſos attingant, atque complectantur. Sed enimuerò, neque conſtat patrium id Regi nomen erga ſubiectos, niſi ſubiecti etiam ipſi fungantur erga Regem officijs & pietate filiorum: neque filij Regis appellandi ſunt, niſi eum fide, & amore, ac reuerentia antehabeant patri ipſi, qui procreauit vere, & ſuſcepit. Altera ſanguinis, altera amoris fundamento paternitas nititur. Et magnitudine anteſtare amor hic debet, quia neceſſitate prior etiam maiorque eſt. Neceſſitas ex eo, „ quia conſtituit rem, non autem ſequitur: ne- „ que ſemper ſequitur. Principem, qui non „ anteponit caritate vniuerſis, hic veluti iam „ abdicato patre viciſſim abdicandus patri eſt; „ ita ſcilicet, vt, & Princeps, ex patre domi- „ nus, & ipſe pro filio ſeruus fiat. Si forma „ Principatus inſtitueretur, cuius populares „ atque ſubiecti ſimiles huic eſſent; in eo ſcilicet „

vt rem ſalutemque Principis, rebus & ſaluti ſuae anteferrent: ibi prohiberi ac vetari nihil attineret. Capitalia verba, Meum, & Tuum, quae rem conſtituunt faciuntque priuatam, ea publicam euertunt, niſi id, quod cuiuſque eſt, commune fit, atque ab ſingulorum poſſeſſione & vſu, in omnium iura commigrat. Viderat hoc ſapientiſſimus ille, qui Reip. formam qualem eſſe debere cenſebat, finxit atq; deſcripſit. Ex ea ſuſtulit vincula ſanguinis & diſcrimen omne fortunarum. Non ſane ille in cognoſcendo, ſed in emendando errore hallucinatus eſt. Quippe, eductam è ſuo campo Virtutem redegit in neceſſitatis anguſtias; atque hanc ibi reliquit veluti ſolitariam, peſſime circumſcriptam atque deſtitutam. Remedia, quae petere iſte debuerat ab legibus & aequabili deſcriptione iuris inter ciues, quaeſiuit perperam, ea ipſa diſſoluendo, quae parens omnium natura conſtituiſſet. Maluit rem cupere nulli expetendam, quàm id exquirere, quod non effici, non reperiri poſſe cenſebat. Et ita nimirum fit. Dum magnis humanis erroribus remedia parantur, ad errores delabimur alios, non pares modò prioribus, ſed ſaepe grauiores. Non autem videntur, quia creduntur fere neceſſarij, & interdum etiam eſſe deſinunt, quia vtilitas errori adnexa eſt. Extremis malis remedia etiam extrema admoueri oportet: nec extrema iſta vnquam apta

 vel

vel salutaria sunt, nisi ex comparatione peiorum.

„ Ad munera & honores administrationemque rerum produxit non sanguine sibi coniunctos, sed quos dignos esse censeret. Castellae Praesidem quinetiam dimouit idoneum & ab stirpe fidum sibi, vt magis idoneum ei muneri alterum imponeret, qui, neque vllâ ipsum necessitudine attingebat, & aegre accepit, quòd ab dulcedine otij abduceretur, cui sese tradiderat.

Indecorum Principi atque inutile est, si excellenti virtute homines, qui otium adamauere, tabescere otio sinat. Namque suspicio ita praebetur, aut parum cognitam, aut iniquam eam esse virtutem; In exsilio eos, etiam si principes ipsi non collocauere, relinquunt; idque nihil ab eo distat, tamquam eiecerint vltro atque ablegarint.

Animantia quoque muta, si caulas & cubilia petiere ante noctem: tempestatis procellaeue imminentis id fere praesagium accipitur. Non tam praesagiunt, quàm faciunt haec abdita virorum capita tempestatem; haud sanè, quod mala vlla rebus ipsi importent (radium namque diuinitatis Virtus nocere nescit) sed quia secessu suo bonum subtraxere illud, quo malum impeditur.

Nec Principi turpe tantùm est, tales in secessu viros reliquisse: Sed ipsi quoque pecca-

uere secedendo. Qui nauare Principi operam recusat, cum nauare egregiam, atque vtilem possit; is nequior deteriorue altero est, qui propter inscitiam inutiliter nauat. Culpae partem trahit inter damna cladesue illatas; haud minus ille, qui prodesse recusauit, quàm qui nocuit vltro damnumue intulit: & officij legibus ita definitur: causam esse mali eum, qui potuit prohibere mala, nec fecit. Otium, & ex labore quies, tunc tantummodo legitima honestaque est, cùm anteceßit labor: hanc labori mercedem natura ipsa assignat. Qui nullo est labore perfunctus, mercedique tamen ac praemio huic imminet, in magno errore est, turpißimeque fallitur: neque is videt, quietem, ijs qui multa praeclare gesserunt, iusto iure concessam, praemium esse ingens; eandem, ijs, qui nihil egere, poenam & probrum. Sequuta motum quies, otio & quiete mobile instaurat: haec vbi prior motu est, infirmitatem, languoremque mouentis arguit. Motu si quis inquietatur atque fertur assiduo; prope est, vt dicam, hunc carere corpore; carere anima, si semper quiescat. Pugna quaedam in homine est, animum inter & corpus. Hoc sua deprimitur grauitate, tardaque & lenta res, à motu abhorret.
" Anima, cum sit motus ipsa principium, non
" cessat admouere corpori stimulos, & mouere
" vtique vult eam molem, speque & conatu

mouendi,

mouendi felicitatis etiam inuitamenta proponit. Corpus interdum assentitur. Verùm, vbi corpori comes anima perrexit diu, & quoad potuere processerunt, neque felicitas vspiam reperta est: hanc in motu reperiri posse desperans, & assensa fortasse corpori monstranti spem eius in quiete nonnullam, eò deducendam sese suasori permittit, oblita quid olim ipsa suaderet. Ad otia descendit igitur, vel quia decepta est: vel quia decipi iuuat: vel quia errorem fallaciamque deprehendit.

Inexplicabilis certè fallacia mortalium, errorque pudendus in eo est, quòd viuere simul, & quiescere se posse confidunt. Non verè dicitur hoc: praemium esse quietem. Ea poena est: & eiusmodi poena, quam facilius, qui diu laborauere, sustinebunt. Nulla sub celo quies datur. Ad insaniam recta decurrit, qui ceu reperturus alicubi quietem, explicat strenue gradum, idque capessit iter. Iamque insanus est, iam peruenit ad catenas & septa stultorum, quisquis hanc sibi repertam, hanc teneri manibus putat. Datur quidem, vt cessare, sed non vt quiescere aliquis possit. Quin etiam, maximus quisque cessator, maxime irrequietus est.

„ Parum fida, parumque sincera multa circa
„ rem Maiestatemue Regis inter ministros Co-
„ miti Duci notantur. Et, quando nullum in
„ praeterita remedium dabatur, nec facta quae

„ essent, infecta reddi poterant, prouidit ca-
„ uitque quantum humana ope caueri, ac pro-
„ uideri posset, ne fierent talia in posterum.
„ Scripsit opportunas in id leges & mandata
„ grauissima dedit. Prima illa lex, primumque
„ vinculum inditum corruptelis sordibusue non-
„ nullorum, integritas ipsius, & firmissima mens
„ aduersus omnia, queis corrumpi, siue tentari
„ humanus animus potest. Talemque animi
„ aduersus ea blandimenta constantiam illi con-
„ fessi & admirati fuere quibus ea non placebat.
Retundit aurum gladij aciem, deprimitque Iustitiae lances. Hanc qui venumdat, Principem quoque habet apud se venalem dummodo emptorem inuenire possit; nisi, cum illam venderet, hunc quoque vendidit iam, & ex eo quaestum fecit. Aurum, cuius laminam arguit lamina plumbi, probum haud fuerat: fallebat, fallit homo, qui respuere metallum, eique resistere non potest.

Excogitauere nonnulli Principum, ac fecere vltro hoc, vt summas pecuniarum ingentes, aurique pondera & argenti Ministris congererent; atque ita irent ingenti malo obuiam. Sic enim fieri posse crediderunt, ne Ministri mercimonium instituerent, quo venditur vna cum Principe Minister, & Princeps velut „
corollarium; atque accessio ementibus fit. „
Caeterum, aceerui nummorum, donationesque „
illae profecere nihil. Est enim satietatis nescia „
fames,

fames, quae non ritu naturae gliscit: quamue facit morbus. Non enim intestina ventremq; hominis occupauit: Sed in auro fixit sibi sedem. Auri corpus augendo, famem quoque eius augebis. Remedio est: gratiam, & pretium, & amores auferre tam expetitae & amatae rei, ita vt oculis animisque Ministrorum ea plane vilescat. Neque euilescet vnquàm apud caeteros, nisi Priuatus ante omnes ipse, vile id & in nullo honore metallum habeat. Plus valent exempla quam leges, ibique vis maior quia nulla. Hae violentia, & imperio, & denuntiatione poenarum grassantur: illa blande amabiliterque insistunt. Exempli potestas visque est, tollere desideria, mouere, atque excitare, vel potius inserere animo, & gignere affectum: fraus autem, & vitium, imbecillitasque legis, nec tollere desideria, & facere timorem. Vbi non prostat venalis ille Priuatus, Iustitia in tuto est. Plerique omneis in id accumulant pecunias, & pro se quisque aeruscare pergit: haud in alios tantopere vsus spemue magis aliam, quàm vt ad coemendum sibi Priuatum in tempore adspirent.

„ Comiti Duci nullus Priuatus est: gratias, „ affinitates, propinquitatesue nescit vbi de „ Maiestate Regis agitur. Seruitia domestica „ familiaresque ipsius, non sine authoritate mo- „ dò apud Herum, sed etiam sine spe &

„ cogi-

„ cogitatione authoritatis : non rebus negotijſ-
„ que miſcentur : non denique ſaginantur, &
„ per Reip. damna pingueſcunt. Quidam no-
„ mine Simon, diu apud Comitem Ducem hoc
„ munere functus, vt alloqui volentes intro-
„ duceret, non potuit adhuc rem facere tan-
„ tam, vt ſicut alter ille Luciani Simoniades è
„ Simone fieret, idque ſuo nomini incremen-
„ tum adipiſceretur. Et ſeruorum aliorum for-
„ tè vnus, cùm ſumpſiſſet ſibi tantummodo hoc,
„ vt pro candidato vno prenſaret in Regia
„ commendaretque Miniſtris eum hominem: id
„ vbi reſciuit Comes: ipſum quidem eiecit:
„ Eum verò qui commendatus fuerat, fructu
„ atque emolumento commendationis exſuit.

Princeps, qui Miniſtrum beneuolentia ſua & amore impertiuit, impertit ei ſimul & Principatum. Reſpondens in amore Principi Miniſter, eum in Principatus poſſeſſione confirmat. Qui verò debitum Principi amorem in alios transfert: ſtatim hic, & factus eſt ipſe rebellis, & principem fecit eum, quem occœpit amare, ſi non caeterorum, certe ſui ipſius. Ingratus iſte eſt, etiam ſi alioqui vtilis; etiam ſi ad caetera fortaſſe fidus, etiam ſi Principem amet. Amare, fidumque eſſe Principi & inſeruire, officia ſunt parteſque vniuerſorum, qui in illius imperio viuunt. Priuati officium: Sicuti Princeps eum extulit beneuolentia & fauore ſupra vniuerſos: ita viciſſim eum ca-

ritate & fide anteferre vniuersis, magis etiam amare quàm vniuersi.

Facile Priuatis erat constituere recte & componere Domum familiamque Regis, ac nouam ibi formam dare rebus, nisi difficile esset ab ipsorum domo ordiri, ac suos prius ordinasse & composuisse lares. Nam illa male corrigitur, malè vocatur ad formam disciplinamque meliorem, nisi antea haec ordinata sit. Lineae omnes illius, cui Princeps, & cuncta Principis innituntur, lineae inquam omnes hominis, qui in hunc amoris & gratiae locum peruenit, etiam illae, quae ab tecto ipsius domicilioque ducuntur, ad vnum quasi punctum & centrum pertinere debent, hoc est, ad Principis Aulam & Domum. Si Priuatus iste, ita instituit, ita gerit rem, vt propinquos, amicos, familiaresque suos ad Magistratus, ad munia Imperij euehat, & honorum fulgore conspicuos esse omneis velit, hic praepostero ordine, in sua ipsius depinxit Regia centrum, terminumque puncti locauit illic: Principis verò aedes, esse superficiem, esse alienum extrinsecumue quiddam imaginatur ipse, & imaginari alios vult. Est hoc veluti dogma decretumque Priuatorum; Properas oportere esse manus, nullo vel tempore, vel loco superſedendum, quominus ad summa & amplissima quaeque producantur, vt quisque sanguine coniunctissimus, amicitia,

vel

vel familiaritate proximus sit. Ea munimenta parari? maximas eas certissimasque opes. In eo fortasse falluntur. Certè, non optima signa praebent. Fluxa nimium, & male fundata gratia est; quae, non propriae Virtutis munimento insistit, alienis indiget. Fundamenta parieti si per solidum subdita alte & iacta sint, non opus anterismate, quo fulciatur, atque sustentetur, nisi si moles ruinosa facta est. Trabesque & fulcra illa familiares, amici, propinqui, dum subsidio firmamento assumuntur, Priuati potentiam grauabunt vrgebuntue potius, quàm vt muniant atque erigant: nec possunt illic adhaerescere quin impellant simul. In Elephantorum venatu, quibus ea cura est, frustra belluam insectarentur, frustra deijcere tentarent, nisi adminiculo denique reperto, corporis molem ipsa acclinaret. Acclinat anhelans & fatigata corpus, conciditque, quia adhaesit. Sed quid „ fit postea Priuato tunc, cùm subsidia munimen- „ ta ista parauit, quibus innitatur? Non ipse, „ sicuti destinarat, innititur; Sed terga & latera „ nitentibus illis praebet: insistuntque tanto „ saepe impetu, & nisu, vt affligant atque pro- „ sternant. Magna circumspicit cautione ac „ solicitudine Priuatus, statque apud animum „ suum, velut in specula semper prouidus, „ atque peruigil, ne laeserit facto, vel dicto, vel „ suspicione vlla Principem. Nullus enim ei „

 defensor

defensor est, nullusue qui occulta, vel aperta suspicionum aut irarum leniat, mitiget, auertat; si animus erit forte offensus atque asperatus. Contra, grex ille intimorum, qui omnes ex fortuna Priuati suspensam in tempus fortunam spemque habent, stolide audaces esse consueuerunt. Non metu solicitantur effundendae apud Principem gratiae, quae nulla est, siue cadendi ex fastigio, quod neq; attigêre, neque attingere curant: spe autem & fiducia confirmantur, ex omni discrimine emergendi per Priuati ipsius fauorem, quo penitus intimeque potiuntur. Et Princeps horum importunitatem denique pertaesus haud potest vltra differre, quin animaduertat. Puniunturque ita isti nonnunquam: atque deprehensus inter Principis iras, & eorum damna Priuatus etiam ipse sternitur, dum sternuntur illi & cadunt.

„ Vidit Comes, crescente in dies luxu, dis-
„ solui paulatim, & Reip. statum, & singulorum
„ fortunas labemque factam, quae per omnia
„ Hispaniae Regna pertineret. Ei malo occur-
„ rendum ratus, statuit sumptibus modum, &
„ omnia, per quae pecunia prodigitur, lege
„ lata restrinxit: Coercitusque luxus ea censu-
„ ra mirifice est, sed multo magis, Regis, &
„ Aulae totius exemplo: quale Vespasiani tem-
„ porum exemplum clari scriptores, & retulere,
„ & admirati sunt.

Tale quiddam postulauerat etiam à Tiberio Senatus, vt scilicet Principis authoritate, modus argento, supellectili, familiae poneretur. Verùm ille rei inuidiam euitasse maluit, magna animi infirmitate, si timuerat, calliditate, si metum simulauit. Responsum eiusmodi fuit, quasi rem fore plenam odij ancipitisque euentus arbitraretur. Et fortasse ita esse potuit sub Principe, qui, vel prope à Tyranno aberat, vel Tyrannus certe credebatur. Sed & astutissima mens eius prospicere potuit damna, quae inde sequerentur: credibileque est ipsum, id quod effici, tentari, mouerique nollet, ceu difficile, & nullo modo tentandum in Senatu iactitasse. Principes qui ingenio sunt eiusmodi, non corrigendis hominum moribus, sed ad facienda pericula scribunt accomodantque leges: & eas laqueos vere potius, quam alio vllo nomine appellare posse videmur. Tyrannorum est, fuitque semper, & erit spoliare subiectos: maluntque locum & occasionem praebere patrimonia perdendi, atque consumendi, quàm ea sancire per quae vlli homines ditescant. In exquirendis caussis, quae Tiberij cautissimum animum inhibere potuerunt, ne Senatui super ea re assentiretur, hanc quam ego attuli caussam Scriptor Tacitus ne tetigit quidem: credo, quia non probabat eam: & sane, neque proba, neque honesta est. Pecuniae, si coaceruatae, sibi uni

conge-

congestaeque sint, poterunt vsui esse ad conciliandos per donatiua singulorum animos. Nulla enim priuata arca quamuis referta multiplexue, scribendis armandisque exercitibus sufficere poterit. Eaedem per honesta erogatae, efficient, vt qui erogauere, communi plausu, & faustis vbique acclamationibus omnibusque celebrentur.

Munificentiae operum cupiens auidusque Populus est. Monstrat natura ipsa multitudini hoc, ingentium rerum patratricem esse magnanimitatem. Etiam si clausis multitudo oculis coecorum more pleraque transmittat: non tamen ipsa coeca est. Solem licet non sicuti est videat, videt vbi est. Saepius Principes in plausu atque aestimatione diuitiarum coecutiunt atque hallucinantur. Ipsi pluris faciunt opulentos: ea sumptuosos anteponit. Auaritiam abominatur: Munificentiam sine fine laudat, quia spe alitur fruendi atque habendi munificentiae partem, non rapiendi siue vsurpandi, id quod auaritia seposuit atque constipauit. Populus ille nobilior, & semota plebis faece, non humi serpens multitudo, haud quaquam in tanta est inscitia & humilitate, quantam nonnulli propriam eius esse opinantur. Semper animis & curiositate spectat virtutem; ac si minus fortè videt, quàm Princeps, minusue sapit, quàm nobilitas: minus etiam timet quàm ille, minus angitur

inuidia, quam haec. Non malignitas liuorq;
que populo. telis appetere atque configere "
Virtutem inermem, hanc exturbare per dolos. "
Si eminet clara aliqua, & nobilis virtus; hanc "
Populus agnoscit: agnitam reueretur atque "
effert. Inde est, vt magis suspecta debeat esse
Tyranno pecunia, quae insumitur, erogaturq;
quàm quae accumulata augetur simul & iacet.
Facilius enim per plausus consensumque popularem, quam per exercitus & arma ciues
ademerint ei Imperium.

„ Balthasar Zunica decessit. Eoque mortuo
„ Comes Dux, ne moli vniuersae rerum atque
„ negotiorum succedere cogeretur; Regi per-
„ suasit, vt è Procerum numero treis notae vir-
„ tutis ac fidei ad negotia consultanda destina-
„ ret. Ij fuere, Augustinus Mexia: Marchio
„ Montis Clari; & Fernandus Giron. Per eos
„ institutum, vt de rebus omnibus, quae decer-
„ nendae agendaeue essent, referretur subindo
„ ad Regem. Et Rex deinde relatione accepta,
„ sententijsque auditis, prout quidque probas-
„ set, siue improbasset, statuere, decernere,
„ mandare debebat. De ea re consilioque III.
„ Virorum instituendo codicilli Comitis Ducis
„ ad Regem in manus quoque nostras perue-
„ nere scripti non minore altitudine animi (po-
„ tentiam enim, & gratiae Principatum exaduer-
„ so feriebant) quàm eloquentia, & pondere
„ sententiarum, & super omnia, teneritudine

amoris

„ amoris in Regem : Inerat breuiter compre-
„ hensa, & inclusa forma perfectae dominatio-
„ nis, Imperijsque absolutissimi, & ea summa
„ litterarum fuit.

Codicillos eos, aliosque complures pari prudentia, & suauitate conscriptos à Comite Duce ad Regem, videbam ego, si huic Operi includerentur, & lumina fore narrationis huius, & simulacra magni animi magnaeque sapientiae, quae Comiti Duci diuinitus tributa est. Sed quia, inscio ipso (Deum huius rei, si licitum est, facio testem) ad scribenda ista adieci animum: parum ciuile existimaui diuulgari per me ea, quae scripsisset ipse, nec vulganda dedisset: Sed annuet fortasse ille aliquando, veniamque dabit, opinor, vt ab magis idoneo Scriptore in volumina conferantur: idque si factum ita erit, constabit Comiti Duci gloriae fructus ille, vt posteritas omnis sciat, primum fuisse ipsum, qui, & Priuatis erga Principem, Principibus erga populos Christiani officij viam tradiderit.

Scribendi forma Comitis Ducis ea fuit, quam Priuati caeteri in Principibus, Regibusue admonendis si sequuti erunt, duo ista coniungent; & modestiam erga sapientiam, virtutemque Principis, & officij sui libertatem.

„ Procul à negotijs, prudentia, arteque Pri-
„ uatorum haberi Principem, captio quidem ea,
„ nonnullo fortasse effectu vtilis esse poterit;

honestas certè causas habere non potest. Si prudentia id effectum repertumque est: infaustum è Principe signum erit. Sin autem astutijs & sagacitate: pessima signa Priuati. Ita enim, aut scelestus hic, aut negotio impar ille declaratur.

Fuere, qui crederent, altum hoc, & irreuocabile decretum esse Priuatis inter gratiae potentiaeque retinendae artes: vt scilicet, nulla negotia Principem attingere paterentur, ac sedulò semper eum inde remouerent. Sed forsitan ità fieri debere censuerint, quia factum esse repererunt. Sententiae placitique eius authores, haud aliter faciunt, quam si effigiem vnam aliquam, & singulare simulacrum ad Vniuersi generis formas conuenire posse contendant, in Mundo scilicet Vniuersitateque hac, in qua, Naturae opus illud singulare spectatur, id quo ipsa molita est; vt nullae similitudinis indiscretae facies reperiri possint. Si optima praecepta dare velis ei, qui nunquam optimus fuit, quiue domitis ceu frenis " in aula, & derupta fertur impetu suo; id " sane erit nihil aliud quam impellere, & prae- " cipitare ruentem. Prima curatione, nonnisi " mediocriter is curatur. Sanandus prius ille est; " deinde coloris & virium habenda ratio, de- " corque tamquam corpori addendus. Priuatus " haud dubiè ille, qui nequam & infidus ipse " Principi est, si nondum curata sua aegritudi- "

ne tabeque depulsa, res gerere atque admi-
nistrare Principem sinit; cunctaque permittit
illuc, praecipitat, & praecipitij manifestus est.
Princeps ille medicorum, & ille vere moris
antiqui senex, medicum aiebat, vbi in mor-
bosam intemperiem alicuius forte incidisset,
non statim id tentare debere, vt corpus tabi-
dum, & pessime affectum illud, in eum sta-
tum adducat, quem esse vellet, sed in eum qui
fuerat prius. Natura, sicuti connititur omni sua
ope & praesto est ad pellendam intemperiem
sua deteriorem: ita meliorem aliam recipere,
contumax tunc, & obstinata recusat. Huc for-
tasse respexerat etiam ille, qui semiprobam
Tyranni mentem optarat, non quia vellet in ea
mediocritate perseuerare tyrannum; sed quia
censuit, non posse statim altius educi, nisi ita vt
euerteretur.

Priuati sapientissimi huius exempla & institu-
ta callidioribus illis inutilia essent. Cibatus, &
alimenta robustorum pestifera aegrotis sunt.

» Tributa, vectigalia, portoria nonnulla cùm
» instituerentur, senserat Comes Dux populi
» querimonias aegrè ferentis in id quaeri pecu-
» niam, vt materia largitionibus esset. Scripsit
» igitur codicillos ad Regem, in quibus ostende-
» bat damna vitiaque & errores huius inuetera-
» tae consuetudinis Principum, exigendi à popu-
» lo quod amicis donent. Non deesse Regi mu-
» nera, titulos, ordines, alia, quae dispensando,

» & diuidendo, remunerari arbitratu ſuo beneme-
» ritos poſſet, abſque, vel aerarij detrimento, vel
» querelis, & dolore ſubiectorum. Ex eo die,
» Rex inſtituit, pecuniae loco aſſignare iſta, quae
» pecuniam ſimul, honoremque ferunt; eaque,
» relictis exactionum nouarum ingenijs, praemia
» reperta virtuti.

Diuitiae, non virtuti, ſed labori pretium ſunt: Virtutem quiſquis emit, ſordidam vilemque facit: hanc, qui venumdat, eſt ſordidus iam viliſque factus. Virtus, actione ſua, praemia ſibi peperit ſtatim: peperit namque honorem, quem, quicunque habet, nihil expetere vltra poteſt praeter inſignia aliqua eius. Huc pertinent; munera, tituli, graduſve quidam, dignationes, ordines, & habitus, ſiue inſignia ordinum. Huc pertinuere nota & exoleta iam illa veterum: corona ciuica: corona muralis: torques & triumphi, triumphaleſque portae. Praemia autem etiam haec, ſi quidem augent honorem, non vtique gignunt. Deperit quin etiam exciditve inde quicquid honoris antea inerat; vbi nimirum ad eos venêre, quibus honor antea nullus. Fuit olim, cùm praemia larga darentur, neque exhaurirefur aperireturve interea aerarium: eaque ipſa foecundiſſima virorum illuſtrium aetas fuit. Tunc enim praemij plurimum habebat virtus cùm praemij nihil habebat accipiebatve. Pretium ingens erat honor: id virtuti tantummodo praemium erat. Sed vbi id, quod "

fuerat per se pretium, pretijs pensari atque aestimari alienis coepit: & gratia pondusve decessit huic; & animi conciderunt. Mercenarius honor, mercenaria virtus facta est; hominesque decurrere coeperunt ad ea potius, & libentius, per quae emere, quàm ad ea, per quae mereri honorem possent. Aperuere huic flagitio portam, viamque dederunt Principes illi, qui pecuniarum egentes, plus honoris habuere auro, quàm virtuti. Neque erat, cur aurum ipsi egestate vlla expeterent, si non, adimendo virtuti pretium, & honorem, pretia, & momenta necessitatis auro indidissent. Sparta perdiu nescierat aurum: & Romani prius, diutiusque id nesciere: vel si habuere, contemnebant. Imperia saepe adoleuere sine pecunijs: absque virtute nunquam. Sed fortasse dominantium interfuit, non tantam authoritatem, tantumve nomen esse virtutis. Nam, haud semper ipsi virtute, diuitijs quidem semper ante alios omnes pollent. Pretium fecere rei, quae adest semper eis, vt fortunam suam munirent aduersus aliam rem, quae interdum deest.

Madritum in Regiam iuit Icij Princeps An-
" gliae Regis filius ob Infantem Mariam Catho-
" lici Regis sororem, quàm sibi matrimonio ex-
" petebat. Adduxerant eum, & aliae res, prae-
" cipuè, quae ad Palatini sui consobrini causam
" pertinebant. Cùm sententiae variae dicerentur,
" Comitis Ducis ea sententia semper, idque con-
" silium

filium fuit. Si Angliae Rex Catholicae Religioni concedat ea omnia, sine quibus matrimonium hoc iniri non potest: tunc Maiestas Vestra omnia vicissim Anglo dabit, quae saluo Imperij Statu danda erunt. Haec apud Comitem Ducem summa sermonum erat, neque deduci vnquam inde potuit, quamuis, & alij ostenderent, & prospiceret ipse, Austriaci nominis inimicos, hoc sibi adiuncto Rege longe fore potentiores, si abnueret ille totam eam de Catholica Religione conditionem, quemadmodum, & abnuebat, & apertè profitebatur, nunquam se ei conditioni assensurum. Mansit ad extremum in sua sententia Comes Dux haud ignarus interim, quaenam ex eo conspirationes, & quae bella sererentur: haud ignarus etiam, quandocunq; Mars ingruat, nemini magis, quam Priuato sentiri damna, quae bella secum ferunt: interpellari quietem praecipuè ipsius; turbari fortunam; incidere curas, aerumnas, necessitates alia, quae in priuati maxime caput eant. Quòd fuerit consilij huius author Comes Dux, & quantum ex eo laudis, tulerint, ipse sanctiorque Senatus Hispaniarum Imperijque Catholici stylo hoc meo res haud indiget. Hunc ego depono iam ad Vrbani VIII. Sanctissimi Pontificis pedes, ibique me ipsum piè, ac reuerenter, sicuti decet, vnà prosterno. Ac sicuti fretus coelesti lumine splendoris huius, qui, aut errare non potest, aut errare nescit, cursum

hunc

hùnc laudum & gloriae Comitis Ducis, securò animo ingressus fueram: ita radium nunc partemque tantae lucis transmittere alijs etiam volo, vt acies firmetur eorum, qui satis vident: aliorum verò tenebris, & coecitati relucescat dies, qui oculos aperire abnuunt, pertinaciae suae pudore confundantur.

„ Pontifex Vrbanus ad Comitem Ducem Apostolicas litteras dedit hoc exemplo.

Dilecto filio nobili Baroni
Comiti de Oliuares.

VRBANVS PAPA VIII.

» BARO nobilis. Dilecte fili salutem & » Apostolicam benedictionem. Monarchiae » Hispanae fama praedicatioque communis No- » bilitatis tuae consilijs eiusmodi plausum dat, » vt ipsa Catholici Imperij felicitas, ad tui nomi- » nis famam authoritatemque redundet. Nam » laudes Comitis Ducis de Oliuares, nuntia ve- » ritatis illa diuulgans celebransq; constanti prae- » conio virtutes, late peruagatur Europae to- » tius Regna, & Romanam Ecclesiam vnicè » consolatur. Nos certè, cùm tuae Nobilitatis » notitiam antea accepissemus, vix nunc explica- » re possemus, quanta animi nostri laetitia & » iucunditate audierimus ea, quae dilectus filius » Frater Zacharias Capucinus exposuit, cùm ille demon-

„ demonstraret, & quantò pluris facias bonum „
„ nomen, quàm diuitias multas: & quemadmo- „
„ dum sanctae fidei propagationem Catholicae „
„ Hispanae potentiae esse firmamentum putes, „
„ honoremque Regis in ea positum esse persua- „
„ sum habeas. Significauitque idem,tua consilia, „
„ tuum zelum eiusmodi esse, vt, & Domui tuae, „
„ Coeli patrocinium, & Hispaniae Regnis perpe- „
„ tuam felicitatem, magis magisque quotidie „
„ confirment. Nam in Anglico matrimonio, de „
„ quo agebatur ea praesertim Christianae pieta- „
„ tis documenta edidisti, vt externi Principes „
„ etiam vel tuo vnius exemplo erudiri possint „
„ clareque intelligere, quas virtutes Catholica „
„ Religio filiorum suorum animis inserat, apud „
„ quos gloriae diuini nominis, quàm potestatis „
„ humanae potior cura priorque est. Hae tuae „
„ laudes tam illustri optimi sacerdotis testimo- „
„ nio comprobatae, tantam nobis inter huius „
„ Pastoralis officij curas attulere consolationem, „
„ vt Apostolicis hisce litteris eam testatam esse „
„ vellemus. Perge Nobilis Baro, atque effice „
„ consilijs laboribusque tuis, vt Hispani Imperij „
„ Regna Prouinciaeque intelligant, indiuidua es- „
„ te haec, salutem publicam, Ecclesiae iura: & „
„ tuae Nobilitatis authoritatem, cui benedicti o- „
„ nem Apostolicam impertimur. Romae apud „
„ S. Petrum sub annulo Piscatoris die 27. Aprilis „
„ anno sal. 1624. Pontific. nostri primo. „
*Io. Ciampol.* „

idi Prin-

„ Princeps Icij asperato animo, cum rediisset
„ in Angliam, consilia sua & iras cum alijs Imperij
„ Catholici aemulis coniunxit in eo fœdere quod
„ Auenione firmatum, initumque est. Conditio-
„ nes hae fœderis manauere: Brasilem Holandi
„ tentarent inuaderentque. Cum Sabaudo Gal-
„ lus Liguriam aggrederetur. Anglus classe Ga-
„ des iret. Rex Danorum, totaque secta Pro-
„ testantum, Imperium Caesaremque turbaret.
„ Veneti Sabaudum pecunia, commeatibus pe-
„ cunijsque Rhoetos iuuarent, vt gens ea Vultu-
„ renam Vallem, quae dicitur occupare, ac
„ recipere posset. Pax, Turcam inter & Persa-
„ rum Regem omni ope conciliaretur, vt Turca
„ Pannoniam Bethlemo Gabore Daciam irrum-
„ pentibus, cuncta fœderatorum armis ab ea par-
„ te infesta nomini Austriaco fierent. Holandi
„ bombardas, siue tormenta artificiaque, & libra-
„ tores Mauris Africae primo quoque tempore
„ submitterent. Hi Mamoram & Larassam, quae
„ sunt Arabiae felicis & Mauritaniae Tingitanae
„ loca, occupare, vel obsidere debebant. Hanc
„ turbinum vim diuini fauoris aura dissipatam,
„ disiecere simul Rex Catholicus, & Comes Dux,
„ ita vt, & Regi Comitem Ducem, & Deo Re-
„ gem in comprimenda ea flantium, siue conspi-
„ rantium vndique ventorum importunitate,
„ ministrum fuisse appareret. In Brasilia naues
„ Hispanae rem prospere gessere aduersus Ho-
„ landos: & recepta feliciter loca, quae rebelles

„ ibi occuparant. In Ligures, in Vulturenos duo
„ diuersi exercitus mira celeritate comparati, &
„ missi. Alter Genuam in vltimo penè discrimi-
„ ne defendit: alter Vallem Vallisque incolas ab
„ haeretica colluuione tutatus est. Ad Gades
„ Angli adeò nihil opportuni repererunt, adeò-
„ que consilijs armisque Catholicis instructa &
„ parata ibi omnia fuêre, cùm ipsi expectarentur,
„ vt postquam aduenere, trucidati eorum ad
„ quinque millia fuerint. Caeteri perterriti, do-
„ mum, attonitique, & nequicquam fatigati redie-
„ runt. Holandi amisere Bredam. Danus prae-
„ lio victus aegrè euasit quominus in fossa oppri-
„ meretur. Afri à Mamorra & Larassa, magna
„ sua clade repulsi fuerunt. Finis rerum tunc in
„ eo, vt pace ad Monzonum facta (id loco no-
„ men) Ecclesiasticae rei authoritas increlceret.
„ Regi Catholico ab omnibus, pio, victori, felici
„ plauderetur: & Comitem Ducem fama cele-
„ braret: ac sicuti Regis auspicijs, ita consilijs eius
„ administrata cuncta scirent faterenturque
„ etiam hostes.

Foederum haec natura est. Si feliciter & ex animi sententia procedat res, obtrectatio (ea enim zelotypia est) suspicionesque mutuae dissociant, alienantque foederatos. Si nihil efficitur, damnaque increbrescunt, tunc eiusmodi societates consiliorum & armorum, mutuo item timore dissoluuntur. Rarum autem est, vt coalita magnis ardentibusque animis foedera

t haec,

haec, magnum aliquem fortunatum felicemve exitum habere posſint, niſi ſtatim habuere. Foederum foederatorumque vires ſi dimenſionis regula definire velis, latiores quàm longiores eſſe recte dicas. Ab mediocri enim fere potentia proficiſcuntur, & mediocres fere dominationes eſſe conſueuerunt iſtae, quae coniurant Atque aeraria eorum, qui Monarchae non ſint, nimium citò Mars nudat.

Foedus omne corpori aſſimilari poteſt properae, ac celerrimae corruptionis. Ad materiam vſque priorem ſaepè reſoluitur, ac veluti delapſa in cineres face, materia illa prior, ceu potentia facultaſue nuda ſubſidet.

Scientiarum & artium pleraeque rem ſibi obiectam eandem habent, in quà verſentur atque exerceantur: ſed modo nunquam & ratione eadem obiectum ſibi illud conſiderant, & ſpectant. At licet vnanimes atque concordes moueantur erga rem obiectumve illud: nuſquam tamen vna & conſentienti actione inter ſe congruunt. Ad corpus idem ſutor Phyſicuſque accedunt. Sed ille, vbi veſtem arte ſua corpori humeriſque iniecit, relinquit, abſcedit, quia non ſemper veſtiendum ipſi eſt. Medicus item eòdem accedit pharmaca potiunculaſque ferens: ſed vbi functus munere ſuo eſt, abijtq; morbus, abit ipſe pariter corpuſq; relinquit, non ſunt morbi ſemper; non ſemper pharmaca potiunculaeque medicatae requiruntur. Phy-

ficus vnus, & naturae viſcerum ille ſpeculator, adhaeret mente, & ſpeculatione ſua corpori ſemper, quia ſemper id mobile eſt. Foedera ineuntibus varietas aut concordia haec. Potentiam vniuerſi ſpectant, eòque reſpiciunt: ſed ob conſilia cauſaſque diuerſas: alij; quia damna inde vel accepere, vel accipiunt: alij, quia timent: alij, quia aegrè tantummodo ferunt,& ſtimulis inuidiae ſolicitantur. Ex damno refecti priores, diſcedunt, foeduſque relinquunt; quia, non ſemper damnoſa ipſis potentia illa eſt: Alteri, ſi metum poſuere, conquieſcunt, quia, non horribilis & tremenda ſemper. Demumque pars tertia tantùm remanent inuidentes, quos agit inuidia ſemper, quia ſemper item potentia inuidiam mouet: ſemperque inuidenda eſt.

" Donatiuum ingens Comiti Duci Rex obtu-
" lit: feceratque poteſtatem, ab noua Hiſpania in
" Sinas mercimonia euehendi, quae euectio pecu-
" nias ei tuliſſet immenſas, ſed damnoſa eadem
" nouae Hiſpaniae populis fuiſſet. Recuſauit
" vtrumque Comes Dux, ne ſuarum legum ſanc-
" tor idem & corruptor dici vnquam poſſet.

Ne mihi quidem recuſatio Comitis Ducis haec laudanda eſſe videretur, niſi admiranda facta eſſet ab inſcitia hominum, qui vtilitatem imò neceſſitatem conſilij eius non videre, non agnoſcere potuerunt. Dona diuitiaſve accipere, quae acceptae, dedecus, repudiatae glo-

riam afferre possint, animi est, aut humilis & abiecti, aut planè vaecordis. Animae ingentes illae quidem, haud tamen classis ordinisque huius, ad Gloriae templum illae sanè conuertere iter; sed adeò difficilis arduaque semita est, vt quaeri vehiculum oporteat. Vehicula virtutem alij sibi faciunt; plerique vehiculo diuitiarum commodius expeditiusve deportari se se posse putant. Ita, & ignoscendum eis, qui gloriae adiumenta quaesiuere opes; & vituperandi qui dedecus inde sibi quaesiuerunt.

Non porrò Comes Dux abnuit recusatve stipendia munerum ac personae eius quam gerit. Gloriosas sententias, & magnifica dicta hominum, qui cynico fastu detestantur opum omne genus, non ille plausu excipere solitus est.

Virtus (de ea loquor virtute quae in moribus posita est) non constat prouenitque ita si pauper aliquis sit, sed ita, si faciat se se pauperem. Non cultor, sed contemptor pecuniae dicendus est, qui pecunia vtitur. Diuitias, qui auersatur, & pauper est, nequam & stultus insanusque, crudelis Pelago, qui tradidit eas olim: ineptè egentissimus, factus ille est: & commodis aliorum in amentia sua inuidit. Magnifica & praeclara definitio eius, qui, & possidet honestè diuitias; & honestè consumit. Magnanimus diues sapiensque liberalis rectè dicetur. Magna laus in contemptu diuitiarum est, fateor; sed laudabilius altiusque contemnit quia

habet

habet atque dispensat, quàm ille, qui, aut habet ac proijcit: aut non habet, & fugit. Non contemnit iste, sed aut timet, aut inuidet? Illorum magnitudo animi elucet: ieiunitas horum vanitasque manifesta tenetur. Sustulit magnanimitatis partem liberalitatemque totam ex albo compendioque virtutum ille, qui erasit ac deleuit è sapientis pectore diuitias. Virtutem fugit ipsam, qui fugit alimenta virtutis. Philosophantium ille, qui assumpserat ex morum disciplina sibi nobile cognomentum, quive contemptu hoc atque detestatione diuitiarum magnificus praeclarusque incessit, tantas habuit postea diuitias, vt earum magnitudine contemneretur. Et cùm antea sua ipsius dicta contrarijs dictis euertere consueuisset; tunc sua dicta contrarijs factis euertit vbi tantùm opum accumularat. Claroque documento testatus est, & tunc se diuitias contempsisse cum non haberet, & nusquam eas contemni debere, nisi cùm timeri etiam possunt.

„ Animaduersa lentitudine ac dilatione tribu-
„ nalium in rebus consilijsque tractandis ob con-
„ tentiones & certamina dignitatis, quae dies, &
„ actionum tempora iurgijs occupare solerent,
„ dum alij alijs praecedere se se aequum putant;
„ habito Virorum delectu Comes Dux, ex ordi-
„ nibus Tribunalibusue singulis elegit singulos,
„ Consiliumque nouum instituit, vt esset, quò
„ difficultates, & impedimenta quotidiana refer-

rentur;

„ rentur; eaque res & is ordo institutus, mirum
„ quantum Imperio profuerit, Maiestatique &
„ subiectis.

Etiam Imperatores exercituum belliquc gerendi administratores faciunt vsurpantq; hoc, vt ex turmis cohortibusve singulis, optimum, & sibi probatissimum quemque secernant. Id postea agmen ad subita, & opportuna rerum in procinctu stare iubent semper. Volaticum appellant, vt quocunque res poscat, euolare possit.

Singulas humani corporis partes, natura, opinor, instruxit spiritibus quamque suis, quò promptius munere quaeque suo fungantur. Sed haud contenta Parens artificio hoc & descriptione communi partium spirituumque vniuersorum, singulos hinc inde sibi decerpit spiritus atque delibat, & agmen in statione ac vigilia collocauit hoc, datis partibus, munereque assignato, vt vniquique subeant in partium aliarum vicem. In metu ad praecordia decurrunt: occupant in pudore vultum: vitales spiritus, & „ animales aeque sustentant. Desumptos autem „ esse carptim è partium singularum vnaquaeque, „ argumento est, quòd vbi isti vehementius in „ partem incubuere aliquam, partes caeterae „ destitutae languescunt.

Haud leue virtutis opus est, celeritatem dare „ negotio. Profert vitae spatia nobis, quicunque „ spatia & interualla illa circumscripsit. Reperit „

etiam

etiam in negotio libidinem ingeniosa mortalitas. Lux & libido negotij, verborum honores fucique, & fastus, ambitio, certamenque praecedendi, aliave, quae circumstetere inutiliter, nectentia moras & extrahentia tempus. Vtilius penè, fuerat, modum, & terminos apposuisse negotio, circumcisis, quae inutilia, & vana, quàm mensae delicias, paratus aedium & pretia vestiendi compescuisse: tantò vtilius inquam, quantò, tempus quod perditur pretiosius est pecunia, quae consumitur. Quaeritur de vita sua genus humanum, quòd nimium breuis aeui ea sit: semperque homines, tamquam diutissimè duraturi ita agunt & viuunt. Otia incusantur: & simul negotia vertuntur in otium: ibi vita consumitur; ibi emolumentum, & compendia vitae. Breuem eam dicimus cùm longa sit: plusque superest nobis, quàm quantum sumitur atque adhibetur. Habet hoc natura mortalium, vt querula sit. Statim vbi prodijt homo in lucem, debuerat venerari atque adorare hanc authoremque ipsius: & statim ingemiscit atque lamentatur. Statim, vbi ratione vti coepit, aerumnosam suauitatem appellare incipit: vt processere anni, immemor querelae huius, angitur expostulatque, quòd fugiat ocyus, ac sibi eripiatur. Immane, quàm longa vita nostra sit. Via namque ea est, ab terra ferens in Celum. Breuiorem ille fieri cupiuerat, qui dissolui cupiebat, & esse cum Christo. Nimium fit tanè

vita breuis ei, qui aberrauit itinere hoc, & rectà ad inferos tendit.

" Fautor bonorum apud Regem est: ac, si qui
" in Regis obsequio ministerioque aliquo acta
" laudabiliter aetate, eò peruenerunt, vt quiete
" indigeant, non inopem requiem vacationem-
" que honestam, & velut emerita stipendia, his
" impetrat. Ita Franciscus Contrera Castellae
" Praeses, alijque plurimi optimi, & honorati
" senes, humanitate, & commendatione Comitis
" Ducis, relicto munere ac labore, stipem splen-
" doremque tenuerunt.

" Homines, quos sua quemque vtilitas, & stipendij amor, contulit in ministeria Principis, detineri etiam stipendijs vtilitatibusque istis debent, quamdiu seruitij, & operae nauatae tempus durat. Vbi operam nauare desierunt; mercedem etiam atque emolumenta finiri par est: vt idem sit praemij qui & laboris finis. Nusquam enim, nec opera sine emolumento, nec emolumentum sine opera est, vbi cum hominibus atque ministris eiusmodi agatur. At ei, quem erga Principem amor, Principi addixit atque consecrauit, nusquam subtrahenda merces finiendaque est. Nam, etiam si ministrare is desinat, amare nón desinit. Nullum est, neque foecundius, neque minoris impendij praemium eo quod aetati vltimae alicuius, & decrepito iam seni datur. Ea silicernio & capulari seni data assignataque merces implet

Aulam,

Aulam, trahitque multos, nec aeraria exhaurit.
Pauci metam eam attingunt: pauci postquam attigere, durant; & pro se quisque se se peruenturum illuc, maxime confidit. Nam, sicuti timor omnia semper expectat, quae accidere possunt: ita desiderij cupidinisque humanae est, nihil vnquam desperare, quod aliquando factum fuerit.

" Vnica filia Comiti Duci erat. Hanc, quoniam
" vnica esset, statuerat, cogitaueratue Pater, in
" matrimonio collocare alicui suae stirpis; atque
" circumspecta diligenter vniuersa cognatione,
" quatuor iuuenes Regi nominauit, vt quem vi-
" sum maxime esset, eligeret. Respondit Rex,
" sicuti sapientiae eius celsitudinique animi con-
" ueniebat: Eum maxime probabo, quem vos
" ante caeteros dignum esse censueritis. Eligite
" vos: nostra deinde cura erit, ornandi Generum
" filiumque vestrum.

Vana semper praedictio futuri, quae petitur ab astris: sed nusquam vanior est ea Ars, quàm vbi stellas immiscere matrimonijs ingressa est. Non enim homines, prout inclinauere animis, sanguinem genusque consociant, instinctuve suo ducunt vxores, aut collocant, si quae in manu ipsorum fuere: sed vtilitates quique suas in eo delectu sequuntur. Id causae est, cur in familijs temperamenta mutentur. Quippe vtilitas temperamenta & matrimonia non afficit.
Sanè voluntaria connubia cuncta sunt. Fateor: "
sed voluntate sunt ea, quam facimus nos, non "

quae nobiscum facta est. Non semper in matrimonio ineundo, is, caue eligenda est, quem, siue quam sui cuique mores monstrauere. Rarò temperamentum exquisitum siue perfectissimum vlla contingit: ac si id claudicet, caetera deinde claudicabunt, & vitiosa reperientur. Tutius, & minore fallacia quisque sequetur stimulos instinctusve, & incitamenta procreationis, prout in quemque vel quamque magis ducent. Nam temperamentum fere appetit aut simile illud, cui conseruatio, aut contrarium id, cui correctio sui inesse possit.

„ Comes Dux, in genero eligendo non animi „ sui libertatem, aut coniecerat, aut conijcere de„ buerat in eas angustias, vt haud aliunde, quàm „ è sua ipsius stirpe, & domo generum sumere sta„ tuisset, nisi reperisset in domo eum, quo fortasse „ meliorem, non potuerat inuenire, quacunque „ Imperij fines patescunt. Marchio Toralis fuit.

Si codicillos & exempla litterarum inserere mihi licitum esset, quae à Comite Duce ad Marchionem scripta fuere, tunc, cùm generum eum sibi destinarat: haud equidem ambigo, quin cuiuslibet Imperij proceres vtiliorem inde sumere disciplinam ad vitae fortunaeque suae regimen possent, quàm ex omnibus alijs, quae de toto hoc genere ego commentatus sum, & vndique sparsa praecepta collegi.

„ Filiam igitur huic iuueni collocauit, magna „ omnium gratulatione; quae breuis fuit. Nam

„ deducta & mox grauida sponsa, mensibus exac-
„ tis, partum dedit exanimem: nec ipsa tali puer-
„ perio superstes.

Sanè video, philosophantes haud dubitare vniuersos, quin procreationis in vnoquoque mortali naturale desiderium sit. Aiunt, hominem, quia non possit concretione sui corporis viuere aeternùm, petere è sobole saltem, & propagatione sanguinis, eiusmodi aeternitatem, & eam quemque sibi despondere. Falluntur autem dum ita dicunt. Alijs non sibi homo aeternitatem ita acquirit. Amoris & solatij fortasse causa potius cupiunt ita propagare genus. Noluit natura quaeri nobis aliunde hanc per filios aeternitatem, quàm ex eo animo quem ipsa aeternum fecit & dedit. Caeterum siue vt amentur, siue, vt aeternent, filij expetuntur; potest Comes Dux tali carere desiderio, cùm & totum in tanto Rege collocatum amorem habeat, & animum habeat cum aeternitate consentientem.

Procreandi desiderium stimulusve ille, qui si bonis tantummodo contingeret, melius agi cum rebus humanis posse videretur, nisi tangeret etiam eos, qui minus probi sunt. Infrequentiora sane ciuium essent domicilia, sed ciues ipsi fortasse meliores. Qui leges scriptere antiquitus, capita expertia Religionis eius, quae sola Religio dicenda est, eos mirarer non aduertisse huic negotio animum, nisi crederem

vidiſſe eos, haud poſſe parari huic malo remedium, niſi ita vt mala & incommoda grauiora contraherentur. Non crediderim, augendae cauſa multitudinis eſſe inhibitos, qui ponerent id caput. Non numero, ſed virtute ciuium atque ſubiectorum, Reſpublicae inclytae fieri potuerunt, quae legumlatores illos cura praecipua habebat. Miſerrima conditio Generis humani, Mundique totius eſt. Natura, tamquam, aut auare reſtricta, aut maligne inuida eſſe potuerit, arborum eas, quae baccas tantummodo inutiles ferunt, voluit eſſe foecundiores: caeterae, quibus vita magis indiget, nouercam potius, quàm matrem appellauerint. Adeo ferè ſteriles ſunt. Poterat humanum genus in eo fortaſſe accuſare Naturam, niſi ipſa & prius, & grauius iuſtiuſque nos accuſare, ac de iniuria noſtra conqueri potuiſſet. Peccati labes, quae ſtirpem genuſque mortalium infecit atque deprauauit, corrupit eadem frugiferam vim, & venena terris intulit.

Amiſſa filia, Comes Dux, ſi quàm antea curam cogitationemve Domus amplificandae habuiſſet, depoſuit abiecitque omnem, ac ſe ſe penitus ad ſtudia vitae alterius auertit, condituſque in altitudinem, nihil iam ferè cum rebus humanis agere coepit, niſi quatenus administranda Regna, mandataque Regis obeunda poſtularent. Et haec ipſa tamen ad Deum cuncta referebantur.

Comes Dux perfectam atq; absolutissimam illam Christiani Priuati Ideam, & formam haud ante conceperat, quàm filia moreretur. Filios quisquis habet, amat: amori coniuncta cura est augendae domus patrimonijsque constituendi: & quisquis curam in pectore hanc alit, veri Priuati officium explere non potest. Amor, qui Principi debetur, occupat ipse quicquid veri probique affectus animo innascitur. Splendor vnus ille est, & multa cum lumina conflant atque accendunt. Huic accendendo conflandoque conspirant, teneritudo, qua suos quisque filios amplectitur: pietas debita parenti: beneuolentiae in amicos: charitas ea demum qua sibi quisque à natura commendatur. Cui amicus, filius, parensve alius est, & qui non iam ipse in sui Principis animum, mutata veluti natura, & forma concessit atque commigrauit: hic ne dignus quidem est, cui Princeps pectus animumq; committat.

„ Quòd Comes Dux erga Regem ita se se haberet: id verò perspici potuit, tunc, cùm anno salutis humanae M DC. XXVII. Augusti Rex in morbum incidisset. In ea Regis aegritudine Comes Dux, non modò omnia, quae poterant esse fidelissimi serui officia impiger obijt, vt viueret Herus: sed omnia fecit, vt, si non ille viueret, ipse moreretur, fortasse moriturus vltro, nisi lex Christiana a triperet. Cùmque amici in tali tempore fortè monuissent, vt fortunis suis

„ in posterum consulere vellet: non potuit tem-
„ perare iustae indignationi; ipsosque & monita
„ intempestiua repudiauit iratus.

Non potest ipsius fortuna, gratiaque apud Regem intima perire, nisi perit Rex. Nisi viuat ille, optare vt viuat ista, sitque potentia superstes, sicuti praeposterum, atque absurdum; ita impium est. Quomodo tandem maneret ipse superstes amori, quem Principi deberet: à quo tantopere amabatur, quemve ipse vicissim tantopere amabat. Id si fieret, aut non esset vere Priuatus, aut fuisset nunquam. Hoc enim inditum huic muneri, ac personae nomen ex eo est, quia debet se ipsum priuasse, sensibus, affectibus, & voluntate sua, nec aliud cogitare, velle, cupere, sentire, quàm quod diuini cultus, & Regiae Maiestatis interest. Qui ventura meditantur, non Principem, sed rem ipsi suam amant: necesseque est, vel finem hunc eos non sibi habere propositum vt Principi seruiant; vel transilire velle fines, si in finis eius tempora consilia „
curasque suas extendunt. Si Rex eo morbo „
extinguebatur, scio ego, simul fuisse futurum, „
vt, aut moreretur Comes Dux: aut, si non in „
Mundo, certe Mundo moreretur. „

„ Postquam videre potuit, clareq; perspicere „
„ Comes Dux, statutum atque destinatum hoc „
„ esse diuinitus vt formam, & simulacrum in ipso „
„ exhiberet Ministri eius, qui omni abdicata co- „
„ gitatione rerum suarum, Regis, & Regni „

" totus esset: eam formam toto animo, totoque
" corpore amplectitur. Vniuersam Imperij mo-
" lem animo & mente digestam compositamque
" amplexus, ex tota diei noctisque conuersione
" sexdecim horas destinat Imperij negotijs. Re-
" liqua sibi tempora reseruat ad somnum cibum-
" que capiendum, & insuper agenda, nonnu a,
" octo horarum spatio contentus.

Corpus humanum ex multis partibus, ex multis negotijs Monarchia constat. Mira diuersitas, & penè dixerim, mira pugna rerum: sed in toto hominis totoque Monarchiae corpore, mira etiam conspiratio mirusque consensus. Si domus aedificanda sit, fabrum artificumve numero est opus, ac sexcenti ferme requiruntur. Exempli causa, constat ex ligno, ferro, lapidibus, caementis, arena, materiaque caetera: quae omnia non satis est, congesta comportataque haberi, vt domus aedificiumque habeatur. Ac licet materia etiam vnaquaeque recte per se digesta haberetur, non ideo tamen coagmentata ea aliud quam rudem, indigestam confusamque molem datura esset. Architecto est opus, qui haec omnia sua mente complectatur atque coniungat, coquat, regeneretque, & partium sublata forma, misti formam inducat, ita vt, nec sola caementa, sola calx, solumve lignum & ferrum, & lapis sit, neque haec omnia simul, sed domus vna, cuius aedificatio atque constructio in quadam harmonia posita est, ve-

lut

lut in rerum earum anima, quae animam haud habent. Similitudine, & comparatione nonnulla par huic moli, moles Imperij alicuius, & Monarchiae dici potest, ad quam vel cōstituendam, & formandam, vel conseruandam atque regendam ministeria pene infinita adhibentur. Ac licet minister vnusquisque, sui muneris partes recte atque ordine exequeretur, nihil tamen ille aliud quàm confusa, & inordinata per se cuncta exhiberet, nisi accederet Architectus ille Vnus, intra cuius animum, veluti fermentata omnia, suam ipsorum formam deponerent, assumerentque totius. Homo ex anima, & corpore constat: sed corpus, & anima non constituunt faciuntve hominem: vniq; sine copulatio partis vtriusq; necessaria est, quae, licet, nihil ipsa esse videatur, rem tamen totumque continet, vel potius ipsa res totumque est. Haec dum ita dicuntur, pene, Monarchae videtur infirmari minuique nomen, cui vocabulo inest vnitas, & ea propriè significatur. Totaque aedificij, & Monarchiae similitudo haec ita comparata, & conclusa est, quasi primi Monarchiae influxus incidant in plures, pluribusque recipiantur, & quasi Monarcha ipse, primò Plus, deinde vnum producat, cùm vice versa, par fuisset, vnum, ab eo productum esse prius, vt postea ipse Vnumque, Plus producant.

„ Sinceram mentem Comitis Ducis, animumque sincerum, & altè simplicem, si quis in

conspectu

„ conſpectu velit habere, conſideret, quemad-
„ modum ille Cardinalem Treſium Caſtellæ
„ Præſidem fecerit, cùm valde diſſuaderent ami-
„ ci, & rationes contra afferent. Lermæ Ducis
„ alumnum fuiſſe Cardinalem hunc, & Marchioni
„ ſeptem eccleſiarum intimum: quorum ille ex
„ gratia antiquiſſima animoque Regis excidiſſet:
„ hic ſub Comite Duce morte punitus. Non
„ placere nomen: imminere pericula ſi iſte auge-
„ retur. Non deeſſe pares tanto munerialios.
„ Securitati conſulendum, cùm producto ad id
„ munus aeque idoneo altero, nihilominus Ma-
„ ieſtati & Reipublicae conſuleretur.

Politicae Prudentiae arcum ex valida, & craſſa robuſtaque materia ſi componere, & fabricari artifex velit, malè flectitur ea materies interdum, & malè ſequacem ſe ſe praebet. Sin mollis, & delicata, & ſubtilis cedenſque adhibita ſit, infringitur haec, atque deſtituit Opus. Altera via Prudentiae huius, tatior quidem, ſed & longior eſt. Sanè tutior eſſe videtur, quia, ſi praecipitandum eſt, ſerò ac lentè ducit in praeceps: ſed ſerò etiam ac lente ducit eò, quò peruenire velis, breuior altera, ſed lubrica magis eſt, veſtigioque fallendo aptior. Facili interdum compendio, nihil aliud, quàm praecipitia offert: facilè nonnunquam etiam exitum rerum dat expetitumq; finem. Nullae commentationes, nulla ſapientum volumina tradiderint hanc viã: vt itinere pergere iſto poſſis, multa circum-

ſpicienda praecauendaq; ſunt: veſtigio ſi paulisper lubricante vacillat nutatque viator, cadit. Nuſquam via tutò haec initur, niſi ab eo, qui reperit ſibi, & fecit, & ſuis ipſe meditamentis ſtrauit muniuitque hanc. Nam magnae, & altae cuiuſdam facultatis animique exaggerati virtutibus eſt cognoſcere ac prouidere, vel quantum ſuſcipere debeat, vel quando ſuſcipere atque ingredi tutum ſit.

In arte eſt: quamuis rara, & eximia praeditos virtute homines non oportere attolli, niſi ijdem annexi coniunctique ſint ei, qui attollat, eoſq; producat. Rudis quaedam haec & craſſae mineruae politica nimirum eſt, fugitans in praeſentia diſcrimen fortaſſe nonnullum, ſed vituperationem haud fugitans; quae diſcrimen in poſterum afferre maius poſſit. Si quid fortè naufragij fiat in adminiſtratione muneris negotijve alicuius, quod munus ſiue negotium ſolertia Priuati viro idoneo ademerit, vt ſuo cuidam potius daret: tunc damnum illud omne quaſſatae, vel demerſae veluti nauis, etiamſi tempeſtatis fortunaeq; iniuria acceptum videri poſſit, aſſignatur, atque refertur acceptum ei, qui elegit impoſuitque nauclerum. Inde iactura ſequitur exiſtimationis, & gratia interdum apud Principem ipſa naufragium facit.

Huic è triuio circuliſque dogmati velut ex aduerſo oppoſitum aliud interius, & ſubtile dogma eſt. Magnos viros ad Imperij munia

euocare, & assumere debere Priuatum, etiam si non adnexi, etiam si non amici essent. Subtilior haec interiorque sententia & regula, & rem aduersus pericula firmat, & conciliat affertque laudem. Oculos tamen haec regula acutos requirit, vt discerni queat: & rursus acutius longiusque videndum est, vt recte tractetur.

Vbi non sit aliquis noster amicus, ideo quia ille sit alterius, qui non pro amico nobis habetur: hic non ideo odit nos, quia non amat. Vbi non amat · non amat: quia amat. Id non esse nobis amicum, accessio quaedam est. Sequitur eius naturam, cuius etiam causa accidit. Si desinat ille esse, accedere etiam hic desinet, desinetque non amare simul. De non amico nobis ita definitum pronuntiatumque sit. At si manifestae sint inimicitiae odiaque in nos suscepta prauis animis: tunc supersederi beneficijs erga nostrum inimicum, ius fasque erit, neque vitium dedecusve habitura nostra cautio est, si non huic benefiat. Namque malignitas ea, quae periculum ex beneficio afferre posset, culpa nos & dedecore omni liberat. Ea nimium inuisa cunctis est: nec gignit vnquam sed semper corrumpit sua tabe virtutem. Fugerent & cuncti eam, nisi esset in plerisq; hoc, vt euertere quàm aedificare malint.

" b Hispania, quae auri, & argenti metalla Pro-
" uincijs alijs mittit, ob enormia pretia monetae,
" quae metallo ignobiliore cuditur, eò redacta

 erat,

„ erat, vt crescente immensùm aere, aurum argen-
„ tumque omne subtractum penè esset : ac fraus
„ fere illa hostium fuerat, qui per monetarios
„ suos adulterata insuper aera late dispersérant
„ introduxerantque. Vnde & mercimonia, rara
„ iam ipsis inter se Prouincialibus, cum externis
„ finitimisve prorsus nulla erant. Ea re damnoq;
„ animaduerso Comes Dux, Regi persuasit, effe-
„ citque, vt ad partem tantummodo dimidiam
„ pretij valorisve eius, quo antea fuisset, aerea
„ moneta deduceretur. Idque Senatu omni cae-
„ terisque ministris magnopere aduersantibus,
„ cùm à Comite Duce effectum esset, tantam Po-
„ pulus Prouinciaeque omnes inde sensère vtili-
„ tatem, vt beneficijs eius, & grati animi ergò,
„ statuas ponere decreuissent Prudentissimo Op-
„ timoque Regi, non sine mentione Comitis
„ Ducis, cuius consilijs, & fide prudentia domi-
„ nantis vteretur.

Nullae Principis vtilitates ex errore vitio-
que hoc, & ex rei monetariae lacuna, cum
subiectorum pernicie ac detrimento compa-
randae sunt. Contrahendi & negotiandi mer-
cimonium omne tollitur foris, domi impeditur:
& vbi magnitudo lucri flagitio proposita est,
adulterandi periculum subire multi non dubi-
tant : adulterijsque demum illis efficitur, vt in
supputatione monetae plus damni redeat ad
Principem, quàm quantum illatum Populo est.
Resp. vna fuit, cui coriacea segmenta diu mo-
netae

netae vicem praestitere. Sed legislator exclu-serat aduenas. Ita mercimonio nullum ex eo monetae genere impedimentum: nullus quoq; luxus erat; & cùm nullum adulterandi coria pretium emolumentumve esset, ne molestiam quidem adulterandi subibat vllus. Si qua Resp. dominatusve vnus inueniretur, in quo, nec externo mercimonio locus, nec monetarij vlli, nec materia, forma ve pecuniae, priuatim repe-rienda, siue imitanda cuiquam, nec aliquid de-nique esset eorum, quae vsus apud omnes, & consuetudo communis induxit: succedere ibi posset hoc, vt, vel materiae, vel formae illi, vel materiae viliori etiam absque detrimento su-biectorum vllo pretium auri iniungeretur. Sed quoniam pecuniae formam & notas effingere atque imitari facile est; ideo materiam adhiberi oportuit; quae difficilis inuentu, eademque per terras omnes latè diffusa, & chare aestimata, nec prompta falsarijs, & chara contrahentibus esset.

Extra rei naturam est, vt aurum tanti aesti-metur. Id rarum vtique metallum est quia rarum. Ne crystallo quidem gratia aberat. Lucet translucetque: & permeat oculorum acies illico materiam hanc. Si altera illa Soli, haec Coelo similem esse gloriatur. Fragile quod inest, de pulchritudine nihil aufert, ho-norem circumspectionemque addit. Fragilior aliqua margarita & gemma, ab natalibus &

origine nihilo nobilior, lympharum, & Lunae filia, pretiosior auro est. Si aurum est simile Soli: si Sol naturae totius regimen, & philosophorum verbo principale agens est: si naturale hoc, vt agens velit simile esse sibi quicquid agat efficiatve, cur tandem adeo rara semina metalli huius, sator, & parens, & effector ille rerum dedit? Quid ita, non auri plus, quàm plumbi creat? Forsitan, haud tanta est efficacia & potentia Soli ad agendum, quantam offusa splendore illo credit mortalium mens. Obstat materiae tenebricositas in quam agit: grauitas quoque telluris, & frigus insitum huic elemento, quod aduerso is semper verbere ferit, obstat. Nam, si manibus semper aequis & pari inter ista virtute pugnaretur: aut iam Coelum totam suo corpori terram immiscuisset: aut tota terra Coelum iam facta esset. Prolifica vis etiam tota supprimeretur, si vires vsquequaque pares inter haec elementa essent. Caeterùm, admirari desinamus, quòd auare ita proueniat gignaturque aurum. Neque enim, aut sine magna victoria gignitur impressione Solis, aut sine magna reluctatione intra viscera concipit tellus, credo, ne partu edere cogatur futurum sibi hostem.

" Vectigalia cuncta reppererat opignerata Phi-
" lippus IV. & simul bella grauiora ei quàm, vel
" Patri, vel Auo inciderunt. Attamen, admini-
" stratione Comitis Ducis, integrisque manibus
" eius effectum est, vt neque plus aeris alieni con-

" traheretur, oppignerareturve quicquam: &
" pecuniae sufficerent in ea, quae gerenda fuerunt.
" Pugnatum aduersus Dei hostes: compressa re-
" bellium pars: Prouinciae finesq; defensi: conser-
" uata Maiestas: neq; vltra ad foeneratores itum.
" Voces, & dicta eorum, quibus cordi est
" carpere sermonibus Maiestatem potentiamque
" hanc, percrebuere passim ac ne mihi quidem dis-
" simulanda ea fama est. Accusant Regemque
" ipsum, & Priuatum hunc, cum quo consilia agi-
" tet Rex tractetque bellorum vias, & arcana Im-
" perij. Aiunt, praesidia per Flandriam, & loca
" nonnulla occupasse rebelles. Afflictam bello
" Germaniam: vexatum ab multiplici varioque
" hoste Imperium: & Italiae damna iactantur.
" Quasi verò, aut inuidiam superare prudentia
" possit: aut magno quamuis Regi non liceat,
" suspitionibus, ac metu continuisse quosdam, &
" ostentasse bellum etiam quà gerere fortè nollet.
" Si Philippo II. ne finitimum Galliae Regnum
penes haereticos esse pateretur, penè pretium
fuerat, Flandriae Prouincias amisisse: potuit hac
hereditaria solicitudine. Rex quoque nepos,
attenuatas in Flandria copias, exercitusque
relinquere paulò infirmiores, vt in diuersa parte
Religioni laboranti subueniret. Par defensio
fuerit in eo etiam, quòd sui sanguinis Principi-
bus auxilia per id tempus non magna misisse di-
catur. Quin potius voces erunt audiendae
aliorum, qui vacui odijs, & inuidia, & leuitate,

non

non desinunt acclamare Defensori Catholicae " Religionis; Receptatori Principum, quos im- " pietas aliena exturbauit: Defensori Rempub. " populorumque liberorum: Profligatori Hae- " reticorum: Magnanimo, Glorioso, Victori. " Quos ille thesauros pietate in Deum, liberali- " tate erga homines, pace belloque consumpsit? " Quot loca, quot arces castella, oppida, portus, " dominatusque, totos recepit, receptosque " restituit, aut ijs, quibus alij bello iniusto " ademissent, aut ijs, quos ipse lacessitus inde " eiecisset. Quando vnquam arma bellum- " que mouit, nisi, aut Religioni propugnan- " dae aduersus eos, qui contra starent: aut in eos, " qui humanae societatis iura euertebant: aut ad- " monendis coercendisque illis, qui admonendi " ita castigandique erant, vt ipsius Maiestatem " aliquo malo domiti seriò agnoscere inciperent. "

In Flandria si qua per occasionem tenuere re- " belles, non, aut virtus ea rebellium, aut culpa " Regis, siue Priuati ipsius fuit. Fuere casus & fortuita nonnulla, quae fama communis nouit, etiamsi apud quosdam fateri recuset. Alioqui, neque subsidia pecuniae, neque pars virium il- lic & armatura idonea ducesve caetera egregij defuerunt. Equidem, ab hac parte, non ego dubitem Philippi IV. Regnum anteferre Aui Regno, qui, si Catholicam fidem in Gallia de- fendere voluerat, non aliter id, quam deductis è Flandria praesidijs facere potuit. Nunc, &

alibi bella gerebantur, & ſatis eorum, ſatiſque praeſidij in Flandria erat.

Potentia per Germaniam Auſtriacorum hiſce annis exercita accerrime atque habita fere ſemper in ſuſpenſo, nulla Comitis Ducis culpa, ſed facinus eorum fuit, qui rerum nouarum ſtudio arma illa conciuerunt. Ex Veneris, & Iouis blando benignoque afflatu placide temperata natura Priuati huius, nunquam atrox, & immane admitteret hoc, vt cauſas & initia turbandarum rerum ipſe pareberet, ac bellum inexplicabile Imperio moliretur Oleae ramum fert haec ore columba mitis: neque aliud inſigne, pectuſve aliud prudentia Priuati cuiuslibet geſſerit. Neq; enim, aut per ſe tractare bella poterit, quin ſimul ex potentiae gratiaeque ſtatione decedat: aut alijs tractanda mandare, quin labatur inde, & cadat. Si parta victoria eſt: haud minus periculi, quàm ex clade ſequitur. Nam victoriae ſemper ipſae immane tumultuantur: occultari non poſſunt: in conſpectu humani generis ſtant. Si victoria etiam aliena. Priuati artibus impedita erit: non ſine diſcrimine, vel detrimento Principis fiet. Si ſuo curſu & rerum tenore procedat: difficilè interim erit, vt ſtare loco Priuatus poſſit. Vno verbo: magnus Vir, qui, bello concitato, non aut ipſe cadit: aut deijcit Principem; & Priuati bellatores reperiuntur, fateor, quibus, more ac foeditate coruorum, aeuum circa cadauera agitur.

 Sed

Sed ab igne Martis, & rigore Saturni nata turbida pectora haec, ſpecioſa in frontem, exitu autem triſtia ſemper conſilia ferentes, Principis animum intrauere per dolos & aſtus. Ibique ſede capta vapores deinde atros, quos intra praecordia concepere efflant; inquinant obſcurantque aquas, ne ſanioribus alijs, qui veritatem piſcari volunt, praedae fiant. Pernicies exitiumque naſcitur Generi humano, cùm iſti naſcuntur: atque adorari hoc etiam nomine Numen oportet, quòd nulli tales aetate noſtra extiterunt. Si quis extitit, quatit, agitat, conuellitque Mundum, euertit, euertitur. Turbidi amnes, quà decurrunt, vi maiore agere vndas, & portare plus aquarum illuc videntur: ſed minuunt alueum, quia coenum vehunt. Nec diuturnus ille torrenti curſus eſt, deſinitque lutulenta vorago incedere vbi parumper inceſſit. Vbi flammam iſti Phaetontes intulere Caelo, feriuntur fulmine, & ruunt.

Suſtentat prudentia Priuatos illa quidem: ſed non vera, & germana ſemper eſt prudentia, qua reguntur: in vicem huius etiam falſa, & ementita ſuccedit. Verùm, & ſimplex vnicumque bonum illa ſpectat: haec veri boni imaginem, ſpeciemque, & laruam. Altera turbulenta & obſcura eſt: altera limpida & illuſtris. Vtraque nomen famamque Priuato addit: vtraque fortunam auget. Sed ea, quae mitior, etiam tutior interim eſt: quae verò acrior, etiam

ſtre-

ſtrepera magis. Animus callidiſſimi hominis, mare eſt, fretumve vnum, maiores in ſingula momenta fluctus voluens. Non conquieſcit: non conquieſcere alios ſinit: ſiue ruinas paret, ſiue ſtruere aliquid meditetur: ſemper ex eo ruinae ſtrageſque erunt. Creſcit quin etiam ipſe ruinis exitioque aliorum: & fundamenta ibi magnitudo eius iecit. Metum ſemper aliquem Princip: intentat, vt ſit res aliqua ſemper, ad quam ipſe neceſſariò adhibeatur. Vocat eum ad tyrannica conſilia ſaepius: interdum etiam ipſe tyrannidem inducit, ſitque vere tyrannus. Ars ea calliditatis eſt, prudentiae vultum gerens, imitanſque mores: & Artificis penè ritu, qui naturam ſimilitudinem aliqua Operis imitetur atque effingat, nuſquam niſi fallendo delectare poteſt: tuncque delectat maxime, cùm etiam maxime fallit: ac ſi fallere deſijt, etiam eſſe deſinit. In ora extrema, in crepidine praecipitij ſuſpenſo pede degit ſemper: & quia non ſemper fallaciae procedunt, ipſa praecipitat demum. At, non callidi, ſed verè prudentis animus, placidus benignuſque eſt, ſuaue quiddam & mite ſpirans ſemper. Excitare atque inſtaurare amat ea, quae alij euerterunt: ac ſi euertat fortè etiam ipſe nonnihil: euertendi ea cauſa eſt, vt rerum ſuarum fundamenta ſuſtentet, non vt tollat erigatve altius. Bonitati iuſtitiaeque Principem aſſuefacere ſtudet, vt miniſterij conſiliorumque ſuorum vtilitas eo

 expe-

experimento teſtata ſit. Amorem ei conciliat, vt ſimul ipſe ametur. Non aliter ex gratia Principis, & fauore ipſe praecipitatur, quàm ſi ab iuſto legitimoque Imperio Princeps ad tyrannidem antea praeceps iuit. Quòd ſi impulſus aliquo fortaſſe caſu ex Gratiae monte ſit ipſe delapſus, non tamen impetu cadit vllo, ſed tamquam ſponte deſcendit. Omnis magna fortuna hominum, qui ſint verè prudentes, prouenit influxu, ac benignitate aſtrorum: eaque fortuna, quoniam placide adoleuit, alta ceu turris ſuo nixa fundamento ſtat. Sagaces illi conſpiciuntur ſublati in altum, non autem per gradus vllos, & incrementa conſcenderunt. Pila velut ex luto coacta, fortuna eorum eſt, quam violenta manu contorſere aſtra in altum: & vibrata ſic illa, poſtquam faſtigia cuncta ſuperauit, cadit, & ſuo ipſa caſu frangitur, eliditur. Si callidiſſimus rerum Romanarum author ille Tacitus in explicando quodam huiuſmodi caſu, cauſaque exquirenda ruinae eius calliditati perinde quàm ſatietati aſſignaſſet rem: in parte alterꝫ dicti ſententiaeque eius fortaſſe aſſentirer ego pronuntianti ac definienti raró potentiam eſſe ſempiternam. Verè enim rari ſunt qui prudentia excellant: rariores illi qui, poſtquam altè conſcenderunt, ſteterеq; in ſublimi, maneant in illo prudentiae ſuae gradu, nec deijci ſe ſe inde patiantur. Cùmque ille ad obſequij veneficia vimque dominationis cuncta retulerit, potuit ſanè etiam

arbitrari

arbitrari fluxam, & lubricam constantiam & prudentiam esse quamlibet.

" Comes Dux, per flumina nonnulla Hispa-
" niae inuenit nauibus iter, nauigabilesque fecit
" amnes haud patientes antea nauium: auri venas
" inuenit, effodereque instituit, non cupidine lucri
" talia meditatus, sed meditatione perpetua Po-
" puli vtilitatum, & nunquam de ea re secum ipse
" philosophari desinens, quomodo minui subiec-
" tis onera possent, vt non & subsidia Imperio
" minuerentur.

Et conseruando, & augendo Imperio vtilia instrumenta praebet Aurum. Postposuere nonnulli hoc authoritatis existimationisque instrumento, & longè plurimum in ea momenti posuerunt. Et nullum tamen authoritati vel existimationi pretium est, nisi quod aurum ei fecit. Sententiae huius authores decepit, quòd ita vidissent accidere nonnunquam, vt aulici homines, ab eo Principe, qui ditior esset, ad alterum promptè transirent, qui minus opum, & plus famae nominisque haberet. Id vtique accidere potuit, & fieri ita vidimus. Caeterùm, sunt eae factae transitiones, non quia potentius, & efficacius illiciat fama quàm aurum: sed quia spem auri magis praebet alicuius celebrati Principis aula honorque famae eius, quàm aeraria ditionis aurum praebent. Arctè persoluuntur aera militibus, cùm ad diem, & exactissimè persoluuntur: largè copioseque procedunt stipen-

dia

dia rursùs cùm minimè procedunt. Asses, & pretia quotidiana, quibus vita eorum aestimatur, emiturque, vix in alimenta suffecerint. Direptiones vrbium, excursiones, victoriae, raptus, ea demum satiant implentque militem. Ea militi spes maior, vbi plus famae atque authoritatis est.

Qui Priuatus rem pecuniamque Principis auget, ditat eodem tempore Populum; Populo, felicitatis haud minima, vel vltima pars in eo, si Principem habeat pecunia diuitijsq; abundantem. Princeps, si nihil auferat, donat: si donat, aufert. Ab restricto, quàm ab effuso Principe vtilitas maior. Donatiua ad pauciores pertinent: atque aerarium exhauriunt, quod deinde miserijs omnium, & egestate supplendum est.

" Obsessa Rupella, Rex Gallus, cùm spes &
" momenta Regni vniuersa, ex eius obsidionis
" euentu suspensa haberet: magnopere vereba-
" tur, ne subsidia rebellibus eis ab Angliae Rege
" mitterentur. In ea solicitudine ac metu, missa
" ad Philippum IV legatione extra ordinem
" (Rambolieti Marchio legatus fuit) petere à
" Rege institit, vt classe sua adiuuaret. Exqui-
" sita Comitis Ducis sententia annuit Rex: & li-
" beratae Galliae fama ex eo sequuta Hispanum.

Consilio Comitis Ducis, quo, Gallia simul & Religio Catholica, per Philippum IV. in eo discrimine conseruata, liberata, defensa dici potuit, obtrectauere nonnulli, tamquam in eo

erratum,

erratum, quòd ante causam atque emolumenta Imperij, causa diuina habita esset in mittenda classe Regeque adiuuando; idque Priuati in politica ratione haud mediocre peccatum fuisse aiebant; Religionem scilicet antepofuisse Regi. Sed non potest in Regis huius causa negotioque peccare, errare, labi, qui in re causaque diuina, non peccat, errat, labitur. Sanè aliquis inter politica praecepta impius, Rationem Status à diuini cultus & obsequij ratione separare ausus est: sed in Imperio Catholico ita connexa inter se, & apta, atque copulata sunt Religio, & Rex, vt ne mentis imaginatione quidem separari possint. Maiestas & prouidentia Numinis aeterni, quae Domum hanc Religioni suae propugnaculum dedit atque assignauit, ita constituit rem, vt cùm alia omnia munimenta circumdedisset Domui propugnaculoque huic, aduersus sagacitatis quoque cuniculos praesidia disponeret, ne scilicet vlla sagacitas vnquam ad subtrahendum hoc Religioni praesidium penetrare posset. Nam, si quis inter huius Imperij consiliarios, irreligiosus fortè minister extitisset, voluit eum ita septa aduersus impietatem & clausa cuncta reperire, vt per consilia praua sibi tantummodo ipse nociturus foret. Quippe sagacitatis etiam artes impium ad consilia actionesque pertraherent, quae forent eaedem esquisitissima Prudentiae consilia, & artes, quoque religiosissimus etiam, &

ſapientiſſimus quiſque duceretur. Mihi, poſtquam Rationem Status, totamque vim & naturam huius nominis probe examinauerim, certum eſt ita pronuntiare. Ratio Status, quae à Ratione diuina abit, eſt Sathanas.

Lucifer ille, ſicuti ego quidem autumo atque opinor, cùm inflatus opinione ſui res moliri nouas coepiſſet, non id elatione ſpiritus, animoque ſuperbo deſtinarat, vt faſtigium Maieſtatemque Numinis ſupergredi tentaret. Nam ſi id ille agitaſſet, non diſſoluendae, ſed conſtituendae atque augendae Vnitatis ea ratione conſilia ſuſcepta habuerat. Id autem non poſſe tentari poterat eo ſcientiae lumine videre quod naturale ei eſſet. Agitauerat igitur deſtinaueratque hoc, vt ſecedendo creſceret, atque ab Vno digreſſus, Duo ipſe efficeretur. Ibi in puncto numeri eius, tamquam in centro, Magnitudinis ſuae ſuperficiem, ab Numinis magnitudine diuerſam ſuperbia animi deſcriptam collocare volebat. Non poterat abire & digredi ab Vno, niſi ita vt malus fieret. Nam omne id quod bonum eſt, Vnum eſt. Deus ab Numine & diuinitate ſua duxit lineam, vt Tria efficeret, hominemque creauit. Tunc Daemon ab ſe quoque viciſſim linea tranſmiſſa altera, fecit Quatuor, hominemque corrupit. Nolebat Deus relinquere in Daemonis poteſtate hominem, ideoque ad liberandum eum è Caelo deſcendit, & effecit Quinque. Ac licet

non ademisset ei fomitem, quo fomite illicitur ad Duo, stimulaturque illuc: Gratiam dedit, qua retraheretur ad Vnum. Ita homo relictus in eo Statu est, vt, vel recte agendo, circa Vnum, vel agendo perperam, iuxta Duo adhaeresceret, atque in centro alterutro versaretur. Neque enim ex se se ille superficiem circumducere aliam poterat, cùm Vnius tantùm & Duo, hoc est boni, & mali circumferentia siue superficies detur. Sicuti circumferentiae superficiesque duae dantur: ita duplex Ratio est & disciplina Status, Dei vna quidem: altera verò Daemonis: Illa ad Deum ducit quia magnus; haec ad Daemonem inclinat, quia superbus. Quae mens igitur poterit vnquam esse vllius religiosa & sana, cui inter consilia Imperij deliberationemque rerum, non ita videatur. Si nidus aliquis & cubile Haereticorum, adimi eis, & purgari stabula illa possint: id promptè, omnique Catholica ope esse faciendum. Eius rei potestas facultasve aliqua quos penes est: ij, si non, & faciant, & conentur, peccant, & quantum in ipsis est; statum superficiemque Daemonis augent. Qui & facere potest, & facit: pro sua item parte, diuinae magnitudini tributa confert, amplificatque superficiem hanc. An verò, ita futurum est, vt defendant atque conseruent peccata Imperium: merita auertant? Maiestatem appello Vestram Magne Rex, Catholice Rex. Ecquid tandem illud

 esse

esse putatis, quo tanta moles Imperij Vestri; tot Maiestati Vestrae subiecta Regna consistant? An opes exercitusque vestri tuentur? Tutela diuina est. Defendit ista Deus, quia Maiestas Vestra rem vicissim causamque diuinam tuetur: quia tutata est; vt tueri demum pergat.

„ Emmanuel Menesius Praefectus classis Vly-
„ ssipponensis erat. Is, cùm propter accisas opes
„ remque familiarem afflictam diutius in Regia
„ permanere non posset ad excusanda, & purgan-
„ da nonnulla, quae in sui muneris administratio-
„ ne commisisse deliquisse arguebatur: statuerat,
„ relicto procuratore, inde abire domum. Ad
„ Comitem Ducem petendae veniae officijque
„ causa, cùm ille accessisset; Comes Dux, parum
„ honestam nobili viro in tali tempore discessio-
„ nem eam fore existimans; hortatus est, tenuit-
„ que ne abiret. Quoniam innocentiae confide-
„ ret; caetera sibi cordi fore: pecuniamque sup-
„ peditaturum, sicuti & benignè suppeditauit.
„ Adeò magnanimi huius est, praemia sui labo-
„ ris, stipendiorumque reliquias innoxijs egenti-
„ busque conferre, largiùs multò, si nobilitas &
„ merita adsint.

Beatius est dare quàm accipere. Causaque fortasse huc referri potest, quia beatior etiam ille habendus, cui largiendi, & donandi facultas est, quàm ille, cui accipiendi necessitudo. Longe verò beatissimus, qui dat, neque accipit

ipse

ipse quicquam? Qui accipit donatque simul, non ipse largitor est, sed ille qui donat huic. Plerique aduersus dona firmissimi, solent ijdem ad donandum esse inexorabiles. Qua seueritate se se ipsi continent, eadem aduersus alios fere continentur, parque toruitas nec accipiendi, nec dandi est apud animos, qui ita obduruere. Poterat Comes Dux, huic viro subuenire decreta pecuniae summa ei ex aerario Regis, in quem magna eius merita extabant. Maluit subuenire de suo, quia benemeritus ita de Rege ille erat. Optimi Priuati est, merita subiectorum in Principem, accipere tamquam merita erga seipsum: ei se se debere arbitrari, cui debeat Rex. Dum benemerito alicui aliquid donat, ipse quoque in meriti partem venit, quod ita remuneratur. Nimio pluris, quàm vitam, & caput, quam mentem animumque suum, quàm denique seipsum ille aestimaret, qui dum insuma assiduè se se Regi, fortunas, eidem insumere suas, graue durumque arbitraretur. Nihilo facilius est, donandi quàm accipiendi tenere modum. Accipere omnia magnae auiditatis est: nihil accipere velle magnae asperitatis. Qui semper donat immodicè effusus est: qui nunquam, immodicè auarus. Dicendi artifex ille, qui difficilem esse locum censuerat, quandocunque Orator vellet persuadere Iudici, vt sua largiretur: idem verò pro nihilo habuerat persuadere, vt aliena donaret, facilè iam per haec exempla Comitis Ducis ar-

 gueretur;

gueretur; atque appareret inane praeceptum. O veram Magni Priuati magnanitatem, quae liberalitate sua vult eò peruenire, quò saluis legibus & iustitiae ritu peruenire non potest. Ne quid detrimenti iustitia patiatur, subit detrimenta Priuatus, vt emolumenta habeat etiam ille, cui detrimenta imminebant. Confluant, quibus magnae virtutes, & magna merita sunt, confluant agmine illuc, vbi Monarchae Priuatus, si non ab Rege dona merentibus impetret, more Regum donat. Quis aliena cunctanter, & parcè dispensaturum eum credat, qui sua tam promptè impertit; datque tunc, cùm dare debet, penè dixerim, etiam cùm non dare debet, certe cùm non dare potest?

" Nulla Aula, nulla Regia Priuatum vmquam
" habuit, qui facilior aditu, promptior alloquio
" responsisue esset. Audire, quae quis exponat:
" interrogare, solari, praebere consilium: &
" exempla illustria referre possem, nisi plura essent
" quàm pro lege institutae breuitatis.

Quantò iustior quis, tantò clementior benigniorque aditu esse debet. Nescio, naturae rigor, an Iustitiae amor sit, quo, nec possunt audire leniter, nec volunt placidè respondere illis, quos obaudire decreuerunt. Atqui, iustum fuerat, quibus res ipsa negaretur, hos excipi saltem, & dimitti lenitate verborum. Lenitas, amabilitas, placabilitasque exhibenda omnibus est, & rerum ac personae grauitas illa mitiganda tem-

temperamento ſuauitatis. Si quid alicui erit fortè conceſſum: gratulatio adijcienda inſuper, vt libenter datum eſſe appareat: ſi quid erit fortè negatum: ſubijcienda conſolatio, vt repulſae neceſſitatem videat ille, qui repulſam tulerit; Male fungitur hoc munere audiendi is, qui Iuſtitiae munera malè explet. Nam occupati iſti rationibus & amore aliorum, quorum in aliquo negotio res agitur, nihil ferè reſpondent, niſi triſte illud. Sic placet: ita nobis viſum. Tunc ſupplex & repudiatus ille, quia tam prompte damnum ſibi eſſe illatum videt voluntate etiam eſſe illatum putat. *Aſtreae* trutinam, quia aſſiduè manu tenet Comes Dux, eoque regit examine quicquid, aut gratiae arbitrijque Principis eſt, aut legum aequitate continetur: ideo praeter inſitam animo benignitatem, huius etiam trutinae, vel potius huius Deae voce, ad aequitatem, vocat eorum etiam animos, quos irritos & triſtes res ipſa dimittat. Demonſtrat enim eis, aut merita praepotuiſſe aliorum, aut praepotuiſſe leges.

De officio Principis, in toto hoc genere audiendi, reſpondendique, & concedendi, ſiue negandi haud equidem video quid ponere debeam, niſi haec ipſa repeto, quae de Priuati ipſius officio dicta ſunt: ampliuſque addo: neutri arbitrium eſſe voluntatemque ſolutam, non modò in adminiſtratione Iuſtitiae, ſed ne in gratia diſpenſanda quidem. Homo à caeteris animan-

tibus

tibus ratione differt: si à Iustitia & aequitate discedat, à ratione discedit; remanetque vnum sicuti caetera Animal. Amicos esse Priuati oportet eos, qui merita ad amicitiam aliqua attulere: tantòque priorem in amicitia locum obtinere debebunt, quantò merita etiam plura & maiora attulerunt. Amicitia, quae non ab ratione & virtute proficiscitur, libido quaedam ea est, quia perturbatio animi errorque est. Non res homini tam soluta integraque & libera est amor, quàm vulgò mortales id negotium esse potestatis animique sui arbitrantur. Flagitium inexpiabile ingens animo humano admittitur, si rem vllam pietate & amore anteponit Deo, quem naturae lege anteferre omnibus debet. Flagitium item, vel maximus certè error est eos amare, quos merita nulla commendant. Iniustè mandari Magistratus & munera illis, qui Iustitiam administraturi sint, est scelerate iniustum. Haec, non sanè libertas, sed licentia, sed corruptela gratificandi, cuncta perturbat, & summa imis miscet. Sicuti maiori delicto poena maior, ita maiori virtuti maximum quodque munus debetur. Quòd si meritorum etiam atque virtutum aequa reperirentur examina, sicuti scelerum delictorumque reperiuntur, & ea quoque statera publicè instituta & obsignata prostaret: licitum esset planè mirari, quid ita, Iustitiae simulacrum, armata dextera tantummodo gladium, & non simul vrbes, prouincias, Imperia, Regna praeferret,

ferret, quasi delictis tantummodo puniendis, non autem ornandae quoque virtuti Dea praesideat.

Si Dominatus & Regna omnia, Priuatum vnum haberent, qui, sicut iste facit, virtutes & merita subiectorum, eadem lance, qua culpas & delicta pensaret, tolleretque & omnino aboleret iniquam illam gratiae faciendae libertatem, quae libertas, adeo damnosa subiectis, adeò Principibus inuidiosa est: sanè pulcherrimum id generi humano munus contingeret. Regnaque, & Prouinciae omnes, & vrbes, sine querimonijs & confusione vlla aeuum agerent fere beatum ac felix: & cùm esset ita virtutibus honos, virtutes etiam mira foecunditate prouenirent. Verùm, tanta haec apud Principes & Reges in homine vno virtus, tantaque ex eo copia virtutum inter subiectos, ideo non contingit, quia, si id ita fieret, necessitas inde dominantibus iniungeretur, nisi virtute subiectos anteirent, aut deponendi Imperium, aut iniustè occupandi atque habendi. Aboleuisse contriuisse voluntaria obliuione iniurias, atque priuatas simultates remisisse publicis vtilitatibus, itemque puniendi doloris, & effundendae iracundiae suauitatem quae mortalibus alijs melle dulcior in pectore gliscit, abdicasse penitus atque ex animo excussisse, tam facile Comiti Duci semper fuit, vt plerique fructum aliquem vtilitatis apud eum inde petierint, si inimicos esse sibi ille arbitraretur. Fuit

„ Fuit è procerum numero vnus, qui, nec iuſ-
„ ta ira, nec à Comite Duce praebita cauſa irae,
„ ſed tamen inſtinctu, & furore animi ſui percitus
„ eum occidere ſtatuerat, atque praeparata in id
„ minore fiſtula, ſteterat haud ſemel ex opportu-
„ no loco diſploſurus, niſi fortuita nonnulla ſem-
„ per obſtitiſſent. Ob cauſas & delicta alia com-
„ prehenſus, cùm inter capitalia multa, id quoque
„ confeſſus ille eſſet: obtinuit Comes Dux atque
„ effecit, vt ſupplicium vltimum ei remittere-
„ tur: attineretur carcere tamen, & iudicijs
„ ita legibuſque ſatisfaceret. Captiuitati etiam
„ finis denique factus. Sed non odia, & iras,
„ & malignitatem ille finiebat; atque tentans ad-
„ huc interficiendi vias, iterum ob manifeſta indi-
„ tia capiebatur, niſi ſolum vertere maturaſſet. In
„ Regnum aliud fuga exilioque voluntario dela-
„ tus, comprehenditur ibi etiam: ac prope erat,
„ in Hiſpaniam vti deportaretur. Gnarum id
„ Comiti Duci, ac miſſo confeſtim certo homine
„ illuc, per litteras, & preces cum hominibus mi-
„ niſtriſque eis accuratiſſime egit, vt captiuum
„ dimittere ne ſuperſederent. Nam, ſi redijſſet in
„ Hiſpaniam, non ſibi fore facultatem eximendi
„ iudicijs eum, quominus vltimo ſupplicio affi-
„ ceretur.

Caſum retuli hunc ego quidem, ſed laudare non poſſum. Atque veniam hanc mihi Comes Dux dederit, vt pondus, & momenta rerum, quae mutari non poſſunt, integra relinquantur.

Sine

Sine causa quisquis alterum odit, sine ratione odit: naturae suae malignitate odit: imò praeter naturae praescripta, & leges. Non aufert iusti odij libertatem Natura ei cui spiritum, & animum vitamque dedit. Ignouisse istis, quorum natura est inimica Naturae, potest esse magnanimitatis: scelera non punire est iniquum. Vult Deus homini clementiam atque placabilitatem esse in Mundo: sed non eam, quae ipsi in Coelo est. Potest ille ignoscere qui accepit iniuriam: non potest ignoscere, qui leges, & iura iustitiamque tuetur. Ignoscit è Coelo Deus, & non punire potest, quia persona illic eadem, & iudicat, & violata est. In Mundo autem, etiam si, & ignoscat ipse, & homo ignoscat, non ignoscere Iudicem vult, quia diuersitas ibi est, eius qui in Mundo punit, & eius, qui in Coelo offensus violatusque est. Atque, vt diuersitas etiam intelligatur in terris, eius, qui offensus est, & eius qui poenam offensioni irrogat, Iudicem ipsum Dei nomine appellat. Ita scilicet intelligitur, non hominis personam hunc in puniendo sustinere, sed Dei.

Maleficia remunerari beneficijs, error magnus ingensque est: sed non est hic ille error, qui humana omnia pessumdat. Raró fit inter homines accidit ve illud: sed nunquam sine Iustitiae detrimento fit quotiescunque factum est. Odiosum est, ingratum, idque vulgò vniuersi improbant, quia damnum ab eo exemplo vniuersis,

 detri-

detrimentumque paratur; & publicae vtilitatis intereſt, tolli id exemplum odioque haberi. Qui beneficia expectant (expectant autem ſane omnes) ſpem animumque amitterent vſquam ea accipiendi, ſi mala ſemper gratia debilitaret atque infringeret animos eorum, à quibus ea expectari poſſunt. Maleficio maleficium reddere, in quo minus erroris ponitur, quodque laudatur ſaepe, vituperatur fere nunquam, res ea eſt, quae vlciſcendi, & vindicandi conſuetudinem Mundo inuexit: eaque conſuetudo facta eſt humani generis venenum, exitium, clades. Procul etiam à poteſtate Iudicis facultas & licentia viciſſitudinis huius, vlciſcendi ſcilicet, ac reddendi pro malo malum. Iudex, etiam ſi in taurum imponat, in culeum inſuat, membra concidat: pro iniuſto iuſtum, pro malo bonum reddit. In malo reddendo, culpa homini admittitur, vel quia tunc reddit cùm reddere non debuerat: vel quia, non ſicuti debuerat reddit: vel quia plus reddit, quàm reddere debuit. Feritas nulla arboribus ineſt. Ineſt ſanè belluis: quia ſenſilem animam eae habent. Magis efferum adhuc homo animal, quia rationem inſuper habet. Lacerant perimuntque belluae ſenſuum impulſu. Lacerat perimitque homo, ſenſuum quidem, ſed & impulſu rationis quam praue agunt concitantque ſenſus. Nihil ſub Luna peius deteriuſque, & capitalius eſt homine, qui ex probo malus factus ſit, tenetque vitij princi-

patum,

patum, quisquis lapsus è fastigio principatuque virtutis ad vitia descendit.

„ Cùm munera, magistratus, gradusque honorum in Consilio diuidenda, & assignanda proponuntur, rarò Comes Dux interesse vult: ac fere tamquam è populo vnus, non prius nouit, quae cuiquae dignitas destinanda sit, quàm vbi destinata est. Religioque maior in ea destinatione ac delectu, non ipsi modò, sed Regi etiam, vbi res ecclesiastica agatur, ac de muneribus eiusmodi consultandum sit. Iniungitur hoc onus, ea cura Confessario, vt ex ijs, qui ab Consilio nominati sint, probatissimum quemque sibi eligat. Creberrimae autem sunt eiusmodi consultationes dispensationesque sacerdotiorum: ac nullus ferè mensis exit, quo non mense tam multa dispensentur, vt summa redditũum centena millia excedat.

Imperia cuncta, ipsique adeò tyrannici dominatus Aristocratiae ritu fermè reguntur, eumque ritum & Imperij formam, si non Magistratus induxere, certè Ministri faciunt atque inducunt. Ministrorum iste grex ad instar Reipublicae est. In qua Dictator Priuatus. Hic si nihil agat, fit ipse nihil: si gerat ipse cuncta, fit Tyrannus. Quid interest eligi per ipsum in munera Magistratusque vniuersos? Satis habet, eos elegisse qui eligunt. Ita enim pro certo habebit, cum fore eligendum quem ipse elegisset. Vitat ita offensiones, & odia eorum, qui prae-

teriti sunt; gratiam eorum qui obtinuere, non perdit; & satis debere se arbitrantur, satisque deuincti manent, & obligati Priuato, si non refragatus est. Ac sequitur illud etiam compendij maioris, vt malè peruerseque eligendi periculum interea deuitet. Nimium difficile atque anceps, statuere de cuiusque habilitate ad munus magistratumque sustinendum, ita, vt electio non aberret. Experimenta fallunt; ratio non assequitur. Scientia quaelibet, vt rectè atque perfectè addiscatur, itemque munus omne vt rectè administretur, conditionem mentis requirit quandam habitumve singularem. Ac sicuti alicuius in vno genere excellentia, & summa laus, argumento est, ad scientias artesve caeteras impar atque inhabile ingenium fore idem, potius quàm vt parem etiam ibi perfectionem excellentiamque polliceatur: ita munus aliquod vnum gessisse praeclare atque laudabiliter, haud eandem ad munera quae sint diuersa praestantiam animumve promittit. Natura, cùm rem vnam efficit, ad finem quoque dirigit vnum eius rei effectionem. Non ea sic effecta res (ait Philosophus) ad gladij Delfidi instar, simul, & aciem ad incidendum, & serrae dentes habebit, acumenque terrebrarum. Viderat hoc vnius tyranni callida mens, vel etiam pari calliditate Politicus, cùm videret ipse, tamquam ex ore tyranni loqueretur, scriptum ita reliquit. Plerosque eorum, qui mitterentur in prouin-

cias, contra, quàm spes de eis, metusve fuisset, agere. Excitari alios magnitudine rerum: alios ad deteriora mutari. Id verò ita potest euenire, non solum, ob mentis, & ingenij humani conditionem eam, de qua dictum est: sed interdum etiam quia dispar, & diuersa conditio siue natura negotij erit. Magna virtus animusque ingens, muneri paruo, & quotidianae fortassè curationi si sit admotus haud curat, incuriosè tractat rem, & plane contemnit. Idem animus virtusque eadem ad munus sublata magnum & amplum fateri homines cogit, minimarum infimam rem eam fuisse priorem, quia vir esset ipse maior. Tenues mediocresve nonnulli, si parua & mediocria tractent, quia neruos omnes, totumque ibi animum intendere ac defigere consueuerunt, gerunt, feliciter, laudemque reportant. Iidem ad maiora fortè translati, & negotia ipsa, & laudem, quam prius obtinuere corrumpunt. Intelligiturque tunc demum, & facile apparet, antea fuisse felices, quia pares negotijs, & non supra erant; talisque forma Ministri vnius olim, & tyranno, & scriptori rerum eius electa ac descripta est.

„ Comes Dux, vt consiliarij homines, ad recti, & honesti, & decori custodiam sibi perpetuò esse excubandum scirent, fenestellas ad conclauia quasdam aedificari aperirique iussit, è quibus prospectare Regem, esseque ibi suspicarentur, etiam cùm adesse non posset.

Est

Est Principi cum Numine similitudo. Partibus infinitis dispar ille Deo quidem est: sed errore ac temeritate hominum penè antefertur. Nam, ne turpiter quid agant dicantve homines, cautio ipsis est, quia potest interesse Princeps: & non cautio eadem, quia Deus adest, praesensque est. Id adeò fit, eaque consuetudo mortalium est, tamquam rem certissimam pro dubia habeant: de re incerta minime dubitent. In conspectu Catonis peccare, qui non auderet, impudentissimè coram Deo peccabat. Non extinctae, sed imminutae fidei signa quidem haec. Et caput vtrque hoc inculcare suae proli parentes optimi quique deberent antequam ad peccati, & malitiae notitiam tenera adolesceret aetas, vt scilicet peccare ne inciperent, nisi, cùm scirent iam, certumque haberent, adesse Numen, & in conspectu tantae Maiestatis fieri id in quo peccaretur. Forsitan, haud ita pudor, & verecundia peccandi tolleretur ex eorum animis, hoc ipso, quòd sine verecundia & pudore peccauerunt. Portenti simile est, augeri delictorum numero confidentiam, cùm potius augeri terrorem oportuisset, quia delicta sic augentur. Sed quid? Omnia quae peccant homines, ob ignorantiam peccant. Viuere simul, & videre Deum homini non datur. Scit humana mens Deum esse, qui est: sed quid ignorat, quoniam in hac vita non videt eum, sicuti est. Haud ideò miror, quod Vates & Propheta diuinus, peccata

sua

ſua ignorantiae nomine appellarit.

„ Procubuit in genua Comes Dux, & à magno
„ ſuo Rege petijt, vt magnam animi ſui indolem,
„ excolere vellet, non ſolùm experientia, & vſu
„ rerum maximarum, quas quotidie tractaret, ſed
„ etiam ſuae Domus annales, Imperijque memo-
„ riam; & maiorum facta conoſcendo. Id cùm fa-
„ cere pergeret Rex, inſtitit die quodam in collo-
„ quio Comitis Ducis laudibus extollere Regem
„ fortè vnum: ſubiecitque Comes Dux gloria il-
„ lum etiam futurum fuiſſe maiore, niſi tantum in
„ ſe authoritatis, Priuato, quem habuerat, per-
„ mittere voluiſſet.

Senecae potentiam infringere qui ſtatuerant, ſuaſere Neroni, vti magiſtrum amoliretur: Maiores ipſius idoneam fore diſciplinam. Comes Dux, ne quis eiuſmodi conſiliarius etiam in ſe exiſtat, vltro anteuertit. Improbat Regis antiqui facilitatem, qua ſe ſe penitus Priuato permiſiſſet, eumque pro magiſtro haberet. Simul, ei maiorum exempla magiſtrorum loco proponit, hortando, vt Domus monumenta peruoluat.

Nicolai Machiauelli conſilium eſt: veteris memoriae monumenta anteponenda eſſe alijs: quae poſterior aetas dedit. Eiuſque ſui conſilij rationem ita explicabat ille atque demonſtrabat. Si (inquit) & remedia morbis, & in iudicia normam, & ad ſimulacra effigenda artem, medici, Iudices, artifices, ab legibus, & diſcipli-

nis,

nis, & ſtatuis tabuliſque veterum petunt : cur non & eorum facta vita communis imitetur? Id & fieri debet, & facile factu eſt, cùm, coelum, elementa, homines, motum, ordinem, moreſque ſuos haudquaquam ex eo tempore immutarint.

Ego ſententiam hanc haud ſequor, non quaſi mutatos eſſe homines dicam, imò dico eſſe mutatos, non genere ſed perſonis indiuiduiſque corporibus, vti conſtat. Simulque actiones mutatae ſunt, quae ipſae non ſunt generis vniuerſi mortalium, ſed proficiſcuntur à ſingulis. Ciborum quoque, & modus, & conditio noſtris temporibus mutata admodum, ſicuti excuſationem idoneam praebere viſa eſt, auctoribus Aphoriſmatum, dum falſa reperirentur ea, quae pro certiſſimis & veris illi definierant: ita mutare temperamentum etiam potuit, vt mutatio morum pariter inde nonnulla ſequeretur.

Nec dico, Coelum, Coelive conuerſiones eſſe mutatas. Sed dico: non coeleſteis eſſe motus, vndè fortunis, animis, corporibuſque mortalium aliquid influat: eſſe ſtellas: ac ne ſtellas eſſe quidem ſine adſpectu. Eſt igitur Coelum idem, orbes ijdem ſunt, & motus; ſtellaeque eaedem, ſed adſpectus ijdem, neque ſunt, neque erunt vnquam. Quòd ſi adſpectus nunquam ijdem erunt, ne effecta quidem influxuſque ſtellarum. Cum ſuperioribus illis haec inferiora connectuntur, & quaedam eſt huic de-

preſſae

pressae terrestri parti cum coelesti illa affinitas?
Qui meminerit consideraueritque hoc: nullius in
Coelo stellae adspectum esse alteri similem, mi-
rari desinet, quomodo illud fiat, vt nullus in ter-
ris homo, nulla actio cuiusquam, cum altero
homine, vel actione alterius germanissima simi-
litudine congruat atque conueniat adamussim.
Sed quemadmodum in scientia, & speculatione
syderali, proxima quaeque obseruatio fallaciae
minimum erroris que habet: ita in politica disci-
plina recentissimum quodque exemplum aber-
rat minus.

Vt à rationibus, & scientia veterum medi-
corum nouitij medici non recedant, ab eorum
certè pharmacis medicamentisque recedunt:
Tenuissimus ille victus, & asperrima diaeta,
quam Hippocrates aegroto corpori praescrip-
serat, vt ne detur quicquam ante crisim, si ea fiat
in quarto, potuit temporum illorum homini-
bus esse vtilis, nunc ad nostra corpora habitus-
que minime conueniret. Hordei grana, quae
veteribus alimenta idonea corpori fuerunt, iam
consumerent exhaurirentque vitam. Ellebo-
rum purgandi causa dari solitum, perimeret
nunc extingueretque. Pullulauere noui morbi,
& remedia pariter inueniri noua, vitae interfuit.
His, vel mutata, vel correcta sunt ea, quae apud
priores maxime sollenia & rata habebantur.

Leges, sicuti quondam fuere, manent, eae
scilicet, quae, Titum inter & Sempronium iu-

dicant atque decidunt; non eae, quae rerum ſtatum, & Imperia tuentur. Moribus quin etiam inſtitutiſque priuatis noua legum diſciplina data & inuenta eſt. Noſtra Religio Ius Canonicum induxit Iuri ciuili magna ex parte contrarium. Leges variatae matrimonij; ſublatae diuortij ſunt, ſeruorum, & libertinorum iura conticuere. Lex Agraria, lex Iulia, aliaeque penè innumerabiles ceſſere obliuioni. Et nulla hodie tam parua Ciuitas eſt, quae non proprias ſibi leges, & veluti priuata iura ſtatuerit atque excogitarit.

Ars ſtatuaria antiquorum, ſi artifices etiam hodiae noſtros format atque erudit, & nobiliſſimo cuique praecepta dat, vel potius, ab ea nobiliſſimus quiſque prodit: haec eò pertinere poſſunt, vt corpus humanum quam proximè ad ſimilitudinem veri imitatione illa effingi poſſe dicatur, quòd ſemper vnum idemque corpus eſt, quale natura, ſiue author naturae Deus fecerat id primò & crearat; non, vt typos & exempla veterum intuendo, hoc illudve corpus, aptiſſime quis effingere poſſit. Ac ſicuti rideretur meritò artifex, qui noſtrorum hodie hominum vnum aliquem ex Alexandri Macedonis ſtatua exprimere conaretur, reſpiceretque identidem in faciendo ſimulacro illuc: ità ridiculus fieret etiam ſi quis regendae hodie Reipublicae praecepta iam inde ab Romulo & Remo inculcaret.

Ab

Ab antiquitate repetitum vnum aliquod laudabile exemplum, si quis illico ad sui Imperij suaeque Reipub. vtilitatem transferri & accommodari posse censet, sentiet experiendo quantoperè ea res fallat. Penè dixerim, & dico pronuntioque confidenter: rerum vniuersitatem hanc esse commutandam ei, qui tempora haec regere veterum institutis velit. Constat harmonia quadam & ordine Mundus; in quo, tamquam cithara fidum neruorumque multorum, si chorda vna est mota leuissime, caeterae simul omnes mouentur atque discordant.

Fuit error ille quoque Machiauelli, quòd Historiae medullam censuit exempla esse tantumque inde constare vtilitatis, quantam exemplorum sibi quisque copiam cumulumque congessisset. Hic error politico homini obiectus, ceu fons, riuulos errorum aliorum dedit, quibus ille in toto suo genere praecipiendi scatet. Sicut in medica arte Empiricorum experimenta damnantur, neque est ei hominum generi fides: ita in negotijs gerendis, & administratione Reipubl. nulla istis authoritas, qui per exempla rem gerunt. Neque error & fallacia tantùm in eo est, si veterum exempla putemus normam esse agendi sed in eo etiam, si recentissima quaeque facta, pro exemplis, & exempla pro praeceptis habere quis instituat. Nimium multa requiruntur, vt res eadem sit: neque finis exemplorum, si regulam inde vnam constituere veli-

 mus,

mus. Vehunt etiam pericula non parua secum, quia fortunae saepius, quàm prudentiae proles ea est: & fortunam in re gerenda optare facilius quàm sperare ac despondere sibi quilibet possit. Haud sane ego is, sum, qui homines ab Historiarum lectione abducere velim: potius horter, vt diu multumque legant. Historiasque ipsas velut in corpore humano cibum existimo esse. Nam, sicuti cibus, quamdiu in stomacho haeret, nutriendo corpori nihil confert: ita res & facta, consiliaque, & casus illi veterorum siue recentium, donec intra memoriae, tantummodo sedem abdita omnia & collocata fletere, non formant, constituunt, aluntue iudicium: isque cibus, ita demum vtilis animo erit, si maturè confectus diuidet tamquam in prudentiae venas hunc, quo prudentia ipsa viuit vigetque iudicij sanguinem. Acies animi praestantissima atque acutissima si nostrum vnicuique esset: haud necesse haberemus ire ad monumenta Historiarum, vt politici illic prudentesque fieremus. Ab eodem naturae munere, acumineque mentis, promptum expeditumque artifici esset (non enim discedo ab illa ratione Machiaueli): absque respectu & imitatione statuae, facere quamcunque vellet ac destinasset ille statuam: atque animus ad omnia sibi magister & artifex, & sui tantummodo imitator, nullius alterius disciplina imitamentisve indigeret. Nunc, quia excellentia haec, in vllo mortalium, aut reperi-

ri non poteſt, aut rarò reperta eſt: ideò coepere, politici quidem peruolutare hiſtorias, ſtatuarij verò ſtatuas & opera aliena imitari. Ac, ſicuti imitatio ea ſtatuarum operumque alienorum confert artifici laudabile tantummodo hoc, vt lineamenta, & habitum, corporaturamque intuendo illam, ſimilem ipſe quoque indolem haurire ac fingere ſibi poſſit (nam gloria nulla fuerit ſtatuam effinxiſſe, ac repraeſentaſſe eandem: indoles aſſequenda eſt, vt ſacere ipſe multas eiuſmodi queat) ita politico homini Hiſtoria ad colligendum inſtituendumque iudicium vtilis eſt: caetera ſine emolumento vllo obleſtamenta tantùm erunt. Neque enim exempla in agendo ſed iudicium illud ſequi debebit quod vi, numeroque, ac delectu, & obſeruatione ſibi exemplorum pararit.

Et venia danda Machiauello, ſi in politica diſciplina, ſeſe Empiricum praebet, quandoquidem in medicina etiam Empiricus ille eſt. Artem namque eſſe definit per veterum experimenta conſtitutam, quae Medici noſtri experimenta reſpiciendo, & ſequendo, de cuiuſque morbi genere remedijſve decernant. Potius ita definiri debuit. Scientiam eſſe ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum.

Redeo ad id, quòd veluti centrum mihi eſt: Optima ratio conſilij Comitis Ducis fuit: legendas Hiſtorias eſſe Regi, vt ex factis conſilijſve alienis ducere ac firmare ſibi iudicium poſſet.

Maio-

Maiorum autem Historias esse legendas, quò leuiore interdum periculo, vti exemplis etiam posset.

Carmina, dicteria, libellos, alia generis huius " in se iacta & proposita si fuerint, impunita re- " linquit Comes Dux, altitudine animi talia con- " temnens Sin Regem ipsum attingere lasciuia " illa ausa est, ministrosve caeteros fortè perstrin- " xit: repertum siue deprehensum eum quemcun- " que probrosi carminis authorem vult caeteris " esse exemplo; iubétque animaduerti.

" Authoris ad ista idonei consilium est: probra in dominantes ne iecerit ille, qui subiectus est, atque in Imperio illo viuit. Praeterita laudet: praesentia sequatur: Principem optare bonum: qualemcunque reuereri.

Maiestatis legem Tiberius modestia Comitis Ducis induxit. Principia namque Tiberij modesta fuerunt: postea inclinauere. Neque artis atque calliditatis, sed naturae modestia illa initio fuerat. Asperimentasque legis, non gliseeret augereturque paulatim, nisi bonitas omnis paulatim etiam in Principe diminuta esset. Mutatus ipse est, legemque mutauit. Et quoniam in arbore malitiae incisa lex ea fuerat, tantum ea creuit, quantum arbor ipsa crescebat. Probrosa carmina qui punit, probat. Si falsa fuere, ridentur: si vera, iras mouent. Falsò diffamari laetum est, quia nulla vera conuitia reperiri, inde manifestum fit. Exprobranda non silentur, vbi

fuere

fuere quae exprobari possint, vt exprobrentur ea, quae non possunt. Sed qui Principes exprobari sibi vera sensere, concitantur in iras, quia nudata vident ea esse, quae latere in occulto censebant. & cognita in vulgus, quae ne ipsi quidem fortasse cognoscebant, vel aliorum adulatione decepti, vel sibimet ipsi adulantes. Et quia nullum imperium in animos est, quo impediri possint, ne percepta cognoscant, impedire saltem & cohibere ingenia isti volunt, stylumque, ne scribat, & linguam fraenare, ne loquatur. Ita fieri posse putant, vt, aut ex memoria praesentium oblitterentur, aut aeui certè venturi memoriam fallant. Tunc possent Principes in mortalium animos inducere obliuionem, idque parare sibi grande bonum, si continere plectra linguae, sistere stylum, tam in ipsorum potestate, quam in nostra esset.

Haud tamen multitudini assenserim, famosae carmina, consuetudinemque hanc à Pasquino olim, sicuti fama est, sutore inductam, Principibus viris pro magistro esse. Et inutilem & perniciosam esse licentiam censeo vulgandi sic probra & libellos, proindeque odi ac detestor. Non dixi probandam alendamque esse: dixi puniendam haud esse semper: sed nolui dicere, non interdum debére puniri. Licentia loquendi & scribendi de Principe sine periculo vllo quicquid animi libido, siue impetus ferat, tollit è subiectorum animis obsequij reuerentiam, omnemque respectum.

respectum. Haec sublata rebellionem inducunt. Non possunt apta dominantibus consilia esse hominum, qui ipsi dominationem attigere nunquam, & nesciunt quibus illa cardinibus, & quonam axe circumagatur. Caeterùm tamen, haud errarent meo quidem iudicio Principes, si multorum, ac penè dixerim, omnium consilia exquirerent, dummodo non omnibus interim pectoris & Imperij arcana patefieri atque aperiri necesse esset. Principis consilia & acta quisquis damnat, consiliorum eius, intimorumque sensuum expers, meminerit reputetque illud: magnitudini Numinis etiam obtrectaturos esse temeritate sua mortales, nisi particeps ille arcanorum tantae Maiestatis, frenum ignorantiae linguis iniecisset.

„ Non admittuntur ad alloquia Comitis Ducis
„ feminae vnquam. Probrum in eo mariti esse
„ ait, si plus efficaciae sit in muliere ad impetran-
„ dum. Virgines, & viduae didicerunt, scripto
„ plus quàm adspectu profici: saepiusque monitae,
„ id iam in toto grege ac sexu vulgauere decre-
„ tum. In remouendo sexu, rationem sibi illam
„ fuisse ait, quòd nimium temporis horarumque
„ bonarum perdatur, ob comitatem, & honores,
„ & officia verborum, quae infirmitati illi exhibe-
„ ri oportet. Infirmitatis quoque humanae esse
„ cautionem, vt fugiantur pericula timidiùs, quam
„ confidentius vltrò accersantur.

„ Pulchritudo, aut mouet sui amorem: aut pati

vna

vna, & misereri, turbarique animum cogit. Iudexque, si miseratione afficitur, iam haud dubiè turbatus est. Si inclinat flectitve paulisper animum suum, desinit recto stare gradu: semper autem inclinat, vbi patitur afficiturque vnà, & amat: ac saepe dum vna patitur amat. Misericordiae sensum, res interdum ipsa, persona nonnunquam elicit. Ibi futura solicitant metu animum: hic praesentia cordi sunt, aeque spectat soliciteè animus. Ac licet efficacius timor quàm amor agat: efficacior tamen persona quàm res ad permouendum animum est. Nam vi mouet minore id quod esse potest, quàm id quod est iam, & in conspectu stat.

Feminam qui credunt non id esse animal, quod praeter mentem destinationemque naturae extiterit; qui non credunt, id animal errorem naturae esse vnum esse monstrum: credere saltem & affirmare debebunt, esse procreationis causa creatam. In id, si creata factaque femina est, sicuti creatam & facta esse fateri oportet facta: etiam ita esse debebit, vt nihil ei absit eorum, quae mouere illuc & impellere possint. Hinc fit, vt quotiescunque occurrat femina homini, qui, aut, non sit iam habitu contra praeparatus & munitus, aut, non illico muniat se se, & vi summa praeparetur: statim descendere animus sponte naturae cogatur ad contemplandum id animal ipsius rei causa, ob quam est à natura productum. Si non admittatur in conspectum,

 si procul

ſi procul ab oculis abſit, maius id certiuſque munimentum erit, quàm muniri in procinctu, ac ſe ſe protinus expedire ad reſiſtendum. Poteſt homo reſiſtere ſemper quidem: ſed non ſemper ita reſiſtit: occaſioneſque rarae, non poſſunt habitus efficere illos, qui nuſquam niſi ab frequentatione gignuntur. Fomes quin etiam ipſe, & inditi à natura igniculi nobis, contra nos in eo diſcrimine pugnant. Eſt enim hoc homini naturale quiddam, & nullo modo poteſt ab naturae deprauatione ſeparari. Superare homo fomitem, non ſeparare poteſt.

„ Dictum aliquando Comiti Duci eſt, magnum
„ miniſtrum maximi Principis loqui parum com-
„ modè de ipſo, & detrahere palàm. Ad ea Co-
„ mes Dux. Meritò detrahit, inquit, meritò cen-
„ ſet nos eſſe ineptos, praeſertim in comparatio-
„ ne ipſius, cuius tanta fama tam latè diffuſa eſt, &
„ cuius tantoperè virtus pollet.

Detrahere aemulis, aut bonitatis magnae eſt, aut magnae infirmitatis. Niſi zelo, ſtudioque & charitate id fiat: ob inuidiam fit: conditio atque natura inuidiae fatetur inferiorem eſſe qui inuidiat. Qui ſentit ſe eſſe ſuperiorem, laudat aemulos, tum vti eos attollat, tum vt ipſe attollatur: & quantò extulit eos altius, tantò magis ipſe effertur. Non ille loco ſtat alto magnuſque eſt, qui ſupra paruos eminet; ſed qui maximos magnitudine excedit. Comparatio peſſima dedecus minuit: laudem verò non affert. Ty-

rannorum ille, cui summa votorum atque consiliorum in eo fuerat, vt viles faceret abiectissimosque subiectos, erubuit postquam vidit factos esse viles. Sensit enim se se vilem.

Homines, qui artem scientiamve aliquam discere cupiuerunt, non illico artem scientiamve sibi proponunt, quam adamauere: sed artificem philosophumve sibi proponunt & spectant eum, non qui maximus omnium sit, sed qui proximus. (Humani desiderij acies infirma est: non nisi vicina prospicit: mirumque profectò, quòd homo idem ille, qui animum habet, ne maximarum quidem rerum adeptione quietorum, rursus eiusdem tenuitate animi credat minimis etiam se se rebus posse acquiescere, atque ibi fore contentum.) Artifex verò siue philosophus ille, vbi primum quemque est assecutus, alium quaerit, & subinde alium, nec desinit vnquam in sui generis disciplina hominem quaerere ac spectare vnum, donec homines vniuersos sit ipse longo interuallo antegressus. Tunc vbi in summo constitit, desinit retro conuertere oculos, neque respicit amplius eos, quos post se reliquit. Cumque toto stet animo erectus atque intentus, non iam ad apicem siue principatum inter artifices philosophosue consequendum, sed ad scientiae vel artis excellentiam vere consequendam, haud artificem vltra vllum; ipsam tantummodo artem intuetur, magnitudinemque eius. Tunc iste, dum, neque loquitur

de vllo, neque cogitat, manifesta signa praebet, omnes ab ipso esse superatos. Ac si de artifice fortè vno mentionem iniecere alij, laudat, quia artem ille elegerit, sibi quoque electam: vituperatione abstinet, quia, ne se quidem eum facit, eumve esse existimat, quem caeteri assequi non possint, sed ei parem, qui ne ipse quidem „ summa assequutus sit.

„ Nulla pertinacia Comiti Duci in sententia de-
„ fendenda, cuius sit ipse author. Si melior alla-
„ ta est, quod rarò incidit, vt rectius alij sapientiusque
„ que iudicent; hanc & amplectitur libentissimè, & laudat.

Sententiae suae tenaces aliqui esse consueuerunt, quia rectam esse vident vtilemque sententiam, idque constantis animi est. Alij, quia non vident consilia meliora, sequi & defendere sua pergunt: idque faciunt propter animi ingenijque tenuitatem. Alij, quia nolunt aliena probare, sua anteponunt; eaque pertinacia & obstinatio propriè nuncupanda videtur. Res tutissima Priuato, sua nonnunquam omissa, in sententiam ire aliorum, quotiescunque melior haec vtiliorque visa erit. Nam si comprobata etiam euentu fuerit, laus inde tota sequetur ipsum; quia probauit ipse atque accepit. Improsperè si succedat: desinit ipsius sententia esse quia non fuerat. Periculorum inexplicabilium, plena res, caput principemque fieri sententiae vel consilij alicuius. Haec omnia ele-

ganter vitata Priuato erunt, si vbi sententiam suam erit suo loco exequutus, haud vltra contendet. Non omnia quae videntur consilia meliora sunt. Neque enim res est vsquequaque cum melioribus. Pendere animi semper incertumque esse, tenuitas ieiunitasve quaedam existimatur, & forsitan nobilitas animi ea est. Spectat id verum quod falsum esse nequit. Si in eo conquiescat, quod tam esse, quàm non esse potest: improuidè egit. Caput primusve consiliariorum ille quisquis est, non ideo ad consilia caput principemque se se offerre cogetur. Difficilius in eum locum sentiusque peruenit quam vt in vnius rei consilijque aleam seque & fortunam suam dare debeat. Non discrimen, pretiumque periculi par eum manet. De re negotiove aliquo, ad Regem, siue ad Consilium, vbi referendum Priuato est, ita referre deberet, vt omnes eius negotij consilijque vias tractaret atque explicaret. Distinguere ac notare casus omnes in quos incidere eius negotij euentus posset: omnes monstrare nodos difficultates, & nexus: dissoluere eosdem: & cuncta dubitantis instar, vt neque capi consilium vllum possit, quod non ab ipsius ratione profectum esse videatur: neque contra cadere quicquam, quin ab ipso prouisum atque praedictum. Ita, prosperi rerum exitus in laudem cedent gloriamque ipsius: sinixtra citra pudorem dedecusve erunt, quia in difficultates incurrere easdem, quas prospexerat

pexerat

spexerat ipse & viderat. Consilium verò & sententia, si magis vna quàm alia ei fortasse placuerit, eamque comprobari & accipi cupiat: poterit eius sententiae partes delegare vni, cui maxime confidat, & cum eo composita atque communicata habere, quae is proponere debebit. Id Priuato tutissimum erit. At excellenti virtute alius, cuius dignitas & fortuna non sit adeò illustri loco posita, postquam ipse secum omnia secreta aestimatione pensauerit, poterit semel periclitari si volet, atque id subire discrimen, vt faciat alicuius sententiae se se authorem, & caput. Non enim periculo quàm spe maiore id faciet. Et magna tentare debet, qui vult reddere se se insignem, nec insigne quicquam nisi quod anceps atque periculosum.

„ Quo primùm die Franciscus Contrera Prae-
„ fecturam inijt, Comes Dux ita eum alloquutus
„ est.

„ Iamdiu mihi in hac Regia aetas agitur: anni-
„ que multi procedunt. Toto hoc tempore spec-
„ tacula magna vidi. Principes viros, aliosque
„ nobilissimos, ob certamina habita cum forensi
„ ministerio cum circitoribus, & satellitibus, & scri-
„ bis, alijsve, qui Iustitiae insignia secures fasces-
„ ve praeferrent, in exilium agi: conijci in vincu-
„ la: spoliari fortunis. Neque videre memini sa-
„ tellitum horum quemquam adhuc è furca pen-
„ dentem. Non tamen adducor vt credam, ho-
„ minum horum inter ea, quae dico certamina,

causam

» causam semper esse meliorem. Nam, neque
» natalium, & animorum conditione sunt isti com-
» parandi: semperque plus oneris ad aequitatis
» & officij iura nobilitas sustinet. Credibile fit:
» cùm sint isti homines, qui ducant in vincula,
» quaestiones exerceant, tabulasque conficiant;
» etiam tenere artem facultatemque habere exi-
» mendi se se criminibus, & irretiendi, illaquean-
» dive caeteros. Proinde Excellentia Vestra rem
» Suae Maiestati gratissimam vtilissimamque
» Reipubl. fecerit, si aduersus talia excubabit mul-
» tùm, atque videbit, ne in posterum fiant. Ne-
» que hac eò dicta sint, tamquam debeant cum
» iustitiae detrimento quid impune tulisse primo-
» res, sed vt satellites inprimis ministrive isti de-
» prehenso scelere suspendantur. Oratio Co-
» mitis Ducis haec, sicuti optimam ipsius mentem
» animumque declarauerat: ita Nobilitati vniuer-
» sae solatium ingens fuit.

Monarchias Prouidentia & magnitudo diuina fundauit, vt in hoc Mundi totius & generis humani theatro ceu colossi maiores starent. Has duae vilissimae foedissimaeque columnae (honos auribus habitus sit) carnifices satellitesque sustentant. Sed quid? Hortos etiam passim videre est, floribus, herbis, plantis, amoenos atque frugiferos, & omni gratiarum ac venerum suauitate scatentes, eosdem fundamento insistere perinde spurco & pecudum excrementa esse, quae veneres, & gratias, & odores, & gratissi-

ma poma illic alant. Si non, in tyranicos peruersosque dominatus Monarchiae degenerauissent: si Iustitiam zelus & pietas vera administraret: reperiretur & aliquis passim interfector. Acabi Samuel: & qui falsi Prophetae ilia ventremque foderet Helias. Ideo erubuere homines honesti turpe ministerium, ac necesse fuit iri ad quisquilias infimae plebis, vt carnifices inde satellitesque peterentur. Et quoniam abiectissimi vilissimique homines, vbi ad munus accessere vnum, vilitatem & sordes quas non ibi repperere inferunt: sagacissimi Principes etiam duxere operae pretium, defendi istos impensaeque foueri. Nam, si tantae vilitati contemptionem insuper ipsi adiecissent, futurum erat, vt conuulsa contumelijs in eum modum & proculcata basi, ruerent dominationes ipsae simul, atque eodem labefactatae motu collaberentur. Sed & ars quoque Principum in eo fuit, vt munera eiusmodi penes vilissimos esse mortalium vellent. Truculentiae tantum ea munera habent, vt si asperitati dignitas etiam adiuncta nonnulla esset, ipsum quoque Principem interdum, non modo subiectos conterrefacere potuisse videantur. Nunc ab omni alia parte contempti, atque infames, vnica principis indulgentia & fauore sublevati, non possunt eum offendere, dignatione scilicet ea quam ab ipso acceperunt. Redduntur que vices, & crescit semper, tum eiusmodi ministrorum obsequium erga Principem, tum

fauor

fauor & tutela principis erga ministros. Censent principes, non eos debere puniri, quorum opera manibusque ad puniendos alios ipsi vtuntur: ac fere persuasum ita habent; vim authoritatemque dominationis, quae toto horum genere & classe subnititur, in eorum etiam aliquo stare subnixam; quasi nimirum, Sycophantae collum vnius esset idem Principatus & Imperij collum. Sed quotidianum istud tralatiumque est, prostitui Iustitiam, vt dominatio intacta conseruetur.

„ Amita Regis Elizabeth, quam nullae satis
„ vnquam litterae commendabunt, cùm Ariscoti
„ Ducem in Regiam ex Flandria misisset, sicuti
„ scripserat ad Regem, integra fide egisse eum in ea
„ consternatione, quae per Comitem Henricum
„ aliosque rebelles moueri coepta erat: ita adie-
„ cerat etiam, posse ex ipso cognosci, & quinam
„ essent participes coniurationis consilijque eius,
„ & quaenam communicauissent consilia cum eo,
„ tunc, cùm ad causam eandem ipsum traducere
„ frustra tentassent. Manabant iam indicia non-
„ nulla coniurationis, & compressa diu semina
„ motus eius erumpere incipiebant. Cùmque
„ Ducem, prout Infans Amita monuerat, interro-
„ gauisset Rex & ille respondisset, nihil se posse
„ dicere amplius, quàm quod Infanti Serenissi-
„ mae aperuisset: id in tali negotio responsum, at-
„ que ea tam praecisa negatio, satis habere causae
„ visa est, cur Dux carcere attineretur. Tunc

» Comes Dux, animaduerso, non fraude dolove
» vllo, sed religione quadam eos prodendi, qui
» caput, & salutem suam sibi commisissent, ita
» respondisse Belgam, à Rege petijt, vti interro-
» gare vellet iterum, interimque sua ipsius fides
» pro custodia esset.

Est nonnullis ita persuasum, dummodo ne faciant ea quae fieri nefas est: fas iusque sibi esse reticere quae sciant. Sed quod fieri est nefas, id faciunt, cum ea quae sciunt dicere nolunt. Inter occulta coniurationum, capitalius est reticere quam coniurasse. Nam coniuratio detecta dissoluitur. Coniurationi qui se se non immiscet, consciusque tamen est ipse coniurationis, & silet, timoris certus, ambiguus amoris est. Pro certo ego habeo Ariscotij Ducem, qua ingenita animo nobilitate: fidem suo Regi debitam violasse noluerat, eadem fuisse inductum, vt amicis quoque suis consulere vellet. Sed quaenam fidei vincula, & iura possunt esse erga eum, qui iam fefellit ipse rupitque fidem: qui nos vult facere infidos: qui iam penè fecit hoc ipso, quòd tentauit atque appellauit? Quale illud amicitiae genus, in praecipitia coniurationis trahere voluisse amicum, expertumque esse Inimicus iste quidem est: dignitatem existimationemque contrectat: ad infamiam dedecusque vocat. Non acutè sed verè loquor. Verissima res est: & multi tam in eo turpissimè errant dum specie recti in falsum ruunt. Errorem hunc, sicuti cae-

tera

tera peperere tyranni, quorum ſaeuitia ſtatuit infamiae poenam ei per quem reuelata coniuratio eſſet: gloriam tulit ijs, qui feliciter coniurare potuiſſent. Sed & Principum iſta labes, per quos nempe effectum, vt coniuraſſe glorioſum haberetur, quoticſcunque perditi ipſi iniuſtique eſſent. Quantò ſatius meliuſque fuiſſet, ita viuere atque agere dominantes, vt ſemper impium id ac deteſtabile haberetur, quam relinquere in hominum animis incertum dubiumque hoc, vt de Principe prius, tum de coniuratione, iuſta, vel iniuſta, ſtatuere, ac iudicare deberent. Sanctiſſima noſtra Fides Religioque vnica, & diuina, ne iſtud quidem reliquit abſque remedio malum. Qui Chriſti Vicario authoritatem hanc abrogare voluerunt, ne poteſtatis eſſet iuditijque eius definire, quinam tyranni eſſent, idque portenti & flagitij genus notare ſua infamia, & monſtrare Mundo: hi, vel ad tyrannidem adſpirant; conſilia ſuae dominationis illuc verſa habent: vel arbitrij ſui eſſe vellent, tyrannidis aſſumere licentiam, quandocunque maturum opportunumque eſſet: vel aſſumpſere iam & tyranni facti ſunt. Ignorant refractarij contumaceſque iſti, quid ſit illa, quam vnicè colunt Ratio Status: Ipſas dominandi regnandique artes planè ignorant. Nam ea Ratio, eaeque artes, etiamſi; non Religionis lege, ſicuti par fuerat, inducti, veritati, huic aſſentirentur, ſuadere potuerant non ſolùm vt ipſi crederent, ſed

vt inter ſubiectos quoque ſuos credi id celebrarique cuperent: eſſe videlicet Summi Pontificis in Principum facta iudicium, vt tyranni ſi facti eſſent, ſuprema illa authoritate notarentur. Nam ad vnicum iuſtiſſimumque Tribunal ita deducta & reiecta res eſſet, cùm alioqui tot tribunalia ſint, quot capita ſubiectorum, apud quae de Principe ſtatuitur ac iudicatur; & prout de moribus ac vita Imperioque eius fecere iudicium: ita etiam de ſuſcipienda coniuratione decernunt.

" Ariſcoti Ducem, iterum tertioque interrogauit Rex fraterna magis comitate quàm habitu ſuperciliioque dominantis. Ille, cùm in priore reſponſo perſtaret: faciendum Comiti Duci viſum eſt, vt hominem ipſe quoque ſuper ea re negotioque coniurationis alloqueretur. Dux Albae, & Caſtellae Praeſes ad id colloquium adhibiti fuerunt. Ariſcotus, ſicuti Regi reſponderat, ita in eo etiam congreſſu perſeuerare: nihil ipſum habere vltra quod dicere poſſet: ampliuſque ſubiecit: ſi viueret Sereniſſima Infans, ipſam poſſe eſſe teſtem. Tunc Comes Dux deprompſit mortuae Infantis litteras, eique legendas dedit; qua inſpecta & lecta epiſtola Ariſcotus haeſitauit ſcilicet manſitque confuſus; de ſumma reſponſi tamen nihil dum ille mutabat. Inde Regi neceſſitas acrius inſtantiuſque vrgendi: mittiturque in arcem, hoſpitis potius quàm captiui more cuſtodiendus. Ibi circumdato

principali

" principali fere paratu aliquandiu habebatur eli-
" ciendae veritatis coniuratorumque cognoscen-
" dorum. Demum composuit misitque ex arce
" litteras ad Comitem Ducem, cuius mitem erga
" se animum perspexisse videbatur Omnia ine-
" rant: coniurati coniurationisque affines; & con-
" silia destinataque eorum: quam spem haberent;
" quibusve causis inducti essent; & quid denique
" egissent secum. Accepta epistola, Comes Dux,
" eam, sicuti scripta obsignataque erat, detulit ad
" Regem multùmque supplicauit, vt errori igno-
" scere vellet. Falsa opinione, non malignitate
" vlla fuisse inductum ad ea reticenda. quae reti-
" cuisset: demumque patefecisse. Simul petijt à
" Rege Comes Dux atque impetrauit, vt gladius
" captiuo redderetur Innocentiae signum pignus-
" que libertatis. In Flandria proponitur edictum,
" quo venia dabatur vniuersis, absoluebanturque
" omnes quotquot non adiecissent errori pertina-
" ciam, & facta, siue cogitata fateri voluissent.
" Quae omnia imperio & clementia Regis, consi-
" lio Comitis Ducis agebantur.

Anxie soliciti & religiosi homines circa custodiam, & momenta suae existimationis, si anxietate religioneque ea inducti commisere fortasse nonnihil, quo Principis offenderetur animus: his venia potius quàm poena debetur, & ignoscendum magis quàm irascendum est. Ab homine honesto quid potest esse periculi? Non potest Principi nocere suo, nisi qui turpis infamisque

que

que ſit. Aduerſus honoratos nobileſque iſtos, quos fraena ſtimulive dignitatis agunt inhibentque, violentia quadam vtendum Principi eſt, qua ſanet veluti medicus aegrum, non qua interficiat Qui cura & tutela ſuae exiſtimationis ducitur non ducitur voluntate ſed praeter voluntatem. Non enim in ipſo, extra ipſum eſt id quo regitur ac ducitur. Neceſſitatem admouere huic, non violentia, ſed aueruncatio violentiae eſt. Honor, exiſtimatio, dignitas, & hiſce nominibus vna res, naturae collapſae fulcrum eſſet munimentumque maximum ſi, rectis legibus inſiſteret ita interdum, vti labat errore ac leuitate opinionis Non autem eſt, rectas huic opinioni dare leges, ipſamque dignitatis exiſtimationiſve rationem intra praeſcripta tenere legum, niſi prius ea quae dicitur ferocia & igneus ad pericula vigor animorum obteritur atque eleuatur. Neque obteri, deijci, infirmari conditio animorum haec poteſt, quia nimium optabile Principi eſt, vt ſubiectos habeat hac generoſitate promptos atque excitatos, ſi tueri, vel augere Principatum, & proferre fines velit. Emolumenta generoſitatis ferociaeque huius, & ex diuerſo damna humilitatis abiectioniſque animi, ea ſunt, ob quae, & contemnitur haec, & illi plauditur habeturque honor. Creuitque authoritas in tantum, vt feroces & generoſi atque manu prompti iſti maiores animi appellarentur, quaſi plus animae haberent.

Ger-

„ Germaniae quoque liberatae & profligati
„ belli illius, rebelliumque fere domitorum haud
„ parua laus, gloriaeque tantae pars haud sanè
„ parua Comiti Duci debetur. Consilium nam-
„ que fuit ipsius grande & salutare illud, vti Car-
„ dinalem Infantem mitteret Rex: dispositaque,
„ & apparata ac prouisa per ipsum fuere omnia,
„ vt primo quoq; tempore mitteretur atque iret
„ Iuuenis animo spirituque ingenti; cuius radij,
„ exortu in ipso statim vbi explicuere se se, con-
„ sumpsere vapores dissipauere nebulas, serena-
„ uere Coelum. Magnum sanè hoc, nouum haud
„ tamen, sed inter bella antiqua, spectatum etiam
„ aliâs, vti inueteratorum inter arma ducum, vim,
„ famam, fortunam atque sagacitatem infringe-
„ rent treis vno tempore Iuuenes Principes, Pan-
„ noniae Rex; Cardinalis Infans: & Lotharingiae
„ Dux Carolus,

Omnia, quae gignuntur infrà Lunam suis quaeque periodis constant, habentque suos gradus: initium; incrementa: statum: & post-quam constitere, vergunt; denique extinguun-tur. Consistentem in rota fortunam pingere qui inuenit, ineleganter atque ineruditè formam eius simulacri commentus est, nisi rota illa Coe-lum, nisi stellae omnes fuere fortuna. Dedit enim artifex iste, atque assignauit vni rei rotam in Mundo hoc vbi cuncta rotantur. Saepe etiam cum homine fortuna canescit. Sed quae semel hominem fortuna euexerat, non ea est

quae

quae ſternit deinde ipſum? Vti conuertatur mutetque haec, fortuna eſt alterius, quae creſcens ipſa vergentem aliam impellit.

Principes in id moueri atque concitari externos, vt alieni Imperij ciuitates vocent ſtimulentque ad rebellandum, haud equidem miror: illud profectò animo meo mirum fit, quòd vllae ciuitatum, ſtimulos atque inuitamenta illa ſequantur. Rebellioni motibuſque eis, ſi exitus eſt ille, qui iactabatur; populationes, incendia caedes, vaſtatio terrae anteceſſit: aeraria conſumpta ſunt: nihil virium vltra relictum: ac vicere ita demum, vt victi debellatique ipſi maneant. Non fugiunt Imperia ſed mutant, aliumque dominum ſortiuntur haud minore odio, quàm quo depulere priorem. Non enim imperitantem odere, ſed Imperium, quod moritur nunquam, quia Principes mortales: dominatio aeterna eſt. Blandiuntur verò ſibi nimium ſpe mutandi etiam in melius. Eam ſpem ſi in amicitia forte nonnullius habuere, reperiunt in rerum exitu vanam atque fallacem. Id quod cuiuſque intereſt, quò ſua quemque vtilitatis trahit, fert quendam amorem eiuſmodi ſecum, qui veluti Gygas amor amores alios ceu puſilla corpora infantum elidit. An auiditas & fames imperitandi minor in nouo domino reperietur, qui dominus factus eſt haud aliter quàm ob auiditatem famemque dominationis? An potius, non pro certo habendum, curae fore nouo huic, vt qua ipſe via &

porta

porta intrauit, ea claustris inexsuperabilibus clausa obserata aeternùm stet, ne intrare alius possit? Non ingrediar mala repraesentare, si vincantur. Quanta sint ipsi vident Nec tanta sunt, quanta habituri erant, si fuisset victoria penes ipsos. Nimium molli cecidere casu sub mansuetudine, & clementia Principum horum.

Si Numini ita visum fuisset, eis Principibus, vrbibus, populis, qui populi, Principes, vrbes defecere per Germaniam rebellionemque consciuerunt, videndam in speculo scenam obijcere rerum quae sequuturae erant: non vidisset nostra aetas horrores & tragica spectacula quae vidit. Scena tamen haec, & speculum, & imago futuri non defuit eorum oculis qui inspicere voluerunt. Cui tam obtusa mentis acies, vt non ista secum ipse argumentaretur? Cui tam fluxa memoria, vt superiorum temporum bella non videret horum effigiem? Id quod fuit erit, vbi id quod fuit est. Centum annorum spatio, tamquam alueo decurrit obliuionis flumen: eaque latitudo fere torrentis huius est, vbi plurimum patet. Iam decessere homines, atque ad domos ipsi etiam obliuionis abiere, qui sui temporis bella, & rebelliones sensere vanas, incertique manebant, plusne periculorum, an damna maiora vidissent, cùm, & futuri terror, & praesentis exitij magnitudo par animis obuersaretur. Moriuntur abeuntq; testes isti malorum rerum: & mala ipsa, vici exusti, felicium arborum cine-

res, terris inuecta sterilitas, solitudo vrbium, euersae deletaeque vrbes, ex oculis abiere simul. Aut non fides est: aut non metus. Non creditur damnum, quia restitutum iam sublatumque est: non timetur, quia restitui posse id videmus. Quàm optabile multis fuerat vt haberent sine moenibus vrbes? Nusquam clementius Romani tractauere Graecos, mitiusve egerunt erga Gentem nationemque illam, quàm tunc, cum Graecarum vrbium omnium moenia die vno deijcienda mandarunt. Et legum lator ille, qui vetuit moenia esse vlla, fortasse, non tam incitandae virtuti id, quàm etiam ad temeritatem inhibendam prouidentissime excogitarat. Firmi corporum habitus approperant saepe mortem, quia ingluuies atque intemperantia cibos immodice ingerit.

Magni nominis imperium, non magnae authoritatis, vel certè, quod viribus magis quàm authoritate stet, non temere inuadendum hosti esset, in cuius damna id crescere Imperium possit. Nam is animus, ea conditio principum nonnullorum aliquando est, vt nihil noui tentare, moliri nihil velint, vel quia contenti rerum suarum statu viuunt, neque adijciendum, quaerendumve sibi vltra quicquam censent: vel quia, incerta bellorum metuunt, & nihil opus esse periculis putant. Verùm, ijdem isti, si ad arma fortasse ire coacti sint, & violentia ipsos fortasse aliorum nonnulla armarit, credere inci-

piunt,

piunt, non posse in posterum solicitudines & pericula multa propulsari, nisi auctum sibi Imperium sit: atque ita suscepta semel arma illa non deponunt, donec protulerint fines, authoritatemve amplificarint. Atque tunc etiam vbi quieuere, bella renouantur, quia, qui vicere semel, vel nesciunt, vel nolunt, vel non possunt finire victorias. Est interdum, vbi victoriarum & gloriae saturitas; est, vbi laboris impensarumque taedia, proximorumque mortes, quietis amor, & alia quae dies affert, bellis imponant modum, suadeantque pacem. Frui praesentibus: parta conseruare: caetera permittere casui & tempori, & virtuti successoris malunt. Bene meretur de genere humano ille qui pericula procul habet. Nam maxima quaedam differri, non tolli possunt. Non existerent tot bella inter mortales, si res humanae animique hominum componi ita possent, vt magnitudo fortunae pares inuidia, minores solicitare metu desineret.

Credo ego, Principes de ijs, qui fuere loquor) vbi imperium adepti erant, eo fuisse contentos, si parta retinere possent, ita tamen, vt retinendi tuendiq; causa cuperent loca nōnulla sibi adiungere, quae id ipsum impedire posse viderentur. Ea verò loca simul atque obtinuissent, locum statim prospexisse alium, & subinde alium, qui nisi adiunctus Imperio suo esset, primam quamque victoriam atque possessionem haud stabilem siue diuturnam fore existimarent. Ita procedente

cedente penè ad infinitum continuatione hac, effectum esse arbitror, vt, id quod studium & cura sui status erat, auiditas potentiae Imperijque maioris, vel esse crederetur, vel etiam interdum fieret, admittente paulatim animo hanc sine sensu fallaciam. Caesar Imperatorque ille semper Augustus cui euenerat, vt ipso imperitante, tranquillam vbique pacem ageret humanum genus, ne tantum bonum, aut metus, aut inuidia interpellare posset, in animo habuerat coercere intra certos fines imperium, simul & munimenta finibus addere, quo tutior pax haberetur hoc ipso, si vnà cum Imperio, dominandi quoque cupiditatem esse circumscriptam atque terminatam ita appareret. Fidem; qui primus violare inuenit. Mundum euertit. Nisi fallendi instrumentum fieret ipsa fides, zelotypia non subiret animos. Haec remota frangeret inuidiam, quia destituta & solitaria sic inuidia maneret.

ai 17 settembre 1835 — intero con due ritratti ed una figura —